DEFENSIO
DECRETORUM
CONCILII TRIDENTINI
ET
APOSTOLICARUM CONSTITUTIONUM
ECCLESIÆ ROMANÆ
In cauſa Paupertatis Monaſticæ & cæt.
Cum duplici mantiſſa & cæt.
TOMUS II.

Digitized by Google

Digitized by Google

I N D E X

CAPITULORUM ET PARAGRAFORUM

T O M I II.

DISSERTATIO TERTIA.

Demonſtrationes evidentiſſimæ, quibus palam fit, nullius Religionis Diſciplinam conſiſtere diu poſſe abſque exacta vita communi. Hac ſublata, & peculio invecto ordines inordinati evadunt.

C A P U T I.

PLAGIA ABORTIVA,

Seu *feſtivæ quædam, ludricæque demonſtrationes, quas R. Magiſter* Vitæ Clauſtralis *mirifica ſimplicitate totidem verbis* ex Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica *tranſcriptas in ſuum convaſavit opus, vocibus exactæ* communionis *in peculii vocabulum commutatis, ut monſtrum pareret.* Pag. 1.

§. U N I C U S.

A N I M A D V E R S I O

In recenſita Plagia Authoris Vitæ Clauſtralis. 8

C A P U T II.

Sophiſmata perpetua, quibus RR. Magiſtri cavillantur voces communitatis, proprii, & peculii, neceſſarii, ſuperflui, *denuo refelluntur. Simili arte uſi Hæretici ſunt, ut Catholicas veritates obnubilarent, eliminarentque.* 9

C A P U T III.

DEMONSTRATIO I.

Propulſatur atrox calumnia a RR. Magiſtris impacta Authori Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ, *quod æternæ damnationis reos poſtulaverit OMNES laxioris Diſciplinæ alumnos: quod in nullo caſu licitum peculii uſum doceat. Quomodo verum ſit, iſtorum paucos reapſe ſervare, & plurimos violare paupertatis votum.* 12

INDEX CAPITULORUM

CAPUT IV.

DEMONSTRATIO II. 16

CAPUT V.

DEMONSTRATIO III. 17

§. I.

Reſponſa Magiſtri Vindicis. ibid.

§. II.

Reſponſum R. Magiſtri Vitæ Clauſtralis *comparantis præceptum communitatis Verticibus Cartheſianis.* 18

CAPUT VI.

DEMONSTRATIO IV.

Votum obedientiæ, & univerſæ Diſciplinæ Regularis obſervantia concidant neceſſum eſt, exacta rerum communitate ſublata. 20

CAPUT VII.

DEMONSTRATIO V. & VI.

Patriarchæ Sacrorum Ordinum Inſtitutores non modo præceperunt exactam communitatem, verum etiam non potuerunt eamdem non præcipere. 25

DEMONSTRATIO VI.

Si votum paupertatis abſque exacta communitate conſiſtere reipſa poſſet, imprudenter Patriarchæ, Concilia, & Pontifices illam præcepiſſent. 26

CAPUT VIII.

DEMONSTRATIO VII.

Inopia Conventuum, quæ opponitur ceu unicum exactæ communitatis impedimentum, vanum, & evidenter falſum commentum eſt. 27

CAPUT IX.

Comparatio opinionum utriuſque Magiſtri Vindicis, & Clauſtralis, *cum S. Thomæ Aquinatis Doctrina.* 30

§. I.

RR. Magiſtrorum theoremata. ibid.

§. II.

Arguta R. Magiſtri Clauſtralis Vitæ *interpretatio.* 31

§. III.

§. III.

Theorema Magiſtri Vindicis. 32

§. IV.

Lepidiſſima Magiſtri Vitæ Clauſtralis *interpretatio.* 33

§. V.

Magiſtri Vitæ Clauſtralis *erroneum theorema, quo peculium in Apoſtolico Collegio conſtituit.* 34

§. VI.

Magiſtri Vindicis *theorema.* 35

§. VII.

Feſtivum Reſponſum R. Magiſtri Vitæ Clauſtralis. 36

§. VIII.

Sint ne RR. Magiſtri gradu Magiſterii privandi, quod luculentiſſimam S Thomæ Doctrinam rejiciant? 37

DISSERTATIO QUARTA.

De Theologorum authoritate in cauſa exactæ communitatis Apoſtolico-Monaſticæ privati peculii expertis.

CAPUT I.

Ambo Authores Vindiciarum, & Vitæ Clauſtralis *mirum in modum hallucinantur in allegandis pro peculio Theologis, & Canoniſtis.* 39

§. I.

Author Vitæ Clauſtralis *citat pro peculio Joannem Trithemium.* 43

§. II.

JOANNES TRITHEMIUS

Præ omnibus tum Theologis tum Canoniſtis bellum peculio Monaſtico indixit, Cavillationes omnes explodit. Impoſturam, quæ ſibi ab Authore Vitæ Clauſtralis *imputatur, antevertens ipſe refellit.* ibid.

§. III.

Dionyſius Carthuſianus *integro opuſculo* de Reformatione Clauſtralium *inſcripto, reprobat peculium. Impoſtura eidem impacta ab Authore* Vitæ Clauſtralis. 48

§. IV.

Theodoricus de Monaſterio. 53

§. V.

B. Joannes Dominici, *S. Antoninus*, *Joannes Excuria*, *Joannes de Neapoli*, *Joannes Nyder*, *Joannes de Turrecremata*, *Thomas Cajetanus*. ibid.

C A P U T II.

Author Vitæ Clauſtralis, & *Author* Vindiciarum *perpetuo implicant quæſtionis ſtatum*. *Eorumdem hallucinationes in recenſendis Theologorum authoritatibus*. 54

§. I.

Sylveſter Prieras. ibid.

§. II.

Franciſcus, & Ludovicus Lopez. 55

§. III.

Joannes Baptiſta Conradus. 56

§. IV.

Bartholomæus Maſtrius a Magiſtro Vindice falſo laudatus. ibid.

§. V.

Donatus Laynenſis. 57

§. VI.

Emanuel Rodericus. 59

§. VII.

Joannes Azorius. 60

§. VIII.

Paulus Layman. 61

§. IX.

Franciſcus Sylvius. ibid.

§. X.

Joannes Pontas. 62

§. XI.

Franciſcus Suarez. ibid.

§. XII.

Laurentius de Peyrinis. 65

§. XIII.

Leonardus Leſſius. 66

§. XIV.

Franciſcus Ramirez Archiepiſcopus Brunduſinus. ibid.

§. UNI-

§. UNICUS.

Adhortatio ad Magiſtrum Vindicem, *ut imitetur Archiepiſcopum Ramirez*. 69

§. XV.

Summæ Piſana, Roſella, Angelica, Sylveſtrina, & Tabiena. 70

CAPUT III.

Hallucinatio Magiſtri Vitæ Clauſtralis *in alleganda Epiſtola S. Franciſci Saleſii in favorem peculii*. 71

CAPUT IV.

Enormis mutilatio textus P. Joannis Pauli du Sault. 74

CAPUT V.

Theologi & Canoniſtæ, quos poſt Concilium Tridentinum propugnaſſe peculium ut licitum contendit Magiſter Vindiciarum. 77

§. I.

Martinus Navarrus. ibid.

§. II.

Andreas Victorellus poſtilator Navarri. 79

§. III.

Antoninus Diana, Graffius, Barboſa, de Luca, Sanchez, Caramuel, a S. Fauſto, Antonius a Spiritu Sancto, Tamburinus, Pellizarius, qui allegari ſolent in peculii præſidium. ibid.

§. IV.

Diana. 80

§. V.

Jacobus de Graffis. ibid.

§. VI.

Barboſa, & de Luca. ibid.

§. VII.

Thomas Sanchez. 81

§. VIII.

Joannes Caramuel. 82

§. IX.

Bartholomæus a S. Fauſto. 83

§. X.

Antonius a Spiritu Sancto. ibid.

§. XI.

Aſcanius Tamburinus. ibid.

§. XII.

§. XII.

Franciſcus Pellizarius. ibid.

§. XIII.

ANIMADVERSIO

In RR. Magiſtros Vindiciarum, & Vitæ Clauſtralis. 84

CAPUT VI.

Benigniores Theologi Valentia, Vaſquez, Leſſius, Caſtropalaus, Cottonius, Reginaldus, Felix Poteſtas, præceptum exactæ communitatis defendunt, & peculium *damnant neceſſitate naturali ſublata.* 85

§. I.

Gregorius de Valentia. ibid.

§. II.

Gabriel Vaſquez. ibid.

§. III.

Leonardus Leſſius. 86

§. IV.

Ferdinandus de Caſtropalao. ibid.

§. V.

Felix Poteſtas. 87

§. VI.

Antonius Cottonius. 88

CAPUT VII.

Conſenſu benigniorum Theologorum Authores Vitæ Clauſtralis, & Vindiciarum *ſunt in malo ſtatu. Quam ſit lepidus, & feſtivus eorum* ANTIPROBABILISMUS. Segneri, & Terilli *in ejuſmodi Antiprobabiliſtas accuſatio.* 90

CAPUT VIII.

Graviores Theologi pietate, & doctrina celebres, qui poſt Tridentinum integris opuſculis data opera peculium, & omnes peculiariſtarum thecnas, excuſationes, & prætextus oppugnant, damnant, execrantur. 91

§. I.

Hieronymus Gratianus. ibid.

§. II.

Servatius de Lairuelz. 92

§. III.

Bernardinus Gauslinus O. P. ibid.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Vincentius Puccini. 93

§. V.

P. Hiacynthus a Caſali ibid.

§. VI.

Tractatus de Vita communi Religioſorum. 94

§. VII.

Franciſcus Ramirez Archiepiſcopus Brunduſinus. 95

§. VIII.

Conferenze Spirituali ſopra la Povertà Evangelica. ibid.

§. IX.

Critica Animadverſio in Præfatos Authores. 96

CAPUT IX.

Graviores Theologi, qui, improbato peculio, Præceptum exactæ communitatis propugnant. ibid.

§. I.

V. Thomas a JESU. ibid.

§. II.

Joannes Baptiſta Lezana. 98

§. III.

Gabriel a S. Vincentio. ibid.

§. IV.

Joannes Siri O. P. ibid.

§. V.

Innocentius Pencini O. P. 99

§. VI.

Joannes de Paige. 100

§. VII.

Philippus a Domina noſtra Septem Dolorum Auguſtinianus Diſcalceatus, ibid.

§. VIII.

Chriſtianus Lupus. 101

§. IX.

Ludovicus Thomaſſinus. 102

CAPUT X.

Celeberrimi Canoniſtæ, qui poſt Concilium Tridentinum, Monaſtico peculio improbato, exactæ communitatis obſervantiam propugnant. 104

§. I.

Proſper Fagnanus. ibid.

§. II.

Animadverſio in Magiſtrum Vitæ Clauſtralis. 105

§. III.

Eminentiſſimus Cardinalis Petra. 106

§. IV.

Zegerus Bernardus Vaneſpen. 107

§. V.

Anacletus Reiffenſtuel. ibid.

§. VI.

Animadverſio in Magiſtros Vitæ Clauſtralis, & Vindiciarum. *Eorum errores ab omnibus tum Theologis, tum Canoniſtis improbantur.* 108

DISSERTATIO QUINTA.

Quandonam Prælati Regulares in uſu peculii diſpenſare valeant. Regulæ ſervandæ a ſubditis, ne votum paupertatis violent. Cur reformatio exactæ communitatis pluribus in Cœnobiis fuerit hactenus fruſtra tentata. Quam facilis ſit ejuſdem excuſatio, ſi præſcriptæ leges ſerventur. Quam inexcuſabiles Clauſtrales ſint hanc reformationem impedientes.

CAPUT I.

Conditiones juſtæ, licitaque diſpenſationis. Prælatorum diſpenſationes, quæ hodie jactantur, nullæ ſunt. Eorumdem Prælatorum poteſtas juſtis terminis circumſcribitur. 112

C A-

CAPUT II.

Quo in caſu Prælati Regulares diſpenſare cum ſubditis in uſu peculii valeant. 114

CAPUT III.

Quodnam peculium, neceſſitate urgente, Prælati permittere, & ſubditi retinere valeant. Quæ neceſſitas voluntaria & fictitia, & quænam vera. Quidquid benignitatis, & indulgentiæ permitti in hac materia valet. Laxiſſima, & erronea Vitæ Clauſtralis *Doctrina.* 116

§. IV.

Conditiones, quibus circumſcribitur peculii neceſſarii uſus. Regulæ ſervandæ ab illis, qui neceſſitate cogente morantur in Cœnobiis deformatis. Difficilior eſt depoſiti, quam exactæ communitatis obſervantia. 120

§. V.

Superiores, Magiſtri, & Baccalaurei potiſſimum in cauſa ſunt, cur pulſis peculiis exacta rerum cnmmunitas non viget. 125

§. VI.

Quam facilis ſit exactæ communitatis Reformatio. Quam inexcuſabiles Clauſtrales, qui huic reformationi reapſe refragantur. 127

DISSERTATIO SEXTA.

ſeu

ANIMADVERSIONES ANTICRITICÆ

In illam *Vitæ Clauſtralis* Diſſertationem, quæ ſic inſcribitur:

DISSERTATIO VII.

& peculiaris

Adverſus Carolum Antonium Plantamuram *Commentarii duplicis* perſonatum Scriptorem, qua primo ei detrahitur larva: deinde ab eo intentatæ *Raphaeli a Pornaſio* criminationes diſpelluntur. Et *integro Ordini Prædicatorum peculium adſeritur, & vindicatur.* 131

INDEX CAPITULORUM

CAPUT I.

Magiſter Vitæ Clauſtralis *enormiter interpolavit P. Raphaelis de Pornaſio opellam, quam ſuo operi noviter editam attexuit.*

ANIMADVERSIO I. 132

CAPUT II.

De Regula Auguſtiniana detruncata, & Gualvanei Flamma narratione.

ANIMADVERSIO II. 137

ANIMADVERSIO III.

In Gualvaneum Flamma. 138

CAPUT III.

ANIMADVERSIO IV.

In ea, quæ de perenni traditione pecunioſa in ſuo Ord. atque de Congregationum Inſtitutione ſcribit Author Clauſtralis. 141

CAPUT IV.

De Comitiis Generalibus, aliiſque documentis in favorem peculii allatis.

ANIMADVERSIO V. 145

CAPUT V.

De aliis Conſtitutionum textibus.

ANIMADVERSIO VI.

Sole meridiano clarius patet, vi ipſorum textuum, quos allegant adverſarii, ſcelere proprietatis plenâ eſſe peculia, quæ hodie penes ipſos obtinent. Ineluctabili Demonſtratione urgentur, arctantur ſuiſmet textibus Magiſter Vindex, & Magiſter Clauſtralis *ad exterminandam, diriſque devovendam tum VITAM CLAUSTRALEM, tum VINDICIAS Regularium.* 146

CA-

CAPUT VI.

NONNULLÆ ALIÆ ANIMADVERSIONES IN VITAM CLAUSTRALEM.

ANIMADVERSIO VII. 150

ANIMADVERSIO ULTIMA. 152

DISSERTATIO SEPTIMA

Adverſus VINDICIAS in cauſa Paupertatis Monaſticæ editas Neapoli MDCCXL.

CAPUT I.

Synopſis Doctrinæ, quam in Vindiciis Regularium Regius Profeſſor defendit. 153

CAPUT II.

ERROR PRIMUS.

Author Vindiciarum *negat* Præceptum Vitæ communis privati peculii vacuæ. 156

CAPUT III.

ERROR SECUNDUS, TERTIUS, & QUARTUS.

Vindiciarum *Author Regularibus peculium duplex concedendum docet, ut fauces potu cocholatis reſocillent, ut ſolatiis, & oblectamentis indulgeant. Hoc duplicatum peculium ad caritatem accendendam, bonum divinius ſervandum, ſovendamque mutuam Regularium pacem neceſſarium aſſerit. Sit ne doctrina iſthæc ſevera proſcribenda Cenſura, eorum, ad quos pertinet, judicio ſubjicitur.* 159

CA-

CAPUT IV.

ERROR QUINTUS, SEXTUS, & SEPTIMUS.

Profeſſor Regius in titulum Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ debacchatur. Negat communitatem Regularium ab Apoſtolis originem ducere. Duplicem diſtinguit communitatem, Alteram Apoſtolicam, alteram Regularem. Quam proxime accedat Hæreticorum erroribus. 170

CAPUT V.

CALUMNIA PRIMA.

Magnum plagii crimen a Regio Profeſſore Theologo affictum Authori Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ. *Criminis enormitas. Quam ſit ſemperque fuerit quibuſque ſciolis ac loquacibus graculis hoc calumniandi genus ſamiliare.* 184

CAPUT VI.

Aliæ accuſationes repelluntur diffamatio Regularium. Rigoriſmi, & Janſeniſmi accuſatio. Mentis deliquium, aliaque ſcommata. Spiritus Fortis *Regii Profeſſoris. Laudes, quibus ipſe ſe effert, & encomia, quæ illi canunt* Vindiciarum *Cenſores, aliaque nonnulla ſcitu digna.* 194

CAPUT VII.

Commentum de peculio D. Thomæ Aquinatis convellitur. Alia ab erudito quodam oppoſitio facta diluitur. Cardinalis Bellarminus, & Regulares vitæ communis cultores vindicantur. 208

CAPUT VIII.

Nonnulla Magiſtri Vindiciarum documenta, interpretamenta, & authoritates Bellarmini, & Alagona ad examen revocantur. 221

CAPUT IX.

CONCLUSIO ISTIUS DISSERTATIONIS.

Specimen Dialecticæ Regii Profeſſoris ejuſque ſinceritatis. Documenta peculia-

ria, vi quorum evincitur illum ipſum ſacri juris jurandi vinculo aſtrictum eſſe communi vita peculii vacua: illius dicteria monſtroſa. 227

EPILOGUS

UNIVERSI OPERIS

in quo

Palam fit, nullam excogitari in hoc argumento Doctrinam poſſe laxiorem illa, quam Adverſarii docent. Nullam illa benigniorem ſimulque ſanam, quæ tum in Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica, tum in hoc Opere propugnatur. 235

PARS PRIMA.

CAPUT I.

CORPUS DOCTRINÆ

ad ſummum laxæ

Utriuſque Magiſtri Vitæ Clauſtralis, & Vindiciarum. ibid.

CAPUT II.

De mirifica diſtinctione Præcepti STRICTIM, & large accepti. 237

CAPUT III.

CONSECTARIA, quæ Author Clauſtralis ex CORPORE Doctrinæ ſuæ derivat. 239

PARS SECUNDA.

CAPUT I.

CORPUS DOCTRINÆ

Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ, & iſtius Operis. Iterum repellitur Rigoriſmi nota. Nulla benignior, mitiorque Doctrina excogitari poteſt, præ illa, quæ in utroque hoc citato Opere propugnatur. 244

CA-

CAPUT II.

CONSECTARIA

Quæ has propoſitiones conſequuntur. Confeſſione Authoris Vitæ Clauſtralis *Concluſiones Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ veræ ſunt, admiſſis recenſitis principiis.* 247

QUÆSTIO SUMMI MOMENTI.

Utrum Sedis Apoſtolicæ Authoritate expediens ſit legem perfectæ communitatis mitigari, temperari, & peculium aliquod ſeu depoſitum omnibus Clauſtralibus juſtis terminis circumſcriptum concedi? 252

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA.

Demonſtrationes evidentiſſimæ, quibus palam fit, nullius Religionis Diſciplinam conſiſtere diu poſſe abſque exacta Vita Communi. Hac ſublata, & peculio privato invecto, Ordines inordinati evadunt.

Antequam propoſitas demonſtrationes conficio, eruditus Author VITÆ CLAUSTRALIS me cogit, ut demonſtrationes, quas ille in peculii defenſionem exquiſito artificio elaboravit, in medium promam. Si enim oſtendero eaſdem pura, putaque ſophiſmata eſſe, viam mihi paro planiorem ad exactæ communitatis neceſſitatem demonſtrandam. Et ne te plus juſto in limine detineam, ad rem accedo.

CAPUT I.

PLAGIA ABORTIVA,

Seu *Feſtivæ quædam, ludricæque demonſtrationes, quas R. Magiſter* Vitæ Clauſtralis *mirifica ſimplicitate totidem verbis* ex Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica *tranſcriptas in ſuum convaſavit opus, vocibus exactæ* communionis *in* peculii *vocabulum commutatis, ut monſtrum pareret.*

I. QUO in lectione *Vitæ Clauſtralis* ultra progredior, eo mihi incredibilia occurrunt doloris dixerim, an admirationis argumenta. *Clauſtralis Author* noſter mirificum ubique ſe prodit, & dum ſua exhibet, & dum aliena furatur, vix intelligens quænam ſibi faveant, quænam obſint. Verum in iis, quæ hoc in capite narraturus ſum, ſemetipſum, ſive acumen, ſive intrepidum auſum ſpectes, ſuperavit, exceſſit. Plagia litteraria non adeo rara ſunt. Plagia *Authoris Clauſtralis* inaudita, inſolita, & univerſæ antiquitati incognita. Demonſtrationes, quibus Author *Diſciplinæ Monaſticæ* evincit ſervandæ communitatis legem, Magiſter noſter totidem exſcribit verbis ſola fere mutatione vocis *communitatis* in *peculii* vocabulum, ut licitum peculium probet. Ecqui

fieri, inquis, poteſt, ut demonſtrationes in exactæ communitatis confirmationem factæ applicari valeant ad licitum peculii uſum evincendum? Fieri ſane hoc nequit. Et tamen hoc monſtrum factum vidimus a Magiſtro *Vitæ Clauſtralis*. Quamobrem illius *Plagia Abortiva* appellavi. Surreptas quippe demonſtrationes unius, aut alterius vocis mutatione adulteravit, deturpavitque. Quia Factum cujuſque fidei limites tranſilit, compellor ex uno Diſciplinæ Monaſticæ textum, ex altero latere *Vitæ Clauſtralis* plagia Lectorum oculis ſubjicere.

T E X T U S

Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ

Diſſer. 1. *cap. XIX. pag.* 77.

„ I. EA omnia, quæ hucuſque fuſiore calamo dicta ſunt, in „ compendium contracta oculis tuis „ ſubjicere conſentaneum exiſtimavi, „ Lector humaniſsime, ut unico fere „ conſpectu ceu in pellucido ſpeculo „ inconcuſſa *Apoſtolicæ communitatis* „ argumenta, quæ extra cujuſque du„ bitationis aleam eamdem conſti„ tuunt, & *peculiorum vitioſum evincunt* „ *abuſum, reprobatumque*, valeas con„ templari. In mentem itaque tuam „ revoces primum velim Evangeli„ cæ paupertatis conſilium, quod „ Apoſtoli, vetereſque Fideles exſecu„ tioni demandarunt &c.

„ II. Hoc nunc pacto diſſeras ve„ lim. Si controverſia, quæ fidei dog„ ma aliquod tangeret, adeo clariſſi„ mis Scripturæ teſtibus, tam perenni „ tra-

PLAGIUM ABORTIVUM

Vitæ Clauſtralis part. 2.

Diſſ. 3. *cap. V. pag.* 308. *& ſeqq.*

„ I. EA omnia, quæ hucuſque fuſiore calamo dicta ſunt, in „ compendium contracta tuis nunc „ objicere oculis conſentaneum exiſtimavi, Lector humaniſſime, ut „ unico fere conſpectu, ceu in pel„ lucido ſpeculo inconcuſsa *Monaſti„ ci peculii* argumenta, quæ extra „ cujuſque dubitationis aleam *omnis* „ *criminis reatu illud eximunt, ejuſque* „ *honeſtum Neceſſariumque uſum pro„ bant tuenturque*, valeas contempla„ ri. In mentem itaque tuam revoces „ primum velim Evangelicæ pauper„ tatis conſilium, quod *Chriſtus Je„ ſus exemplo docuit, & verbo, ejuſ„ que* Apoſtoli, vetereſque Fideles ex„ ſecutioni mandarunt &c.

„ II. Hoc nunc pacto diſſeras ve„ lim. Si controverſia, quæ fidei dog„ ma aliquod tangeret, adeo clariſſi„ mis Scripturæ textibus, tam perenni „ tra-

Digitized by Google

„ traditione, tot Conciliorum cano-
„ nibus, tot Patriarcharum Regulis,
„ tot Pontificum Decretis ſingulis fer-
„ me ſæculis munita firmataque eſ-
„ ſet, nonne manifeſtæ hæreſeos da-
„ mnaretur quicumque contradice-
„ re auderet? Quamquam autem ar-
„ gumentum, quo de agimus, extra
„ fidei limites divagetur, morale ta-
„ men continet documentum a Chri-
„ ſto propoſitum, in Evangelio exa-
„ ratum, ore tuo ſolemni profeſſione
„ nuncupatum, verbo dicam, maxi-
„ mum ſummumque æternæ ſalutis
„ negotium verſat. Quis igitur tantæ
„ temeritatis, ut veritati adeo mani-
„ feſtæ ſe ſe opponere, ſuamque æter-
„ nam ſalutem diſcrimini adeo evi-
„ denti committere non reformidet?

„ III. Agedum. Revolvito omnia
„ documenta, quæ hac in diſſertatio-
„ ne produximus, eaque mente præju-
„ diciis vacua expendito. Non modo
„ peculia damnata invenies, ſed fal-
„ lacias, tergiverſationes, ſubterfugia
„ omnia, quibus communitas Apoſto-
„ lica inumbrari ſolet, contrita repe-
„ ries. Percurre tumetipſe Patrum
„ omnium, Theologorum, Canoni-
„ ſtarum, atque Summiſtarum volu-
„ mina, & ſi aliquam reperturus ſis
„ interpretationem, quæ documenta
„ laudata ſolido fundamento in pecu-
„ liorum favorem inflectat, manus
„ victas

„ traditione, tot Conciliorum Canoni-
„ bus, tot Patriarcharum Regulis, tot
„ Pontif. Decr. munita firmataque eſ-
„ ſet, non ne manifeſtæ hæreſeos dam-
„ naretur quicumque auderet contradi-
„ cere? Quamquam autem argumen-
„ tum, quo de agimus, extra fidei limites
„ divagetur, *morale tamen continet docu-*
„ *mentum a Chriſto propoſitum, in Evan-*
„ *gelio exaratum, ore tuo ſolemni profeſſio-*
„ *ne Deo nuncupatum*, verbo dicam, ma-
„ ximum, ſummumque æternæ ſalutis
„ negotium verſat. Quis igitur tantæ
„ temeritatis, ut veritati adeo manife-
„ ſtæ ſe ſe opponat, *pravaque ſua opi-*
„ *nione id arctare velit, & quod indultum*
„ *permiſſumque eſt, indultum permiſſum-*
„ *que nolit, omniumque fere Clauſtralium*
„ æternam ſalutem diſcrimini adeo evi-
„ denti committere non reformidet?

„ III. Agedum. Revolvito omnia do-
„ cumenta, quæ in hac diſſertatione
„ produximus, eaque mente præjudiciis
„ vacua expendito, *non modo tolerata*
„ *peculia invenies, ſed firmis & in-*
„ *violabilibus legibus conceſſa*. Percur-
„ re tumetipſe Patrum omnium, Theo-
„ logorum, Canoniſtarum, atque Sum-
„ miſtarum volumina, & ſi ſupra mil-
„ le reperturus non ſis interpretatio-
„ nes, quæ ſolido fundamento, juxta
„ laudata documenta, peculio non fa-
„ veant, manus victas nos daturos ſpon-
„ demus. Fidentiſſima Trithemii ver-
„ ba (cap. 5. de prop.) *Revolvamus*
„ *omnium*

„ victas nos daturos ſpondemus. *Revolvamus*, inquit Trithemius, *omnium Sanctorum Patrum ſcripta, & Regulas, & numquam inveniemus Monacho peculium ullatenus permiſſum: omnes enim hoc vitium damnant: omnes proprium Monacho prohibent: omnes in communi vivere renunciantes ſæculo præcipiunt.* „

„ *omnium Sanctorum Patrum ſcripta, & Regulas, & numquam inveniemus Monacho peculium fuiſſe permiſſum: omnes enim hoc vitium damnant: omnes Monacho proprium prohibent: omnes in communi vivere renunciantes ſæculo præcipiunt.* „

„ IV. Ananias Proprietariorum Coriphæus &c. *lege quæ ſequuntur loc. cit.*

„ IV. Merito Ananias Proprietariorum Coriphæus &c. „ *lege quæ ſequuntur.*

„ V. Quo nunc ſe ſe vertant, quidve reponere valeant &c. *lege quæ ſequuntur.*

„ V. Quo nunc ſe ſe vertat, quid reponere valeat &c. „ *legeſis &c.*

„ VI. Ex his ineluctabilibus poſitionibus conſequutio manifeſta ſuapte natura fluit &c. „ *lege, ſi per otium licet, quæ ſequuntur.*

„ VI. Ex his ineluctabilibus poſitionibus conſecutio manifeſta ſuapte natura fluit &c. „ *legeſis &c.*

TEXTUS ALTER

Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ

Differt. 2. cap. IV. pag. 105.

Demonſtratio I.

„ I. Antequam hęc rationum momenta propono, animadverto ſeu in memoriam revoco, votum paupertatis non ſolum juxta ſuam genericam acceptionem latitudinem admittere, ſed ipſummet votum ſolemne gradus ſuos excipere, ſolaque voventis intentione in determinato gradu conſtitui &c. „ *legeſis quæ ſequuntur.*

T E-

PLAGIUM ABORTIVUM ALTERUM

Vitæ Clauſtralis p. 2. Diſs. VI. pag. 388.

Demonſtratio I.

„ I. Antequam hæc rationum momenta propono, animadverto ſeu in memoriam revoco, votum paupertatis non ſolum juxta genericam ſuam acceptionem latitudinem admittere, ſed ipſummet votum ſolemne gradus ſuos excipere, ſolaque voventis intentione in determinato gradu conſtitui &c. „ *legeſis quæ ſequuntur.*

PLA-

Digitized by Google

pe quæ etiam poſt Tridentinum, & decreta Clementis VIII. approbavit plures Regulas Ordinum Regularium, in quibus conceditur uſus peculii, ſeu depoſiti, ut videri poteſt in Regula F. F. Eremitarum S. Auguſtini approbata a Gregorio XIII. in Regula, & Conſtitutionibus F. F. S. Mariæ de Mercede approbatis ab Innocentio XII. in Conſtitutionibus Servorum B. Mariæ Virginis approbatis a Gregorio XIII. & in Conſtitutionibus Regularium Clericorum Minorum approbatis a Paulo V. aliiſque. Quapropter, ſi viventes ſub talibus Regulis, & utentes peculio ſunt in ſtatu peccati mortalis, & damnationis æternæ; plane conſequitur, non ſolum tolerare, & permittere, ſed approbare Regulas, quæ inferunt ſtatum peccati mortalis, & damnationis æternæ.

III.

PAg. 370. Cap. 12. fuſe docet, Summos Pontifices, & Congregationem ſuper Diſciplina Regulari, ad reformationem promovendam Regularium teneri, *eodem titulo, & eo fortius inferioribus Prælatis Regularibus, quo ſunt majore poteſtate prædîti.*

CENSURA.

Paulo autem ſuperius pag. 365. docuerat

ponis? Quid aliorum Ordinum extorta Pontificia Diplomata obtrudis, ut peculium ab Authore *Vitæ Clauſtralis* pro ludis, pro ſolatiis, pro muneribus &c. invectum propugnes? Hæc omnia ſupra latius diſcuſſa ſunt, pigetque actum reagere. Vide quæ hac de re in Differt. præſertim ſecunda diximus.

§. IV.

Cenſura in tertiam Cenſuram.

OH largitor bonorum omnium, & mentis Deus! Verax tandem, & ſincerus eſt Magiſter Theologus. Nihil in excepta hac doctrina Adverſario affingit. Recognoſcit is, & ut ſuam adoptat doctrinam hic n. 111. tranſcriptam ex pag. 370. cap. 12. Sed cenſuram non Theologo, non homine ratione prædito dignam deridet, rejicit, execratur. Quid? Non adſtringitur Pa-

cuerat, Prælatos Regulares, ſi relaxatam ſuam Religionem ad obſervantiam Regulæ, & Conſtitutionum pro viribus revocare non conantur, in continuo verſari ſtatu peccati mortalis.

Igitur a fortiori in ſyſtemate Authoris ſunt in ſtatu peccati mortalis Pontifices, & Cardinales Congregationis &c., qui reformationem non promovent ad ejus mentem, cum eodem titulo ad id teneantur, quo Prælati Regulares.

Quæ doctrina eſt falſa, piarum aurium offenſiva, & injurioſa pluribus Summis Pontificibus, qui juſtis ac prudentibus rationibus eam reformationem non promoverunt.

terfamilias domus ſuæ, Rex ſui Regni, Prior ſui Conventus, Provincialis ſuæ Provinciæ, Generalis ſui Ordinis, Pontifex Eccleſiæ abuſus, corruptelas, & laxitates, pro viribus, & prout temporum conditio fert, corrigere, & reformare, & bonum commune promovere? Non adſtringuntur hi omnes, prout temporum ratio patitur, collapſam inſtaurare Diſciplinam, non virtutum officia excolere, non gregem ſibi commiſſum paſcere, non Sacrarum legum depoſitum cuſtodire? Nequaquam, reponere debet Magiſter Theologus juxta Cenſuram ſuam. Quin doctrinam, quæ id evincit, ſi ipſum audimus, *falſa eſt, & piarum aurium offenſiva, & injurioſa pluribus Summis Pontificibus.* Sed cur *Pluribus*, & non omnibus Pontificibus injurioſa eſt præfata doctrina? Quia plures eam reformationem non promoverunt. Neglecti ergo Miniſterii Pontifices plures accuſas? Minime, reponit: quoniam *juſtis, ac prudentibus rationibus* eam omiſerunt reformationem. *Si juſtis, ac prudentibus rationibus*, nempe, ut majora incommoda, & ſcandala vitarent, invehere reformationem omiſerunt, abſolute igitur tenebantur eamdem procurare. Quid ergo, Magiſter Theologiæ, doctrinam naturæ lumine univerſo generi humano perſpectam, ut *falſam, & aurium piarum offenſivam* traducis, & calumniaris? Calamum ſiſto, ut pudori tuo parcam.

I V.

CAp. XII. pag. 373. docet, Reges, Principes, Reſpublicas, & Magiſtratus ſæculares omnes debito juſtitiæ, & charitatis opem ferre teneri, ut collapſa in ſuis ditionibus Regularis Diſciplina inſtauretur.

CENSURA.

Si Author dixiſſet cum Concilio Tridentino Principes Sæculares teneri auxilium præſtare Superioribus in reformationis executionem, *quoties fuerint requiſiti*, optime, & prudenter, & quam vere dixiſſet.

At propoſitio illa ſine adjecta conditione expreſſe eſt male ſonans, & videtur injurioſa Poteſtati, atque Juriſdictioni Eccleſiaſticæ.

Plus vero tribuit Poteſtati laicæ, pag. 381. num. 14., ubi hæc ſcribit: *Principibus Regibuſque incumbit pro viribus curam omnem adhibere, ut ſubditorum ſuorum* legata *juxta Teſtatorum voluntatem executioni fideliter demandentur*. Ubi manifeſte loquitur de legatis piis, quæ a fidelibus relinquuntur Cœnobiis Regularium. — At illorum executionis judicium non ad Principes Sæculares, ſed Eccleſiaſticos

§. V.

Cenſura in quartam Cenſuram.

HActenus Magiſter Theologus modo doctrinam proprio cerebro confictam Adverſario ſuo affinxit, modo pro Cenſuris errores oppoſuit. Nunc utrumque egregie præſtat. *Si Author*, inquit, *dixiſſet cum Concilio Tridentino Principes ſæculares teneri auxilium præſtare Superioribus in reformationis executionem*, quoties fuerint requiſiti; *optime, & prudenter, & quam vere dixiſſet*. Atqui integer Concilii Tridentini textus, in quo præfata verba, *quoties fuerint, requiſiti*, continentur, tranſcriptus eſt in Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica. Ergo calumniam loco Cenſuræ contorquet ille in Adverſarium. Legant, velim, omnes integrum laudatum caput pag. 373. & 374. ut evidentius deprehendant P. Magiſtri Theologi ingenium. Nil ibi, quod non ſit ex ſacroſancto Concilio derivatum.

„ At plus tribuit, ſubdit Magiſter
„ Theologus, Poteſtati laicæ, quam
„ par ſit. Quoniam hæc habentur in
„ Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica:
„ *Principibus Regibuſque incumbit pro*
„ *viribus curam omnem adhibere, ut*
„ *ſubditorum ſuorum legata juxta Te-*
„ *ſtatorum voluntatem executioni fideli-*
„ *ter demandentur*. Porro iſtorum exe-
„ cutio-

Digitized by Google

ſticos privative pertinet. Eſt ergo ea propoſitio abſolute falſa, periculoſa, & læſiva immunitatis Eccleſiaſticæ.

„ cutionis judicium ad Eccleſiaſticos „ pertinet. Eſt ergo laudata propoſitio „ falſa, periculoſa, & læſiva immu- „ nitatis Eccleſiaſticæ. „ Hæc ille.

Dolet mihi ſummopere, Magiſter Theologe, quod calumniæ crimen tibi exprobrare toties cogar. Verum, non ut confundam te, hæc ſcribo, ſed ut reſipiſcas. Audi ergo quæ citata pagina, & eodem numero paucas poſt lineas ſcribit Author Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ: *Omnes tamen affirmant, Principes, Reges, & Magiſtratus teneri operam ſuam præſtare, ſeu Pontificibus, Epiſcopis, & Prælatis auxilium ferre, ut Cœnobia illa reformentur, ut ſubditorum ſuorum teſtamenta, & legata juxta piam, juſtam, legitimamque eorum[illegible]tionem, & voluntatem executioni demandentur.* Prævenit Author Diſciplinæ laudatæ omnes æmulorum cavillos, & fraudes. Quid quod ſub illius Capitis initium pag. 374. admonet Principes, ut in reformationis negotio opem ferant *ſecundum Tridentinæ Synodi adhortationem.* Legito Principum Regumque, qui ad Pontifices pro reformatione acceſſerunt, exempla ibidem adducta pag. 386. & ſeq. Lege finem Capitis pag. 388. ubi hæc iterum inculcantur: *Ad Principes Regeſque etiam attinet .... ut Sacerdotes omnes per ſuos Prælatos in ſemitam revocentur, ſuppetias ferre.*

Quid ad hæc, Magiſter Theologe? An

TEXTUS DISCIPL. APOSTOL. MONAST.

Demonſtratio II.

pag. 107.

„ I. UT ad ultimum demonſtrationis gradum argumentum „ meum urgeam, percurras velim uni„ verſæ Monaſticæ Diſciplinæ Hiſto„ riam. Communi Vitæ in Apoſtoli„ co Collegio ortæ coevum fuit pro„ prietatis crimen &c. „

„ II. Ex quibus ſic inſtauro argu„ mentationem meam. Ex præterita „ experientia didicerant Sanctiſſimi „ Ordinum Patriarchæ, peculiorum „ uſum ſcopulum extitiſſe, ad quem „ Monachorum fragilitas alliſerat, „ frequentiuſque naufragium paſſa erat. „ Cedo, cur lapidem hunc offenſionis „ non ſuſtulerunt? Difficilem com„ munis vitæ obſervantiam ex una „ parte intuebantur, graſſantes pecu„ liorum abuſus ex altera &c.

„ III. Dicas nunc iterum velim, „ cur cætera Diſciplinæ Monaſticæ „ ſtatuta tot viciſſitudines experta „ ſunt, totque mutationes, ut quæ „ optima uni Ordini viſa ſunt, alte„ ri minus conſentanea apparuerint? „ &c. Nonne hinc colligitur quam „ ſolidum ſit illud pronunciatum: „ *Tolle Communitatem, & ſuſtuliſti Re-*

li-

PLAGIUM VITÆ CLAUSTRALIS.

Demonſtratio II.

pag. 389.

„ I. UT ad ultimum demonſtrationis gradum argumen„ tum meum urgeam, percurras velim „ univerſæ Clauſtralis Diſciplinæ Hi„ ſtoriam. Communi vitæ coevum „ ſemper fuit *peculium* &c. „

„ II. Ex quibus ſic inſtauro argu„ mentationem meam. Ex præterita „ experientia didicerunt Ordinum Re„ ctores, peculiorum uſum ſuis inclu„ ſum limitibus, ſuiſque cautionibus „ cuſtoditum Clauſtrali Diſciplinæ ni„ hil plane obeſſe, profuiſſe immo „ quandoque plurimum. Cedo, cur „ igitur uſum hunc non ſuſtulerunt? „ Difficilem *ac pene impoſſibilem*, quæ „ diuturna ac perpetua foret, com„ munis vitæ ſine peculio obſervantiam „ ex una parte intuebantur, ſimulque „ peculiorum abuſus ex altera &c. „

„ III. Dicas nunc iterum velim, „ cur omni ætate in omnibus fere Or„ dinibus aliquid ſemper, aut quum „ neceſſitas, aut utilitas poſtulabat, „ privatim conceſſum ſit, & inter ipſos „ primos Hieroſolymitanos tempore „ Apoſtolorum peculium fuerit per„ miſſum &c. Hinc propterea claret „ quam futile pronuntiatum illud Con-

cinia-

„ *ligionem. Tolle Communitatem, &*
„ *Religio non eſt Religio, non ſtatus*
„ *perfectionis, ſed confuſionis, & da-*
„ *mnationis.* „

„ cinianiſtice intellectum: *Tolle Com-*
„ *munitatem, & ſuſtuliſti Religionem.*
„ *Tolle Communitatem, & Religio non*
„ *eſt Religio, non ſtatus perfectionis,*
„ *ſed confuſionis, & damnationis.* Quam
„ vero ſolidum illud: *Tolle Peculium,*
„ *quando utilitas, aut neceſſitas poſtu-*
„ *lat, & ſuſtuliſti Religionem. Tolle*
„ *peculium caute adhibitum, & Religio*
„ *non eſt Religio, non ſecuritatis por-*
„ *tus, non tranquillitatis ſtatio.*

TEXTUS DISCIPLINÆ APOSTOLICO-MONASTICÆ

Demonſtratio III.

pag. 109.

„ I. AD ea probanda, quæ ex libe-
„ ra hominum voluntate pen-
„ dent, remque meri facti inſpiciunt,
„ momenta a ratione petita aliquan-
„ do minus apta exſiſtunt. Id tamen
„ ſemper haudquaquam evenit; ſed
„ frequentius rationes validiſſime evin-
„ cunt, homines, quamvis liberos, ex
„ quo tamen ſecundum æquitatis &
„ prudentiæ regulas agere tenentur,
„ debuiſſe tales, & non alias conde-
„ re leges. Quare admiſſa hypotheſi,
„ quod Sancti Patriarchæ Religiones
„ inſtituere voluerint eo fine, ut ſcho-
„ læ eſsent perfectionis Evangelicæ,
„ media, quæ ad hunc finem aſſe-
„ quendum Chriſtus ipſe præſcripſit,
„ ejuſque Diſcipuli executioni manda-
„ runt,

PLAGIUM VITÆ CLAUSTRALIS

Demonſtratio III.

pag. 391.

„ I. AD ea probanda, quæ ex li-
„ bera hominum voluntate
„ pendent, remque meri facti inſpi-
„ ciunt, momenta a ratione petita
„ aliquando minus apta exſiſtunt. Id
„ tamen ſemper haudquaquam eve-
„ nit; ſed frequentius rationes vali-
„ diſſimæ evincunt, homines, quamvis
„ liberos, ex quo tamen ſecundum
„ æquitatis & prudentiæ regulas age-
„ re tenentur, debuiſse tales, & non
„ alias condere leges. Quare admiſ-
„ ſa hypotheſi, quod Sancti Patres
„ Religiones inſtituere voluerint, eo
„ fine ut ſcholæ eſsent perfectionis E-
„ vangelicæ, media, quæ ad hunc fi-
„ nem aſſequendum Chriſtus ipſe præ-
„ ſcripſit, ejuſque Diſcipuli executio-
„ ni

„ runt, eos quoque præcepiſse neceſ-
„ ſum fuit. Porro perfectio Evangeli-
„ ca nutritur caritate &c. „

„ II. Liceat nunc mihi hanc con-
„ ficere argumentationem. In quoli-
„ bet præcepto, non verborum tan-
„ tum nuda ſuperficies, non ſola cor-
„ tex exterior, ſed potiſſimum Legiſ-
„ latoris finis atque intentio, quæ
„ medulla eſt, & anima legis, animo
„ præjudiciorum vacuo meditanda eſt,
„ ut omnes docent Theologi cum D.
„ Thoma 1. 2. q. *96*. a. *6*. Quem au-
„ tem fugit, in præcepto communita-
„ tis expreſſiſſimam Patriarcharum in-
„ tentionem eſſe, peculia omnia tan-
„ quam eidem communitati infeſta
„ penitus convellendi? &c.

„ III. *pag*. 111. Ut propoſita de-
„ monſtratio evidentius pateat, quæ
„ latius diſputata ſunt in tres con-
„ traho propoſitiones. *Prima*. Omnes
„ Patriarchæ ideo ſacros Ordines in-
„ ſtituerunt, ut Religioſi cœleſtem,
„ quam Chriſtus conſuluit, perfectio-
„ nem compararent. *Secunda*. Via
„ potiſſima, quæ ad hanc aſſequen-
„ dam perfectionem ducit, eſt tem-
„ poralium bonorum communitas.
„ *Tertia*. Ergo Patriarchæ ſacros Or-
„ dines

„ ni mandarunt, eos quoque præce-
„ piſſe neceſsum fuit. Porro perfectio
„ Evangelica nutritur caritate. &c. „

„ II. In quolibet præcepto non ver-
„ borum tantummodo ſuperficies, non
„ ſola cortex exterior, ſed potiſſimum
„ Legiſlatoris finis, atque intentio,
„ quæ medulla eſt & anima legis,
„ animo præjudiciorum vacuo medi-
„ tanda eſt, ut omnes docent Theolo-
„ gi cum D. Thoma 1. 2. q. *96*. a. *6*.
„ Quem autem latet, non eam fuiſse
„ in communitatis præcepto Patriar-
„ charum intentionem, ut ſeveriorem
„ paupertatem Clauſtralibus ſuis præ-
„ ſcriberent, quam id, quod Chriſtus
„ Jeſus conſuluit, & exſecutioni man-
„ darunt Apoſtoli, peculia nimirum,
„ quęcumque etiam ad uſus honeſtos
„ & neceſſarios tanta ſeveritate in-
„ terdicendo, ut eorum permiſſio vo-
„ luntariæ paupertati e diametro op-
„ poneretur &c.

„ III. *pag*. 392. Ut propoſita demon-
„ ſtratio evidentius pateat, quæ dicta
„ ſunt in tres contraho propoſitiones.
„ *Prima*. Omnes Patriarchæ, dum ſa-
„ cros Ordines inſtituerunt, id tantum
„ in ſuo habuere animo, ut Religioſis
„ ad ſalutis portum, & perfectionis
„ metam faciliorem & expeditiorem
„ viam pararent, ſolliciti, ne quid
„ gravius, quam par eſt, alicui impo-
„ nerent. *Altera propoſitio*. Onus gra-
„ viſſimum foret, ſi communitatem
„ cu-

„ dines inſtituentes in finem acqui- „ rendæ Evangelicæ perfectionis, haud „ poterant non præcipere communem „ vitam. „

„ cujuſcumque peculii expertem ſub „ graviſſimo poſuiſſent præcepto. *Tertia*. Ergo Patriarchæ ſacros Ordines „ inſtituentes, communitatem cujuſcumque peculii vacuam ſub præcepto non poſuerunt. „

§. UNICUS.

ANIMADVERSIO

In recenſita Plagia Authoris Vitæ Clauſtralis.

I. Vitio minime verto Authori *Vitæ Clauſtralis* plagia, quæ hactenus recenſui. Leviora hæc ſunt, quam ut tanto Magiſtro exprobrare debeam. Crimen, quod in præfatis plagiis deprehendo, in eo ſitum eſt, quod argumenta ex Scripturarum Oraculis, Patrum, & Patriarcharum Regulis, Conciliorum Decretis, Pontificum Conſtitutionibus, quæ in Communitatis Apoſtolico-Monaſticæ confirmationem allata fuerunt, totidem verbis ſuffuratus ſit, eaque incredibili inſcitia, ut mitiſſime loquar, detorſerit ad hęc errorum portenta imperitis ſuadenda. Quænam hæc ſunt? Quæ capite ſuperiore deſcripſi, videlicet, Peculium eſſe a Chriſto propoſitum, ab Apoſtolis in proprio Collegio permiſſum, in Evangelio exaratum, a Regulis Monaſticis, a Conciliis, a Pontificibus indultum, quod denique Clauſtrales ſolemni Profeſſione Deo nuncupant. Hæc Monſtra videntur, quæ Catholicorum nemo adhuc ſomniavit. Non ergo, ut plagiorum fontem R. Magiſtrum carpo, vellicoque, apprime ſciens, illum haudquaquam alienis plumis indigere, ut ſplendidam ſuam confingant orationem. Sed illud reprehendo, quod furto uſus ſit, ut tam immania paradoxa in publicam emittere lucem non reformidaverit.

C A-

CAPUT II.

Sophiſmata perpetua, quibus RR. Magiſtri cavillantur voces communitatis, proprii, & peculii, neceſſarii, ſuperflui, *denuo refelluntur. Simili arte uſi Hæretici ſunt, ut Catholicas veritates obnubilarent, eliminarentque.*

I. ABſit tantum a me ſceleris, ut RR. Magiſtros, quos morum integritate ornatos, & Catholicæ Religionis aſſertores & vindices colo, ſuſpicioque, Hæreticis comparem. Eam dumtaxat argumentationis formam adhibeo, quæ plurimum manifeſtandæ veritati conducit, ſalvo ſemper obſequio, officioque Religioſis viris debito.

II. Quam ſolemne Hæreticis ſemper fuerit ſub vocum ambagibus Sacroſancta Trinitatis Myſteria, Verbi Divini cum Patre æqualitatem, Incarnationem, & plurima alia Catholicæ Religionis fundamenta, & capita prima implicare, extenuare, ac tandem de medio tollere, vel mediocriter eruditis compertum eſt. Idque in Recentioribus Hæreticis evidentius patet. Stolidæ hæreſeos poſtulatus Calvinus, quod libero arbitrio deſtitutum hominem aſſerat, perfracte negat, & pro hæretico ſe habere teſtatur quemcumque, liberum in homine non admittit arbitrium. Et ut ab hæreſis nota ſibi caveat, vaſerrima calliditate arbitrii vocem cavillatur, ut, retento vocabulo, rem ipſam exterminet. Audiamus ipſum in Reſponſione ad Albertum Pighium *lib.* 2. *Liberum eſſe arbitrium & fateor, & conſtanter aſſevero, ac pro hæretico habeo quiſquis ſecus ſentiat.* Liberum ergo arbitrium admittis in facultate indifferenti ſitum, qua homo ceu Dominus, ſuique juris ita eligit unum extremum, ut non neceſſario eligat, ſed oppoſitum agere valeat? Non eſt hæc, reponit Hæreſiarcha, vera arbitrii notio. Quænam ergo? Ut coactioni opponatur. *Si coactioni opponitur*, inquit, *libertas, liberum eſſe arbitrium fateor . . . . Si hoc in ſenſu liberum vocetur, quia non cogatur, aut violenter trahatur externo motu, ſed ſponte agatur ſua, nihil moror.* En hæreſim ſub vocabuli ambage involutam.

II. Preſſus Calvinus a Pighio authoritate omnium Patrum, qui hominis libertatem non a coactione modo, verum etiam a neceſſitate immunem acerrime propugnant, reponit, Patres de primi hominis innocentis libertate loqui, ſecus de homine lapſo. *Quid autem Origenes? Eos pronuntiat hæreticos,*

qui liberum homini arbitrium auferunt. Si de prima naturæ conditione loquitur, nihil affert, quod non ipſi quoque profiteamur.

III. Tandem ad incitas redactus Calvinus potiſſimum Divi Auguſtini acutiſſimis calcaribus, hominem quoque lapſum libertate ad utrumlibet indifferenti præditum eſſe, reponit homo ſubdolus, Auguſtinum aut indulſiſſe conſuetudini illius temporis, aut de libertate non homini inſitæ, ſed per gratiam collatæ loqui. *Non diſſimulavi in Inſtitutione recurrere idemtidem nomen hoc in ejus ſcriptis, ſed conſiderandum admonui, quam vim haberet . . . Obtinuerat jam vulgo vocabulum illud, ut in eo tollendo plus ſibi fore negotii cerneret Auguſtinus, quam in tota re bene explicanda. Cedit igitur Conſuetudini &c.* His effugiis, dolis, & fraudibus niſus Hæreticus eſt ſuam infucare hæreſim, cujus non ob aliud memini, niſi ut indicarem, quam conſuetum ſemper fuerit cuique veritatis oſori, errores vocum cavillatione obtegere.

IV. Videamus modo, num iiſdem cuniculis inſiſtant adverſarii. Cum ipſis opponimus, Patres omnes damnantes *peculium*, reponunt, peculium intellectum ab illis loco *proprii*. Cæterum peculium ad uſum revocabilem conceſſum vel ipſos Apoſtolici Collegii Alumnos habuiſſe.

V. Cum inſtamus Patres, & Theologos nomine *proprii*, & *peculii* idem prorſus ſignificaſſe, illorumque textus adducimus. Tum, ut Calvinus de Auguſtino, reponunt loquutos fuiſſe juxta conſuetudinem illius temporis, & abuſus peculii, non moderatum peculii uſum debitis cancellis coarctatum improbaſſe, ut potiſſimum ſcribit Magiſter *Clauſtralis* pag. 328. Trithemio ipſi peculium affingens, ut ſuo loco videbimus.

VI. Poſtremum, dum perennem opponimus Eccleſiæ Traditionem, Patriarcharum, Conciliorum, & Pontificum voce omnium ſæculorum ſerie reſonantem, qua *Præceptum* exactæ communitatis imponitur, urgetur, inculcatur; cavillantur vocem communitatis, dominii, & uſus: perfectæ, & imperfectæ, quæ a peculio non abhorreat. Paſſim, & continue præceptum exactæ communitatis pernegant: deinde peculium non audent admittere, niſi clauſulis pluribus adjectis.

VII. His cavillis, vanis commentis, confictiſque chimæris tota innititur adverſariorum diſputatio, ut ex eorum continua oratione patet. Ego ſub initium diſputationis hæc omnia in anteceſſum exſuflavi. Verum, quia perpetuo hanc eamdem recoquunt crambem, idcirco cogor illam pluries refutare,

tare, atque in lectoris memoriam, tam inſinceram, & abſit verbo invidia, tam doloſam diſputandi rationem revocare.

VIII. Rurſus itaque dico, non aliam a Conciliis, a Pontificibus imperari, non aliam a nobis defendi communitatem, quam illam ipſam, quæ præſcribitur in omnium Patriarcharum Regulis: ſeu illa communitas a nobis defenditur, quam reapſe millia millium utriuſque ſexus Regularium in praxi ſervant. Quæ communitas in hoc ſita eſt: ut omnes Fratres tam ſani, quam infirmi ex eodem cellario nutriantur: & ex eodem veſtiario accipiant veſtes neceſſarias, non pecuniarum taxatam ſummam. Et viciſſim Fratres omnes quid quid acquirunt, ſive concionibus, ſive lectionibus, ſive quacumque excogitabili via, in rem communem redigant, ut inde omnibus, prout cuique opus fuerit, provideatur. Hæc eſt communitas diſputationi noſtræ ſubiecta. Hæc eſt communitatis Monaſticæ notio juxta omnium Chriſtianorum, nedum Regularium Reformatorum ſenſum. Hanc communitatem præcipit Tridentinum, eamque totidem verbis deſcribit Clemens VIII. & hanc ſe præcipere communitatem cum Tridentino teſtatur.

IX. *Magiſter* ergo *Clauſtralis* cum ſuo Commilitone Magiſtro *Vindice* dum continenter cavillatur, vociferatur communitatem *Concinianiſticæ* intellectam, communitatem ad *Concinianum Criterium* exactam, omnibus honeſti diſputatoris legibus nuncium remittit, ſophiſtam agit, imponit, illudit, ſeducitque imperitos, latebras veritati, tenebras luci meridianæ incredibili auſu offundit. Quoniam, ut dixi, & millies repetam, non aliam nos promovemus rerum communitatem, quam non Regulæ modo omnes, ſed vel ipſa Regularium Reformatorum praxis ob omnium oculos perhibet. Excuſatione quapiam digni RR. Magiſtri eſſent, ſi alicujus metaphyſicæ quæſtionis notiones circumvenirent, involverent. At cum cauſæ noſtræ materia ſenſibus, oculis, manibuſque ſubjecta ſit, non video, qui graviſſimas eruditorum omnium reprehenſiones declinare valeant.

X. Perſpicuam quoque *peculii* notionem dedimus, & *proprii*. Illud *peculium*, ſive *proprium* appellamus, quod non de communi Patrimonio confertur, ſed ſeparatim retinetur, & peculiari via, aut titulo a Clauſtrali acquiritur. Et quamvis proprium voce tenus latius excurrere, & quidquam gravius præferre videatur, cum abſolutum dominium claudat; revera tamen eumdem, ac peculium, ſenſum prodit. Nam & *peculio* non ſecus ac *proprio* natura ſua dominium ineſt. Nemo umquam in diſputationem vocavit, num

ſive *proprium* ſive *peculium* quantum ad dominium Regularibus competat. Totius controverſiæ cardo in eo vertitur, utrum Regulares ita exactæ communitati devincti ſint, ut vetitum eiſdem ſit ex licentia Prælati quidpiam non de communi collatum, ſed propria induſtria acquiſitum retinere quantum ad *uſum Facti* ſive ſub voce *proprii*, ſive ſub voce *peculii*. Hanc vocum varietatem, quando de re convenimus, ſoli amentes opponere valent, ut a lege communitatis Clauſtrales ſolvant. Bona peculiaria permitti a Prælatis ſubditis ſive ſub voce *peculii*, ſive ſub voce *proprii*, etiam *quantum* ad *uſum Facti*, abſolute vetitum. Ab hac lege, ſola vera, & realis neceſſitas, ſicut a qualibet alia poſitiva lege, excuſat. Uſus ſive *proprii*, ſive *peculii* neceſſitate alendæ, & induendæ vitæ conceſſus a Prælato, licitus eſt. Quin, hac in hypotheſi, tenetur Prælatus, dum ipſe ex communi ſubditos non alit, indulgere, ut ipſi ſibi proſpiciant. Videndum poſtea eſt, utrum tam Prælati, quam ſubditi graviſſime peccent, quod auferre deliberate negligant hanc habendi, & permittendi *proprii*, ſeu *peculii* neceſſitatem. Id autem infra palam fiet.

XI. Quamquam ſub diſputationis initium hæc omnia ſuſius explicata fuat; tamen quia ſingulis fere paginis RR. Magiſtri adverſarii harum vocum ambagibus implicare cauſam exquiſita arte ſtudent, operæ pretium exiſtimavi veras, nitidaſque vocum in oranda cauſa adhibendarum notiones, iterum perſtringere, & in lectorum oculos ingerere, ne decipis ſinant a ſophiſtica diſputandi forma. Vitium prolixitatis ipſe ſentio. At nullus dubito, quin lector veniam dabit, quoties animo ſerio cauſæ impeditiſſimæ & infinitis propemodum cavillorum involucris obnoxiæ qualitatem reputaverit.

CAPUT III.

Propulſatur atrox calumnia a RR. Magiſtris impacta Authori Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ, quod æternæ damnationis reos poſtulaverit OMNES laxioris Diſciplinæ alumnos: quod in nullo caſu licitum peculii uſum doceat. Quomodo verum ſit iſtorum paucos reapſe ſervare, & plurimos violare paupertatis votum.

I. QUoniam RR. Magiſtri adverſarii ratione nequeunt, arte vincere cauſam ſtudent. Invidiam, odiumque ingens creant Authori Diſci-

Diſciplinæ Monaſticæ, enormem illi ſtruendo impoſturam, quod omnes collapſæ Diſciplinæ Clauſtrales gehennalibus flammis addicat. Quam ſint Magiſtri noſtri veraces, dum ſingulis fere paginis id vociferantur, pauca ex plurimis, quæ ubique occaſione data, præmittit, inculcatque præfatus Diſciplinæ Monaſticæ Author. Pag. 203. hæc ſcribit.

„ II. In Religionibus collapſæ Diſciplinæ reperiuntur Religioſi aliqui, „ qui *votum paupertatis ſervant*, *qui pietate*, *obſervantia Monaſtica*, *caritate*, *& ſanctitate fulgent*. Quoniam iſti non ſponte, & libere in occa- „ ſione perſiſtunt habendi peculium, & violandi ſive præceptum, ſive vo- „ tum communitatis: ſed ferventiſſimo ſpiritu communitatem, & univer- „ ſæ Diſciplinæ reformationem optant, inhiant, & prout eorum fert con- „ ditio, procurant, manuſque ad id, data occaſione, porrigerent. Neceſ- „ ſitate alendæ, induendæque naturæ coacti moderatum peculium quando- „ que retinent; ſed ſublevata indigentia, qua premuntur, ſi quod ſupereſt, „ totum communitati immiſcendum tradunt. Paupertatem reapſe ſeverio- „ rem quam iimetipſi, qui in communi vivunt, experiuntur tum in victu, „ tum in veſtitu. Pauci tamen ſunt, ut experientia didici, & rationes „ evidentiſſimæ demonſtrant. Pauci iſti, vel ob infirmitatem, *vel ob alia* „ *impedimenta* ad Provincias, ſeu Congregationes reformatæ Diſciplinæ „ tranſire nequeunt. Idcirco in occaſione non libera, ſed neceſſaria trans- „ grediendi legem communitatis detinentur, quæ tamen trangreſſio, quia „ minime libera, culpa caret. Conſule quæ dicturus ſum. *Diſſ.* 5. *cap.* XI. „ *a pag.* 233.

III. Præſentiens idem Diſciplinæ Monaſticæ Author adverſarios conſuetam, rancidamque fabellam evulgaturos, hæ quæ ſequuntur, continuo adje- „ cit pag. 204. „ Ex his duobus conſectariis ſponte fluit tertium, videlicet „ inane, & commentitium eſſe ſpectrum illud, quod objiciunt, ex noſtra „ ſententia conſequi, omnes Regulares laxatæ Diſciplinæ continenter pec- „ care, & in ſtatu eſſe damnationis. Siquidem ſemper aliquos ex hoc numero „ exemi. Quid itaque eſt, quod ſeveri cenſores carpere, aut vellicare auſint? „ An quod maximam Regularium multitudinem crimine proprietatis infe- „ ctam docuerim. (Item pag. 80.) Quiſque ſummopere commovetur, dum „ prima fronte audit, non paucos Religioſos in gravi verſari damnationis „ periculo. At evaneſcit admirationis ratio, ſimulatque ob oculos revo- „ cantur ea, quæ in hac Diſſertatione dicta ſunt, & oracula Chriſti Do-

„ mini

„ mini, qui non ſemel teſtatur, *Paucos eſſe electos*, arctamque viam, quæ „ ducit ad vitam.

„ IV. Verum ut plenius conſilium meum lectorum oculis obverſetur, „ hæc quæ dicturus ſum meditanda propono. Ampla ſint per me licet „ Regularium collapſæ Diſciplinæ privilegia: ſint jure præſcriptionis a plu- „ rium Monaſticarum Conſtitutionum obſervantia immunes: Votum pau- „ pertatis amplitudinem materiæ excipiat: ſint ab exactæ communitatis præce- „ pto quandoque ſoluti: Fac conſuetudinis æſtum, vim educationis maxi- „ mam, ſociorum commercium, quæ omnia ſecum animos in præceps „ abripiunt, nedum inflectunt, criminis plurimum Regularis obſervantiæ „ tranſgreſſoribus adimere. „

„ V. At quid ſententiæ in eos diceres, qui obſtinato animo in relaxa- „ tionis cœno ſeſe volutare vellent? Qui ſuis Superioribus, præcipue ſum- „ mis Pontificibus, reformationem præcipientibus, perfracte reſiſterent? „ Qui rerum communitatem aperta fronte rejicerent? Qui peculia, non „ modo pro neceſſario victu, & veſtitu, ſed etiam pro ſuis oblectamentis, „ Monaſticæ paupertati haud conſentaneis retinerent? Quid inquam Ju- „ dicii in iſtos pro ferres? Sane Theologi omnes, vel benigniores, hos om- „ nes criminis damnant, ac in malo verſari ſtatu eoſdem adfirmant. Et „ tamen ego ſin minus omnino eos excuſaverim; ſaltem eorumdem ſortem „ commiſeror, atque commiſerandam confiteor.

„ VI. Verum enim vero quid de iis dicendum foret, qui non modo „ ſuam ipſorum, ſed ſucceſſorum quoque reformationem impedirent? An „ ne eos excuſares, ſi Conventuum fures illos vocarent, qui collapſos Con- „ ventus ad Regulæ præſcriptum reformarent? ſi obſervantiam Regularem „ ceu arbitrarium Prælatorum inventum deriderent (*Cetera NIHIL*, ut „ ſcribit Magiſter Clauſtralis.) Quid ſi nulli parcerent induſtriæ, ut pe- „ culiorum abuſus in poſteros permanaret, & Relaxationis hæreditas ad „ ſucceſſores devolveretur? Eſſet ne in amplo benignioris Theologiæ cam- „ po quidquam, quod iſtorum faveret Conſcientiæ? „

VII. Hæc paſſim in univerſa *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica* Author ſcri- bit, repetit, inculcat. Judicent nunc Lectores benevoli, quas luere pœnas debeant *RR. Magiſtri* ob impactam in præfatum Authorem calumniam, quod OMNES laxioris Diſciplinæ Clauſtrales damnatos docuerit. Interim ego colligam illorum majorem numerum tantum Voti paupertatis violatores eſſe.

D E-

Digitized by Google

DEMONSTRATIO I.

VIII. P*Prima Propoſitio*. Regulares Diſciplinæ collapſæ, qui reformari recuſant, qui deliberato animo exactam rerum communitatem rejiciunt, qui peculia reſignare ſincero animo parati non ſunt, juxta omnes tum Patres, tum Theologos, tum benigniores Caſuiſtas, ſunt voti paupertatis violatores. Hæc prima propoſitio extra diſputationis aleam conſtituta eſt.

Altera Propoſitio. Clauſtralium collapſæ Diſciplinæ reipſa major numerus reformationi reſiſtit: exactam rerum communitatem reſpuit: peculia reſignare ſincero animo paratus non eſt.

Tertia Propoſitio. Ergo revera major numerus voti paupertatis violator eſt.

IX. Sola ſecunda propoſitio vocari in diſcrimen valet. Eam vero ſic oſtendo. Si major numerus non ficte, ſed animo ſincero vellet & communitatem invehere, & peculia abigere, prævaleret minori numero eidem communitati refraganti: atque adeo reapſe, peculio poſito, exactam rerum communitatem inſtauraret. Communitas hactenus introducta non eſt, nec dimiſſum peculium: ergo non ſincerus, ſed fictus animus eſt ſive communitatis introducendæ, ſive peculii reſignandi.

Vana Magiſtri Vindiciarum objectio.

Si aliqui Clauſtrales, argutatur *Regius Profeſſor*, valent obſervare in Cœnobiis laxioris Diſciplinæ paupertatis votum, cur non omnes? Non eſt emerito Theologiæ profeſſore digna objectio. Idcirco aliqui votum paupertatis obſervant, & excuſantur a tranſgreſſione exactæ communitatis, quia, ut dictum eſt, non ſponte, ſed coacte peculia retinent: quia, multitudine prævalente, nequeunt communitatem, cujus deſiderio flagrant, introducere. Idcirco neceſſitas cujuſdam peculii in iſtis vera eſſe poteſt. Peculiumque retinent, debitis circumſcriptum clauſulis, & in vera paupertatis praxi exercentur. Porro ſi iſtorum major foret numerus, revera exacta rerum communitas haberetur, quia prævaleret minori numero eorum, qui reformationi refragantur. Communitas non invehitur. Ergo major numerus illam rejicit.

CAPUT IV.

DEMONSTRATIO II.

I. P*Ropoſitio I.* Prælati Regulares omnium Theologorum conſenſu aſtringuntur ſub graviſſimæ culpæ pœna omnem adhibere induſtriam, ut Cœnobia ſibi commiſſa ad exactæ communitatis formam redigant.

Propoſitio II. Omnes ſubditi ex lege ad peccatum mortale obligante tenentur animo parati eſſe ad vitam communem ſuſcipiendam, eamque reapſe acceptandam Prælato imperante. Si repugnant, peccant tum in votum obedientiæ, tum in votum paupertatis.

Propoſitio III. Ergo, aut Prælati Cœnobiorum, in quibus exacta rerum communitas non viget, in ſtatu peccati mortalis verſantur, propterea quod obire graviſſimum ſuum munus, debitum implere officium negligant. Aut ſubditi, ſaltem quantum ad majorem numerum, proprietatis vitio inquinati ſunt, quod Prælatis ſuis communitatem invehere conantibus refragantur.

II. Propoſitio prima nulli eſt cavillationi obnoxia. Secunda itidem ineluctabilis eſt. Tota difficultas in eo vertitur, quandonam tertiæ propoſitionis membrum verum ſit. Audiamus utriuſque partis excuſationes, & reſponſa.

III. Prælati reponunt, ſe communitatem non invehere, quia grave futurum ſcandalum timent: nimirum ſudditorum repugnantiam, rebellionis tumultus, querelarum ſtrepitus, diviſiones, factiones, ſchiſmata. Vera ne ſunt hæc, an falſa? Si falſa: ſubditos infamant, & ſemetipſos Miniſterii prævaricatores produnt. Si vera: ergo ex ore veſtro ſubditi ſunt obfirmati proprietarii, votorum obedientiæ & paupertatis violatores, proprieque Profeſſionis contemptores.

IV. Quid ad hæc ſubditi. Vera ne ſunt, quæ de vobis Prælati veſtri enarrant? Si vera, finita cauſa eſt. Si falſa, cur ad præfecturas eligitis viros ejuſmodi? cur in Canonicis electionibus Religioſos zelo & caritate ferventes indignis poſthabitis non præfertis?

V. Verum heinc evidenter, ut res ſe habet, colligimus, nimirum tum Prælatos, tum ſubditos, majore numero ſpectato, & paucis exceptis, in cauſa eſſe, cur peculiorum corruptela, communitate pulſa, graſſetur. Quan-

Digitized by Google

Quandoquidem, ſi in ſubditis ſincera, & non ficta animi promptitudo adeſſet dimittendi peculii, & communitatis invehendæ: ſi Prælati ſincero, & non ficto zelo arderent communitatis inſtaurandæ, continuo haberetur effectus. Poſita enim, ut Philoſophorum pronuntiato utamur, ultima diſpoſitione ex parte recipientis ſeu patientis ſubjecti, & ex parte agentis ultimo conatu, continuo effectus productio erumpit in lucem. Effectus iſte a tot ſæculis non comparuit. Ergo voluntas tum Prælatorum introducendi exactam rerum communitatem, quam ſubditorum eamdem recipiendi, ficta, mendax, & chimærica eſt.

CAPUT V.

DEMONSTRATIO III.

I. Clauſtrales, qui retinent peculia contra manifeſtam Concilii Tridentini, & Summorum Pontificum voluntatem, ſunt *manifeſtæ proprietatis* fontes. Sed Regulares non pauci peculia retinent, exactamque rerum communitatem reſpuunt contra expreſſam voluntatem Concilii Tridentini, & Summorum Pontificum: nulla adeſt vera, & realis neceſſitas, ſed tantum voluntaria & libera, atque adeo ficta, majore numero ſpectato. Ergo ſunt voti paupertatis violatores.

II. Quam demonſtrationem ſub alio proponi aſpectu valet. Omnes Regulares vovent vivere ſecundum ſuam Regulam ab Eccleſia approbatam. Porro omnes Regulæ Monachales, & Mendicantium exactam rerum communitatem graviſſime præcipiunt. Ergo qui deliberato animo rejiciunt exactam communitatem, retinentque peculia, votum violant, vitamque ducunt, non ſecundum, ſed contra Regulam.

§. I.

Reſponſa Magiſtri Vindicis.

III. R. Magiſter *Vindiciarum* intactas reliquit omnes demonſtrationes Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ, præter hanc ultimam cujus negat ſecundam propoſitionem *pag.* 228. inquiens. *Quam futilis ſit argutatio, quam demon-*

ſtrationem vocat, eſto ſpeciem quamdam praeferat validi argumenti, bene novit qui vere eſt eruditus. Quam ſit arguta hæc reſponſio bene novit P. Magiſter, non tam eruditus, quam optimus Dialecticus. Sed eruditi hominis rationem auſcultemus. *Quid enim in laudatis Monachorum Regulis Sancti Inſtitutores prohibent? Proprietatem ...... Deteſtamur & nos proprium.* Heic mirum in modum refulget eruditio Adverſarii. Duo præcipiunt Regulæ: vitium proprietatis prohibent: oppoſitam communitatis virtutem jubent. *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia.* Admittit primum: Ergo & ſecundum excipiat neceſſum eſt, cum non minus ſecundum ſit præceptum, quam vetitum primum. Cedo. Deteſtaris vi profeſſionis Monaſticæ ut ſacrilegium, nuptias inire matrimoniales? Numquid non teneris oppoſitam caſtitatis vitutem colere? Proprium licitum erat: vi voti vitium tibi evadit. Ergo virtus communitatis contraria ſit neceſſaria. Licitum erat Matrimonium ante profeſſionem: poſt nullum & ſacrilegum. Ergo neceſſario conſequitur caſtitatis neceſſitas. Innoxia erat inobedientia ante profeſſionem: poſt obedientiæ virtuti obnoxius es. Ideo enim Sancti Patriarchæ proprium vetant, ut communitatis virtutem promoveant, ceu inſtrumentum ad perfectionem evangelicam comparandam. Sed quid verba fundo, cum evidentiſſimis argumentis tum a ratione, tum ab auctoritate petitis Regularum præceptum ſupra oſtenſum ſit. Legat ipſas Conſtitutiones ſuas clamantes: *Ad COMMUNITATEM autem rerum ex ipſius Regulæ PRÆCEPTO aſtringimur.*

§. II.

RESPONSUM R. Magiſtri vitæ Clauſtralis comparantis Præceptum communitatis Vorticibus Carteſianis.

IV. R. Magiſter *Vitæ Clauſtralis* ore rotundo ſemper hactenus pernegavit cum ſuo Commilitone Magiſtro *Vindice* communitatem præcipi a Regulis Auguſtini, Benedicti, aliorumque Patriarcharum. Verum, ut uſu venire ſolet omnibus iis, qui apertiſſimæ veritati reſiſtunt, qui propriis antilogiis ſe ſe conficiunt, fatetur tandem præceptum iſtud *Diſſer. 6. pag.* 389. *Regulæ communitatem ſanctiſſime præſcribunt tanquam id quod voto conſonum eſt, & paupertatem plurimum juvat; ſed dum ita præcipiunt, Superio-*

ribus

ribus non prohibent, ut ſibi ſubjectis Clauſtralibus ALIQUID privatim, & ad uſum ſaltem facti permittere valeant: idimmo ultro concedunt. Victas ergo nobis dat manus Magiſter Clauſtralis, ſi quæ ſcribit intelligit. Duo in hoc ſuo textu diſtinguenda. Primum eſt Præceptum a Regulis impoſitum. Alterum, quod Prælatus valeat diſpenſare *aliquid* ad uſum facti Clauſtralibus ſubjectis. Modo ſermo eſt, ſit ne in Regula præceptum exactæ communitatis. De poteſtate Prælati diſpenſandi interdum, juſta urgente cauſa, altera quæſtio eſt infra diſcutienda. Omnes Canoniſtæ, Juriſconſulti, & Theologi primum, ſit ne lata lex: poſt, ejus vim: demum de poteſtate ab eadem diſpenſandi diſputant. Magiſter noſter perpetuo hæc omnia confundit, implicat, involvit, & a ſtatu quæſtionis ubique aberrat. Nunc nobis concedit præceptum communitatis, mox illud negat, aut illud vocat *Præceptum improprie* dictum, aut præceptum *chimericum*.

V. Quid plura: Magiſter noſter eodem loco habet Præceptum exactæ communitatis, ac *Vortices* Carteſianos, *Athomos* Gaſſendianos, *Armoniam præſtabilitam* Leibnitianam. Hæc ſunt illius verba in ſua *vita Clauſtrali pag.* 403. *Quod ſuo e Syſtemate* (exactæ communitatis) *quam plurima conſectaria Clauſtralibus peculio utentibus injurioſa deduxerit Daniel, vitio ei verterint alii, ego ſummæ do laudi. Egit ille, ut Recentiores Philoſophi ſolent, qui, ut naturæ Phænomena explicent, quoddam ſibi effingunt Syſtema, quo poſito proclive illis eſt, cur ita res ſint cauſam indigitare, & rationem. Ita Carteſius, ita Caſſendus, ita Wolfius, Leibnitius ita.*

VI. Syſtema Danielis eſt, Clauſtrales aut vi voti, aut vi præcepti Eccleſiaſtici, abſolute, & circumſtantiis neceſſitatis ſublatis, exactæ communitati devinctos eſſe. Quod ſyſtema ad præceptum ſaltem, quod attinet, & quod unice (ut toties teſtatus eſt) ille propugnat ut ineluctabile penes omnes Theologos, Magiſter Clauſtralis, *ut commentitiam hypotheſim, ut Vortices Carteſianos* deridet, ſibilat, execratur, vociferatur. *Religio ſine peculio non eſt Religio?* Hæc monſtra illum evulgaſſe non pudet? Ineptirem ipſe, ſi talia labefactanda ſuſciperem, & non potius deteſtatione contemnerem, cenſuram juſtiſſimam ab illis, quorum intereſt, expectaturus. Vortices Carteſianos jubent Auguſtinus, Benedictus, Concilium Tridentinum, Clemens VIII. cæterique Pontifices ſucceſſores? De vorticibus Carteſianis ſervandis ſacrum jusjurandum exigit Apoſtolico-Romana Sedes?

CAPUT VI.

DEMONSTRATIO IV.

Votum obedientiæ, & univerſæ Diſciplinæ Regularis obſervantia concidant neceſſum eſt, exacta rerum communitate ſublata.

I. TUm corruit obedientiæ votum, cum ſubditi parere Prælatorum mandatis minime tenentur. At qui, communitate ſublata, qua ſubditi tum ſani, tum infirmi omnia pro victu, atque veſtitu, & ea quæ ſub his vocibus comprehenduntur, non accipiunt a Prælatis ſuis, iis obedire minime aſtricti ſunt. Ergo, exacta communitate ſublata, corruit obedientiæ votum.

II. Probo minorem. Profeſſio Monaſtica, ad paupertatem quod attinet, contractus mutuus eſt, vi cujus ſubditi omnia bona tum præſentia, tum futura ſolemni jure Religioni cedunt. Religio viciſſim eodem ſacro vinculo ſe ſe aſtringit alendi, veſtiendique ſubditos tum infirmos, tum ſanos. Si Prælati Religionum oppignoratam fidem minime ſolvunt, ſi contractum infringunt, ſubditis neceſſaria omnia minime porrigentes, conſequitur, ſubditos obedientiæ vinculo ſolutos eſſe, quantum ad ea comparanda, quæ pro congruo victu, & veſtitu neceſſaria ſunt. Ergo, ſublata exacta communitate, corruat obedientiæ votum oportet. Duæ primæ propoſitiones evidentiſſimæ ſunt, ultroque ab adverſariis, quibus favent, admittuntur.

III. Conſequentiam autem evinco. Induſtria, labores, viæ, quibus ſubditi inhærent, ut peculium acquirant, ſæpiſſime Religioni ſunt infeſtæ. Prælatus hæc impedire nequit: & ſi oppoſitum præcipit, ſubditi jus naturæ ſupra omnem legem opponunt, ſibi in victu & veſtitu, a Prælato non collato, proſpiciendi. Sunt ergo a lege obediendi immunes.

IV. Res tota experimento univerſo mundo manifeſto illuſtratur. In Conventibus, a quibus exulat perfecta communitas, pro veſtibus quædam pecuniæ ſumma alibi major, minor alibi, omnibus tamen æqualis, exceptis alicubi Magiſtris, confertur, quæ pro integro veſtitu univerſe ſatis non eſt. Cellarum neceſſaria ſupellex integra ſaltem non datur. Pro itineribus neceſſariis, pro epiſtolis, pro infirmitate curanda non omnia communiter

ſuppe-

ſuppeditantur. Verum quid ego ſingula perſequor? Deſcribamus iterum peculium, quod Magiſter *Vitæ Clauſtralis* permittendum Regularibus docet.

V. Theologus Antiprobabiliſta ſequens peculium defendit in ſua *Vita Clauſtrali 2. p. diſſert. VI. cap. 1. pag.* 471. *&* 472. *Duæ porro ſunt cauſæ, quæ Prælatum ad permittendum Clauſtralibus ſuis peculium movere poſſunt, utraque æquiſſima atque juſtiſſima, neceſſitas ſcilicet, & honeſtas.*

Ex neceſſitate conceditur peculium primo quidem infirmis, ut ſe curari faciant. Quamvis enim circa infirmos ſolertes eſſe debent Cœnobiarchæ, non ſemper tamen expenſas omnes e communi ſolvere valent. Secundo pro itineribus neceſſario conficiendis, cum ſtudiorum cauſa tum prædicationis, aut alterius utilis operis. Tertio pro emendis ſibi libris ad humanam divinamque eruditionem comparandam. Quarto etiam pro veſtibus, & quandoque pro cibis, quando Cœnobiorum paupertas quod neceſſarium eſt non ſuppeditat: quis neget in his omnibus privatum peculium licitum Clauſtralibus?

Ex honeſtate vero privati peculii uſum indulgeri NECESSE EST. *Primo pro itineribus ad inviſendos quandoque Parentes, & Conſanguineos,* VEL AMICOS *juxta pietatis ſanctæque amicitiæ leges. Secundo pro quibuſdam vel intra vel extra Ordinem, præſertim cum a Scholis feriatur* HONESTIS SOLATIIS. *Tertio pro elargiendis etiam muneribus, quæ gratitudo, & juſtitia fieri jubent, attento ſtatu, & conditione perſonæ dantis, & recipientis. Quarto pro aliquo virtutis, & pietatis opere. Et ut paucis omnia complectamur, ad* EA OMNIA *cum neceſſitatis, tum honeſtatis privato peculio uti poteſt Clauſtralis de Prælati ſui permiſſu & conſcientia, pro quibus omnibus Religio ipſa ſancte, & prudenter expendere valet.*

VI. Enormem iſtius doctrinæ laxitatem, quæ Evangelicæ paupertatis ſolemne votum ludicrum, & commentitium efficit, *Diſſert.* 1. *cap. IX.* reſtavi. Quid plus concederet honeſto Chriſtiano? Et tamen majora quoque Mendicantibus Fratribus ampliſſime impertitur vir liberalis, videlicet chochlearia argentea, cultros argenteos, arculas pro nicotiano pulvere argenteas, horologia argentea, & tandem pecunias in ludos exponendas. Hæc omnia *Antiprobabiliſta noſter*, ut quid *Probabilius* Mendicantibus Fratribus concedit. Verum de his omnibus alibi. Aliam ejuſdem doctrinam iſthuc tranſcribere lubet, ut demonſtrationi noſtræ viam paremus planiorem. Itaque *Diſſert. VII. pag.* 475. hanc inſtituit quæſtionem. *Quid ſi Prælatus illiberalis ſit, & parum prudens, qui nec ex communi, nec ex privato peculio*

Fratrum

Fratrum indigentiis conſultum velit: quid tum, quum nec expreſſa, nec tacita, nec præſumpta licentia adeſt, nec ad Prælatos ſuperiores facile eſt perfugium? Si neceſſarium eſt quod optat, ſibique fieri poſtulat Clauſtralis, puto ad jus naturæ, cui nulla lex adverſari valet, tunc recurrendum eſſe. Clauſtrales quippe, quoniam non ſervi ſub lege, ſed liberi ſunt ſub gratia conſtituti, nec coactam, ſed liberam voverunt paupertatem, jus ſemper ad ſibi neceſſaria retinent, quæ, niſi Prælatus dederit, aut haberi permiſerit, ſibi etiam, eo invito, comparare poſſunt.

VII. Omnia bene. Ergo obedientiæ votum, atque adeo univerſa Clauſtralis Diſciplina in fumum occidit. Quoniam tum obedientiæ votum corruit, quum nec imperare Prælati ſubditis valent, nec eiſdem parere ſubditi aſtringuntur. Quoties autem neceſſaria pro victu, & veſtitu porrigere ſubditis omittunt, toties iſti a Prælatorum imperiis ſubducuntur, ut quæ ſibi neceſſaria ſunt, proſpiciant. Fac Prælatos prohibere ſubditis etiam ex juſta cauſa, ne munia lucroſa obeant, ne conciones habeant, ne Pulpita quæritent, ne terrenis negotiis ſe immiſceant, ne humana patrocinia ambiant. E veſtigio inclamant ſubditi: Si hæc lucra amittimus, quis nobis veſtes, quis epiſtolarum, quis itinerum, quis infirmitatum impendia ſolvet? Cenſus vitalitii in profeſſione reſervati aut nulli, aut exigui ſunt. E communi Patrimonio nobis non providetur. Jure ergo naturæ, quod omne votum obedientiæ antevertit, hæc nobis comparare valemus. Quid heinc? Litterarum rudes, morum integritate, prudentiaque neceſſaria deſtituti e clauſtris exeunt. Concionantur inepti, negotia pertractant inexperti. Illi favores & patrocinia aucupantur: iſti præfecturas & officia ambiunt. Tributa Protectoribus pendunt. Sudores fundunt, ut ea acquirant, quibus munera ſolvere valeant. Si Prælati interdicere vellent, iterum, iterumque inaudirent jus naturæ comparandi neceſſaria votum præcedere obedientiæ. Verum cum & Superiores communiter in eadem verſentur navi, tacita conniventia hæc omnia permittunt, ut ſibi eadem, elapſa præfectura, concedantur ab aliis. Evidens ergo eſt, ſublata exacta communitate, conſiſtere obedientiæ votum minime poſſe.

VIII. Nec ſolum obedientiæ voto bellum indicit peculium monaſticum, & potiſſimum illud, quod Antiprobabiliſta Clauſtralis ſplendida munificentia Fratribus Mendicantibus impertitur; verum etiam cæteris duobus votis ultimas ſtruit clades. Quam ſit inter peculia monſtroſa paupertas mundus videt.

In

In eodem Cœnobio qui ingenio, talentis, dexteritate præditi ſunt, ad Conciones, ad cathedras, ad negotia, & præfecturas extolluntur. Tum pecunias amplas conquirunt. Illico, ſive docti, ſive indocti Baccalaurei, Jubilati, & Magiſtri evadunt. Iſtorum veſtitus copioſus, nitidus, & quoad fieri poteſt ſpendidus. Lautiores epulæ, duplicatæ cellæ, ſupellex cultior, & ornatior. Qui vero talentis, & ingenio carent, qui prorſus inepti ſunt ad conciones conſtruendas, aut memoriæ mandandas, frigent, languent. Illi *Formoſuli*, & *Thoroſuli*, ut inquit Hieronymus: iſti luridi, & laceri. Illi ſatures, iſti famelici. Hæc ne Sancta Fraternitas? Hæccine Evangelica Paupertas? Hæccine Chriſti Charitas? Hæccine Apoſtolicæ communitatis imago?

IX. Quot porro malorum pericula ſubeat Caſtitatis votum, quot maculas contrahat, quot patiatur clades, non ego, ſed Viri ſancti enarrent. D. Auguſtinus *Serm. de San.* (ſi tamen illius eſt) apud Dionyſium Carthuſianum de *Reform. Clauſtralium cap.* 4. hæc ſcribit. *Rem peculiarem omnino fuge. Vide quanti, & quales de hoc peſtifero morbo PECULIARITATIS perierunt. De peculiaritatis namque radice oriuntur hæc vitia, ſuperbia, avaritia, vanagloria, voracitas, mendacium, loquacitas, atque luxuria. Illum morbum habendi peculium voco morbum peſtiferum, & illecebroſum, quem te oportet relinquere, ſi non vis beatitudinem ſempiternam amittere.* Lege Auguſtinum in *pſalm.* 131. ubi ſimilia habet.

X. S. Laurentius Juſtinianus *lib. de obedient. cap.* 19. *Sunt multa Cœnobia, & utinam non numeroſior pars, quæ non ſanctorum habitacula, ſed latronum ſunt dicendæ ſpeluncæ: ſpelunca dæmonum, & officina vitiorum. Ubi enim quiſque privata quærit commoda, pecunias cumulare non deſinit, nec curat utrum quis Fratrum ſuorum patiatur famem, frigore crucietur, infirmitate langueſcat. Ibi proculdubio Religionis deſtructus eſt cultus.*

XI. Dionyſius Carthuſianus *de Reformatione Clauſtral. cap.* 16. *Ex proprietate, ſive ex peculio, tanquam ex venenoſa radice multa peccata proveniunt utputa contumacia, ſuperbia, contentio, partialitas, avaritia, vanagloria, invidia, mendacium, LUXURIA. Quoniam abundantes in peculio ad reſiſtendum ſuis Superioribus fiunt audaces, nec diſciplinam, & correptionem patienter ſuſcipiunt, partialitates efficiunt, & interdum commeſſationibus, & ebrietatibus vacant, ex quibus ad vitia carnis labuntur, & VOTUM SUUM DE CASTITATE SERVANDA SCELERATISSIME frangunt.*

XII. Quid ſi nos hac Sanctorum ſcribendi libertate uteremur? Planum ergo eſt,

go eſt, tum ratione evidentiſſima, tum authoritate Sanctorum, ac ipſa maniſeſtiſſima experientia, peculiorum corruptela in Cœnobiis ſerpente, omnia tria vota Paupertatis, obedientiæ, & caſtitatis conſiſtere haudquaquam poſſe.

XIII. Fundamentis Monaſticæ Diſciplinæ ſuffoſſis, atque disjectis, in præceps ruat omne ſuperinſtructum ædificium neceſſe eſt. Et primum in Cœnobiis laxatæ Diſciplinæ pecunioſæ, ubi obſervantia Regulæ non prodeundi in publicum niſi aſſociati? Dicant RR. Magiſtri, cur ubi ſerpit peculiorum peſtis per Civitates ſoli diſcurrunt Fratres, ſecus vero ubi exacta viget communitas? Cur nec Principes tanti ſunt, ut hanc aſſociationem aſſequi in laxatis Clauſtralibus valeant? Quid impedit, niſi peculium, niſi pecuniarum acquirendarum ſtudium, niſi quod negotia unius oppoſita ſunt alterius negotiationibus? Quiſque ſuis inhiat commodis. Et tamen D. Thomas Aquinas *Religioſum ſolum incedentem* vocare ſolitus erat *dæmonem ſolitarium*, ut narrat P. Ferdinandus de Caſtilio in ejuſdem Actis, & notat Cornelius a Lapide *in cap.* 3. *Actuum Apoſtol. cap.* 3. *v.* 1.

XIV. Conſtitutio de ferendis laneis induſiis adeo ſevera eſt in Prædicatorum Ordine, ut Prælati diſpenſare vel cum ipſis infirmis, excepta lepra, nequeant. Ejuſdem continuata tranſgreſſio ad *damnabilem contemptum* viam parat. Ubi *Veſtiarium* in pecunia, non in *ſpecie* datur, plerumque Fratres ſibi pro ingenio induſia linea, ſubtilioreſque pannos comparant. Duplicis criminis uno ictu ſontes fiunt. Veſtiaruim *pecunioſum* Conſtitutiones & Comitia Generalia O. P. ſub pœnis in *proprietarios* conſtitutis vetant. Primum ergo ſcelus *proprietatis* eſt. Alterum quod heinc profluit, eſt tranſgreſſio Conſtitutionis de lineis ad carnes non ferendis.

XV. Tandem peculii privati abuſus, ceu dira peſtis cæteras omnes leges univerſamque Regularem obſervantiam profligat, labefactat, exterminat. An ubi hæc peculii corruptela graſſatur, ſilentii cuſtodia, a carnibus abſtinentia, ſpiritualia exercitia, Capitula de culpis, Sacrarum Meditationum ſtudium, & cæterarum conſtitutionum cultus vigent?

XVI. Heinc ineluctabilem colligo demonſtrationem. Peculium omnium Patrum, Theologorumque voce, prima & potiſſima origo eſt, quæ viam latiſſimam aperit violandi omnes Regularis obſervantiæ leges. Peculium iſtud omnibus tribus ſolemnibus votis bellum indicit, clades intentat. Atqui Clauſtrales & vi naturalis divinæque legis, & propriæ profeſſionis vinculo evitare

aſtrin-

Digitized by Google

aſtringuntur graviſſimam occaſionem violandi tum ſolemnia vota, tum cæteras Regularis obſervantiæ leges.

XVII. Has omnes demonſtrationes in Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica longius productas nec aggredi auſi ſunt RR. Magiſtri, ſed eas alto præterire ſilentio expediens judicarunt.

CAPUT VII.

DEMONSTRATIO V.

Patriarchæ Sacrorum Ordinum Inſtitutores non modo præceperunt exactam communitatem, verum etiam non potuerunt eamdem non præcipere.

I. SAnctiſſimi Patriarchæ ideo Sacros Ordines inſtituerunt, ut Religioſi Evangelicam, quam Chriſtus conſulit, perfectionem aſſequantur. Via, quam Chriſtus ad hanc perfectionis metam aſſequendam aperuit, eſt omnimoda temporalium divitiarum privatio, & Apoſtolicæ communitatis obſervantia. Ergo Sanctiſſimi Patriarchæ non potuerunt non præcipere exactam rerum communitatem. Secundam propoſitionem, quæ ſola in diſcrimen vocari poſſet, docet ipſemet Chriſtus Dominus: *Si vis perfectus eſſe vade, vende quæ habes, & da pauperibus.* Conſequentia neceſſario utramque conſequitur propoſitionem. Qua ſiquidem voluntate quiſpiam vult finem, eadem velit oportet media ſeu viam, quæ eodem ducit. Privatio omnium divitiarum, nulla reſervata penſione, ſeu paupertas Evangelica, prout ab ipſo Chriſto & Apoſtolis obſervata fuit, primum eſt divinæ perfectionis acquirendæ fundamentum: ergo ſi in finem comparandæ evangelicæ perfectionis Sacros Ordines inſtituerunt Patriarchæ Sanctiſſimi, neceſſario imperare debuerunt exactam rerum communitatem.

II. Ut iſtius demonſtrationis vim elevarent RR. Magiſtri, duas oppoſitas arripuere vias. Regius Profeſſor in ſuis *Vindiciis* negat Regulares profiteri Apoſtolicam Paupertatem, quæ reapſe peculium omne rejicit. Quem errorem ſupra refutavi. Magiſter *Clauſtralis vitæ*, qui ab *ovo* rem arceſſivit, primaque Diſciplinæ Monaſticæ orſa ſcrutatus eſt, arma in commilitonem Magiſtrum convertit, evincitque Diſſertationibus integris ab Apoſtolico Collegio immigraſſe rerum Communitatem in Clauſtralium Cœnobia. Ut vero *peculium ſuum* tamquam Apoſtolica praxi *conſecratum* propugnet,

in ipſo Apoſtolico Collegio peculii corruptelam obtinuiſſe ſcribere, & tamquam ſuæ *Clauſtralis vitæ* principium, & fundamentum ſtatuere non reformidavit ſtrenuus peculii aſſertor, & vindex. Quem graviſſimum errorem ſcandali plenum ſupra itidem profligavi.

DEMONSTATIO VI.

Si Votum paupertatis abſque exacta communitate conſiſtere reipſa poſſet, imprudenter Patriarchæ, Concilia, & Pontifices illam præcepiſſent.

III. EXperientia manifeſta didicere Patriarchæ Sanctiſſimi, peculiorum abuſum conſuetum fuiſſe ſcopulum, ad quem alliſerunt Monachi, frequentiuſque naufragium paſſi ſunt. Cedo. Cur lapidem hunc offenſionis non ſuſtulerunt? Difficilem ex una parte communitatis obſervantiam, graſſantem, ex altera peculiorum corruptelam intuebantur. In nova Ordinum Inſtitutione ab eorum pendebat arbitrio ea præſcribere, quæ magis aut minus hominum imbecillitati conſentanea videbantur. Prudentis Legiſlatoris eſt leges obſervatu difficiles aut penitus de medio tollere, aut earumdem rigorem temperare, quoties leges iſtæ ad præſtitutum finem minime neceſſariæ ſunt. Quamobrem ultimi Patriarchæ Sanctorum Ordinum Inſtitutores jejunia, abſtinentias, nocturnas vigilias, veſtitus aſperitates mollierunt, temperarunt. Paupertatis communitatiſque rigorem non modo non linierunt, quin ſicuti Patriarchæ Dominicus, & Franciſcus Monachorum, ita Recentiores Patriarchæ Mendicantium paupertatem ſeverioribus munierunt legibus, ejuſque rigidiorem promoverunt obſervantiam. Severiſſima paupertas a D. Patriarcha Cajetano præſcripta ſuis Clericis Regularibus omnibus nota eſt. D. Patriarcha Ignatius inquit „ Paupertas ut „ murus Religionis firmus diligenda, & in ſua puritate conſervanda eſt. „ Et quia humanæ naturæ hoſtis ad hoc propugnaculum, ac refugium debilitandum, quod Deus Dominus noſter Religionibus inſpiravit, contra „ illum, alioſque Religioſæ perfectionis adverſarios *eniti ſolet, ea, quæ a primis Fundatoribus bene ordinata fuerunt innovando, per declarationes vel innovationes primo illorum ſpiritui minime conſentaneas*, ut quod in nobis fuerit, hac in parte ſocietati proſpiciamus, quicumque in ea profeſſionem „ emiſerint, ſe ad innovationem Conſtitutionum in iis, quæ ad paupertatem perti-

„ pertinent, nihil facturos promittant, niſi aliquo modo pro rerum occurren-
„ tium ratione eam in Domino magis reſtringendam judicarent. *part. 6.*
„ *Conſt. cap. 2.*

IV. Ergo aut imprudentiæ, & crudelitatis arguendi ſunt Patriarchæ Sanctiſſimi, Conciliorum Patres, Pontificeſque Summi: Aut fatendum illos idcirco legem exactæ communitatis ſervandæ rogaſſe; quia, ut inquiunt vel ipſi benigniores *Caſuiſtæ*, Divino perfuſi lumine noverunt abſque hac exactæ communitatis obſervantia vota Monaſtica, ipſamque Diſciplinam conſiſtere minime poſſe.

V. Phantaſmata pluſquam poetica, qua R. Magiſter *Vitæ Clauſtralis* imperitis divendit *Diſſert. 6. a cap.* 388. aliis riſum, aliis indignationem, aliis erga eumdem R. Magiſtrum commiſerationem commovebunt. Eruditum iſtum Criticum Adverſarii ſui Demonſtrationes totidem fere verbis conceptas, ut alias indicavimus, ſuffurari, eaſque ineptiis ſimul & erroribus graviſſimis fœdare, atque adulterare minime ſuppuduit. Illius errores non confutatione, ſed ſola contemptione nunc prætereo, quod alibi eorumdem principia refutaverim.

CAPUT VIII.

DEMONSTRATIO VII.

Inopia Conventuum, quæ opponitur, ceu unicum exactæ communitatis impedimentum vanum, & evidenter falſum commentum eſt.

I. HActenus Caſuiſtæ illi, qui peculium ut licitum propugnarunt, præceptum exactæ communitatis agnoverunt omnes a Concilio Tridentino potiſſimum impoſitum, & a Summis Pontificibus confirmatum. Ab hoc tamen præcepto excuſari interdum Regulares dixerunt aliqui ob Conventuum paupertatem, quæ porrigere ſubditis omnia neceſſaria non permittit. Quem prætextum, ut purum, putumque commentum ad excuſandas excuſationes in peccatis excogitatum Patres ipſi, & Pontifices exploſerunt. Concilium Tridentinum *Seſſ.* 25. *cap.* 3. ne hunc inanem prætextum in poſterum obtrudere Clauſtrales poſſent, præcepit, ut in Cœnobiis *is tantum Numerus conſtituatur, ac in poſterum conſervetur, qui vel ex redditibus propriis*

Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſinis commode poſſent ſuſtentari. Clemens VIII. Urbanus VIII. & cæteri Pontifices, potiſſimum Innocentius XII. eamdem Tridentinam legem confirmarunt munieruntque, ut *Diſſert.* 3. oſtenſum eſt.

II. Porro, ut jactatam hanc Conventuum penuriæ excuſationem penitus repellam, adverſarioſque undequaque obſideam, hoc eos urgeo dilemmate. Aut *Factum* iſtud Monaſteriorum penuriæ verum eſt, aut falſum. Sive verum ſit, ſive falſum, cauſa erum profligata manet. Falſum eſſe mox oſtendam. Verum illud nunc habeamus. Unde infero. Ergo peculiari jure ad exactam rerum communitatem invehendam Clauſtrales aſtringuntur. Quoniam in unoquoque genere, quæ partita ſunt, atque ſejuncta, ſi ſimul conjungantur fortiora evadunt, ut communi fertur proverbio: *Virtus unita fortior*. Vitam ducunt decem, viginti, quadraginta Fratres, dum ſinguli, ceu tot Patres-familias ex Prælatorum venia ſuum peculium ſeparatim adminiſtrant. Ergo commodius vitam agerent, his ſeparatis peculiis, lucris, cenſibuſque in rem communem redactis. Iſtius veritatis communis hominum ſenſus teſtis eſt. Suſtentantur in ſæculo decem germani Fratres communi familiæ patrimonio ſecto in partes decem; & ali nequibunt, ſi diviſum patrimonium commune fiat, Fratre uno rem omnem adminiſtrante? Quis adeo demens, ut id afferat? Quin ſi tenue patrimonium, ſectum in partes, vix ſatis ſit ad fratrum ſuſtentationem, commune effectum abundans, & pingue evadit. Ergo ſi verum eſt *factum*, quod rerum penuria Conventus laborent, potiori jure tenentur omnia privata pecula in rem communem redigere, ut inde uno Cellerario, & Veſtiario adminiſtrante Fratres omnes paſcantur, induanturque. Cedo. Vivunt ne RR. Magiſtri diviſis ſeparatiſque peculiis? Vivunt ſane. Ergo commodiorem vitam agent, communitate invecta. Ergo, aut ſe mortuos fame, dum vivunt, fateantur oportet: aut, ſi ſeparatis peculiis ſuſtentantur, ad inſtaurandam exactam communitatem ſe devinctos confiteri debent, & ut commodius hanc mortalem ducant vitam, & ut æternæ evadant mortis periculum.

III. Qui unquam Chriſto Domino, Apoſtolis, primævisque Fidelibus magis inopes? Qui Monachis, qui Medicantibus in prima eorum inſtitutione pauperiores? Quæ major paupertas paupertate Capuccinorum, Reformatorum S. Franciſci, Sanctique Petri de Alcantara? Et tamen hi omnes exactam rerum communitatem ſervarunt, ſervantque in dies.

IV. Al-

IV. Alteram dilemmatis partem urgeamus. Quam falſum ſit *factum* iſtud, paucis Monaſteriis exceptis, teſtantur Principes Tributis ſuis e Monaſteriorum fundis exactis: teſtantur populi eorundem Conventuum fundos colentes. Quot Cœnobia non reperiuntur, quorum alia quatuor, alia octo, alia duodecim millia ducatorum in annos ſingulos ex ſuis redditibus colligunt? His proventibus addito ſingulorum cenſus vitalitios, lucra prædicatione, lectione, aliiſque viis parta. Cur hæc Monaſteria exactam rerum communitatem non ſervant? Quando Cœnobia hæc pauperrima erant perfectam excolebant communitatem, & tanta refulgebant Sanctitate, cujus ſplendore excitati Fideles ingentes illis contulerunt divitias. His invectis, exulavit communitas, obſcuratus eſt color optimus, occidit virtutum ſplendor, Sanctitas ſin periit, ſummopere extenuata eſt illius facies.

V. In qualibet fere inſigniori Civitate utriuſque & laxioris peculiorum, & ſeverioris communitatis Diſciplinæ Conventus extant. Cœnobium cum Cœnobio, redditus cum redditibus comparentur, & rationibus initis, calculi ſubducuntur. Mendax ſim, niſi proventus Cœnobiorum, in quibus peculii corruptela ſerpit, alicubi ſupra medietatem, alibi ter quaterve excedant redditus Conventuum, ubi exacta rerum viget Communitas. Et tamen Fratrum numerus præter propter idem eſt.

VI. Heinc evidentiſſimam colligo demonſtrationem. Communis retinendi peculii excuſatio eſt redditum tenuitas, qua preſſi Conventus nequeunt neceſſaria Clauſtralibus miniſtrare. Hoc FACTUM evidentiſſime falſum communiter eſt. Ergo evidens quoque eſt peccare in paupertatis Votum Regulares, qui privata peculia, exacta rerum communitate neglecta, retinent.

VII. Conſule *Diſſert. 4. cap. 6. Diſciplinæ Monaſticæ*, ubi fuſius hoc argumentum pertractatum eſt, illudque indictum præteriere RR. Magiſtri ut ineluctabile. Quare aliam iſti inierunt viam, negantes abſolute legem communitatis, ſive pauperes ſive divites Conventus ſint.

VIII. Unica itaque cauſa pulſæ communitatis, quam omnes Sacri Ordines in eorum primæva inſtitutione ſervarunt, eſt quod caritas infriguit, languet perfectionis Evangelicę fervor. Pauperes ſunt ditiſſimi Conventus ſpectata laxiori vivendi diſciplina. Abundant Cœnobia redditibus, inquit Magiſter *Vindex*, congruis pro victu & veſtitu communi *diſcolis*, *ocioſis*, *& doctis*, & ne diſcoli *delicientur ex ſcelere* nihil amplius dandum. Magiſtris vero, & Baccalaureis, *qui Agones* ſuſtinent *ſcholaſticales*, debetur optima cocolata, ſe-

lectus

lectus nicotianus pulvis, ſolatia crebra. Debentur eis pecuniæ, ſubdit Magiſter *Vitæ Clauſtralis*, pro *oblectamentis*, *ſolatiis*, *itineribus*, *pro ludis*, *pro cibis*. Quid? Cochlearia argentea, horologia, aliamque ſupellectilem *Religioſam* Conventus ſuppeditare nequeunt. Multo minus pecunias expendendas in licitos ludos, in *boneſta oblectamenta*, *dum feriatur a ſcholis*, *& cætera alia*.

IX. En peculiorum cauſæ, quas tibi panderunt RR. Magiſtri. En laxatæ, & non tantum deſtructæ Regularis Diſciplinæ origo. Omne aliud præter paupertatem Evangelicam volunt Clauſtrales iſti. Idcirco mirum videri haud debet, quod monſtroſa paradoxa evulgaverint.

CAPUT IX.

Comparatio opinionum utriuſque Magiſtri Vindicis, & Clauſtralis, *cum S. Thomæ Aquinatis doctrina*.

I. DEmonſtratum hactenus eſt, RR. Magiſtros errores evulgaſſe pugnantes cum Dei Verbo, cum Conciliorum, Pontificumque Conſtitutionibus. Eorumdem in præſens commenta cum limpidiſſima Sancti Thomæ, in cujus verba juraverunt, doctrina conferre lubet, collatione in paragraphos tributa.

§. I.

RR. Magiſtrorum theoremata.

II. Magiſter Vindex pag. 16. Numquid Chriſtus *peculium reſervare probibuit? Apage commentum. Alioquin nec in communi illud retinere fas eſſet*.

Doctrina D. Thomæ 2. 2. q. 188. a. 7. in c.

III. *Differt tamen circa hoc, utrum divitiæ abundantes vel moderatæ in proprio, vel in COMMUNI habeantur. Nam ſollicitudo, quæ circa proprias divitias adhibetur, pertinet ad amorem privatum, quo quis ſe temporaliter amat. Sed ſollicitudo, quæ adhibetur circa res communes, pertinet ad amorem charitatis... Et quia Religio ad perfectionem charitatis ordinatur, quam perficit amor Dei uſque ad contemptum ſui, habere aliquid proprium repugnat* Perſe-

Perfectioni Religionis . . . Habere autem de Rebus exterioribus in COMMUNI ſive mobilibus, ſive immobilibus quantum ſufficit ad ſimplicem victum, perfectionem non impedit.

§. II.

Arguta R. Magiſtri Clauſtralis Vitæ *interpretatio.*

IV. R. P. Magiſter *Vitæ Clauſtralis* pag. 317. clamat. „ Quod his Angelicis dictis communitatem ſuam adſtruere, peculiumque, quamtumvis ad „ neceſſarios, honeſtoſque uſus procul eliminare velit, *non feram, non ſinam, non patiar.* „ Papæ? Non Philoſophatur modo Magiſter noſter, verum etiam Rethorizzat, clamitat, vociferatur. Sinerem, inquit, prohiberi peculium ad ſuperfluos, ad vanos, ad turpes ſceleratoſque uſus. Cæterum privatas pecunias vetari ad licitos uſus, ad honeſta ſolatia *non feram, non ſinam, non patiar.* Eccur R. Magiſter? Quia reponit e veſtigio pag. 319. D. Thomas Angelicus Præceptor meus *Divitias dumtaxat, quæ plus quam pecunias ſonant, multas ſollicitudines earum Poſſeſſoribus ingerere dixit.* Ecquodnam diſcrimen eſt, amabo te, divitias inter & pecunias? Reſpondet immane eſſe intervallum. En illius verba. *At ſi IMMANE inter utrumque intereſt intervallum, uti revera intereſt, de aurea D. Thomæ doctrina peſſime meritus* (Daniel) *eſt, qui ex claris & veris Aquinatis principiis, adeo obſcuras traxerit conſequentias.* Obſcuræ ſane illationes, quæ in oculos R. Magiſtri nullum ſive auri, ſive argenti radium immittunt. Et in quo ſitum eſt *IMMANE* illud *intervallum*, quod pecunias inter, & divitias verſatur? Nam pecuniæ multæ, divitiæ multæ : divitiæ exiguæ, pecuniæ exiguæ. Eccur ergo *R. Magiſter* non addidiſti ſenſum D. Thomæ eſſe, quod parvæ pecuniæ, ſeu parvæ divitiæ ingerunt ſollicitudinem *augmentationis*; magnæ vero pecuniæ, ſeu divitiæ magnæ inducunt ſollicitudinem *conſervationis*? Porro ſollicitudo *conſervationis*, non *augmentationis* obſtat Evangelicæ Perfectioni, ut bene norunt *qui vere ſunt eruditi*, & ætatem conſumpſerunt in *Tentoriis ſcholaſticalibus* repetit alter Commilito.

Sed miſſis lepidis, ad ſeria accedamus. Recurrat ſub oculos textum *Magiſtri Clauſtralis. Non enim tanti periculi* pecuniam *exiſtimavit D. Angelicus, ſi modica eſt, ut ejus uſus maximam tumultuantemque ingerat ſollicitudinem.*

dinem. . . . Sed divitias dumtaxat, quæ pluſquam pecunias ſonant, multas ſollicitudines earum poſſeſſoribus ingerere dixit. Non modo in Angelica, verum etiam in Evangelica Doctrina ſe ſe hoſpitem, & peregrinum perhibet *Magiſter Clauſtralis*. Audiat Chriſtum Jeſum, pro eodem pecunias, & divitias uſurpantem in hac ipſiſſima cauſa noſtra. Proponens quippe paupertatis Conſilium Principi diviti, hæc ei dixit: *Luc.* 18. *v.* 22. *Omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in Cœlo: & veni ſequere me. His ille auditis contriſtatus eſt valde. Videns autem Jeſus illum triſtem factum dixit: Quam difficile, qui PECUNIAS habent, in Regnum Dei intrabunt.* Immane ne intervallum, *P. Magiſter*, pecunias inter, & divitias? *Pecuniæ* inquit Eccleſiaſtes *cap.* 10. *v.* 19. *obediunt omnia*. Ex pecuniis conflantur divitiæ. Aliam ergo diſtinctionem excogitet *P. Magiſter*, ut ab Angelica Doctrina ſe ſe expediat.

§. III.

Theoremata Magiſtri Vindicis.

V. Pag. 17. Vindiciarum. „ Non officit quidem Evangelicæ perfectioni „ peculium ad honeſtum finem ſervatum. Neque ergo officit Paupertati „ Religioſæ, cum ea, ſtante licentia Præpoſiti Regularis, eidemque facta „ manifeſtatione peculii, *in pari cauſa ſit Monachus & Laicus perfectioni* „ *addictus. Uterque Evangelicum conſilium tenebit, modo uterque affectum a* „ *peculio diſtrahat.*

Doctrina Sancti Thomæ opuſ. 19. cap. 6.

VI. *Ad deſtructionem hujus erroris hoc modo procedimus. Primo enim oſtendimus ad perfectionem Evangelicam pertinere non ſolum Paupertatem HABITUALEM ſed etiam ACTUALEM, quæ fit per abiectionem rerum temporalium.*

Habitualis Paupertas in affectu a rebus terrenis diſtracto ſita, omnibus Chriſtianis: Actualis, quæ divitiarum privationem includit, Clauſtralibus neceſſaria eſt, inquit Angelicus. Idque hoc pacto evincit Doctor Sanctus ibidem. *Ad oſtendendum autem, Paupertatem ACTUALEM ad Evangelicam perfectionem pertinere, aſſumitur primo illud Matth.* 19. Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia, & da pauperibus. *Sed ille, qui ſua vendit, & Pauperibus*

peribus tribuit, non ſolum habitualem paupertatem eligit, ſed etiam ACTUALEM. Ergo actualis paupertas ad Evangelicam perfectionem pertinet. Item actualis paupertas conſiſtit in imitatione Chriſti, ſed Chriſtus, non ſolum voluntate (ſeu affectu) *ſed etiam REALITER fuit pauper*. Qui vendit omnia, reſervat ne ſibi cenſum vitalitium? Qui *actualiter* pauper eſt, retinet ne peculiarem uſum nummorum?

VII. Confirmat D. Thomas ſuam doctrinam altero Evangeliſtæ Lucæ textu, quo oſtendit paupertatem habitualem, quæ ſpiritus paupertas eſt, neceſſariam neceſſitate præcepti. Actualem vero, quæ reapſe divitias, ſeu pecunias privatas abigit, illis dumtaxat neceſſaria eſt, qui eamdem ſolemni ritu voverunt. Inquit Lucas. *Qui non renuntiat omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe Diſcipulus*. Quem textum ſic interpretatur Angelicus. *Hoc diſtat inter renuntiare omnibus, & relinquere omnia: quia renuntiare convenit OMNIBUS, qui ita licite utuntur omnibus mundanis quæ poſſident, qui tamen mente intendant ad æterna. Relinquere eſt tantummodo perfectorum, qui OMNIA temporalia poſtponunt, ut ſolis æternis inhient. Ergo relinquere, quod pertinet ad ACTUALEM paupertatem, eſt Evangelicæ perfectionis: ſed renuntiare, quod pertinent ad HABITUALEM ſecundum gloſſam prædictam eſt de neceſſitate ſalutis*. Quid ad hæc Regius Profeſſor?

§. IV.

Lepidiſſima Magiſtri Vitæ Clauſtralis *interpretatio*.

VIII. R. Magiſter Vitæ Clauſtralis pag. 317. & 318. his D. Thomæ textibus in Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica allatis *Diſſert.* 2. *cap.* 2. argutiſſima reſponſa præbet. Cum nullam, tametſi ſophiſmatum ferax, vel apparentem excogitare potuerit interpretatiunculam, ad dicteria, ad ſcommata confugit, & ea in adverſarium retorquet, quæ vel reſcribere ex una parte ſane pudet: ex altera vero adeo ſunt peregrina, ut Authoris genium apprime referant. Opponit itaque.

„ Enim vero, ſi quemadmodum ſibi fingit Daniel, D. Thomæ ſtaret prin-
„ cipium, ita ut Monaſtica nimirum paupertas *non in ſola animi prom-*
„ *ptitudine ſiſtat, ſed præterea talem exigat rerum temporalium carentiam,*
„ *quæ Chriſti paupertatem imitetur*, non ſolum privatim, *ſed nec etiam com-*
„ *muniter* fas eſſet Clauſtralibus *aliquid poſſidere*, quum Chriſtus Jeſus, cu-

 „ jus

„ ſus paupertatem imitari debent Clauſtrales, nec *communiter* cum Apoſto-
„ lis aut domos, aut agros, aut annuos redditus poſſederit. „

Hunc errorem hoc ipſo capite §. 1. confutavit Angelicus. Lege allatum textum immo integrum *ar.* 7. 22. *q.* 188. Et nonne omnes Ordines Mendicantes ſub initium inſtitutionis tum fundos, tum redditus abiecere? Quod Concilium Tridentinum indulſerit, Clauſtrales in communi redditus & fundos retinere, numquid ab imitatione Chriſti, & Apoſtolorum illos exemit? Apage commentum. Sed reſumat Magiſter noſter ſuam orationem.

„ Rurſus, ſi Chriſti, & Apoſtolorum paupertatem exacte, & ad liquidum
„ imitari debent Clauſtrales; Chriſtus adeo fuit pauper, ut ubi ſuum decli-
„ naret Caput, non haberet: *ut quid ergo Daniel meus in lecto dormit?* Apoſto-
„ li in fame, & ſiti fuere: *ut quid ille* [Daniel] *prandit, & cœnat?* Chri-
„ ſtus, & Apoſtoli nudis pedibus ambularunt: *ut quid calceis utitur, & cali-*
„ *gis, ciſio, eſſedove vectus itinera conficit?* Apoſtoli juſſi ſunt ab eorum
„ Magiſtro Chriſto, ne in via duas haberent tunicas, nec ſaccum, nec
„ peram: *ut quid ille, cum iter arripit, & infartam manicam, & turgidam*
„ *crumenam habet? Dum ita agit, talemque ſe exhibet, nec Chriſti imitatur*
„ *paupertatem, nec Apoſtolorum.* „

IX. Nullus dubito, quin incredibilia hæc futura Lectoribus ſint, cum vix garrula anicella adeo delirare valeat. Ineptirem ipſe, ſi tempus, & operam luderem in his confutandis erroribus, tam frivolis ineptiis immixtis. Unica, qua ſe tegere via quoquo modo valet *R. Magiſter Vitæ Clauſtralis*, eſt, quod præfata commenta majori ex parte tranſcripſit, ſicut plurima alia a ſuo Commilitone Magiſtro Vindice, qui ſimilia ſcribit *pag.* 14. *& ſeqq.* Paupertatem, quam conſuluit Chriſtus, quam Regulæ Monachales ſervandam præſcribunt profeſſus Daniel eſt, non pedum nuditatem *&c.* Sed quid in refutandis neniis immoror?

§. V.

Magiſtri Vitæ Clauſtralis erroneum Theorema, quo peculium in Apoſtolico Collegio conſtituit.

X. R. Magiſter *Vitæ Clauſtralis* hæc ſcribit pag. 365. „ Primis Chriſti
„ Fidelibus, qui nempe Hieroſolymæ ad Petri Apoſtolorum Principis Prædi-
„ cationem converſi fuerant, quique, ut in Actibus Apoſtolorum legimus,

„ pro-

„ propria fecerant communia, indultum *fuiſſe, ut PECULIUM haberent*, ex „ his, *quæ initio hujus II. Partis dicta ſunt, facile dignoſcitur*. Item pag. 386. „ *Omni itaque ſæculo a primordiis uſque Clauſtralis Diſciplinæ repertum eſt* „ *peculium. Eo uſi ſunt PRIMI VITÆ COMMUNIS ſectatores Hieroſo-* „ *lymitani, quibus de in Apoſtolorum Actis, quiſque tanquam Regulam, nor-* „ *mam, atque exemplar reſpexere Patriarchæ omnes, & Clauſtralium Ordi-* „ *num Inſtitutores*. „

Sanctus Thomas hunc turpiſſimum errorem convellit opuſc. 19. c. 6.

XI. *Ex quo patet, quod actualis paupertas, quæ in penuria rerum conſiſtit, ad Apoſtolicam perfectionem pertinet. Item Bernardus dicit ad Senonenſem Archiepiſcopum: Felix qui NIHIL ſibi reſervat ex omnibus quæ habet. Non foveam ut Vulpes: non tanquam volucres nidum. Non LOCULOS ut Judas. Non Domos, ſicut nec Maria locum in Diverſorio, imitatus profecto illum, qui non habebat ubi caput ſuum reclinaret.*

XII. Unus ergo Judás in Collegio Apoſtolico *Loculos* ſeu peculium habuit, ſecus cæteri ejuſdem alumni. Verum quia alibi hunc errorem fuſius confutavi, non vacat alios Angelici Doctoris textus in medium promere.

§ VI.

Magiſtri Vindicis *Theorema*.

XIII. R. P. Magiſter *Vindiciarum* pag. 103. ſcribit „ eam fuiſſe cauſam permittendi peculium, ut nempe *æquitas, charitas, juſtitia, & quies* Monachorum „ ſerventur. Item pag. 106. Quanta inſuper ex ea exacta bonorum com„ munitate in Parthenonibus, & inter Virgines Deo Sacras exorta fuerit „ *inquietudo & perturbatio*, infra clareſcet. Similia habet in toto opuſculo.

Sanctus Thomas hunc errorem convellit 3. *contr. gent. cap.* 135.

XIV. *Eſt autem ſecundus modus vivendi conveniens voluntariam paupertatem ſectantibus, ut ſcilicet de communibus poſſeſſionibus vivant. Nec per hunc modum aliquid deperit perfectionis, ad quam tendunt voluntariam paupertatem aſſumentes. Nec etiam propter hunc modum vivendi CONCORDIA TOLLITUR OCCASIONE COMMUNIUM POSSESSIONUM. Tales enim debent voluntariam paupertatem aſſumere, qui temporalia contemnant: & tales pro temporalibus DISCORDARE non poſſunt. Præſertim cum ex temporalibus NIHIL præter neceſſaria vitæ debent expectare, & diſpenſatores*

Digitized by Google

oportet eſſe fideles. Nec propter hoc quod aliqui hoc modo vivendi abutantur, hic modus vivendi poteſt improbari, cum etiam bonis mali utantur male, ſicut & malis boni utuntur bene.

§. VII.

XV. *Feſtivum Reſponſum R. Magiſtri* Vitæ Clauſtralis.

R. P. Magiſter *Vitæ Clauſtralis*, Loca & textus citatos in Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica tranſcripſit, plurima inutilia addit, ut de more omnia conturbet. Ad textum itaque relatum ſic reſpondet pag. 323.

„ Cordatos omnes heic appello : judicent ipſi aſſecutus ne ſit Angelici „ Doctoris mentem ejus interpres Daniel? An docuerit S. Doctor teneri „ omnes Religioſos omnia ſua ſive temporalia, ſive ſpiritualia in commumem „ conferre utilitatem, & de communi vivere. Quandoquidem ſi adeo CRASSE „ ea D. Thomæ verba, *ut communi utilitati deſerviant*, intelligenda ſunt, „ *non in ſolis Clauſtris ſed in univerſo Chriſtiano Orbe hæc vita communis in-* „ *ſtituenda eſt, atque cum his omnibus in communi vivendum*. Lege tu Lector, ſi per otium licet, quæ ibidem perſequitur Magiſter *Clauſtralis*; adeo quippe ſunt a veritate aliena, adeo ridicularia, ut me illius vice magnopere pudeat eadem referre & expendere. In ſolamen tamen lectoris pauca reſeribam eorum quibus interpretatur art. 7. q. 188. 2. 2. ubi Angelicus fuſius evincit, paupertatem baſim eſſe evangelicæ perfectionis, quia pecuniæ, ſeu divitiæ ſollicitudinem ingerunt. Cui doctrinæ ſic reſpondet R. Magiſter Clauſtralis pag. 326. *Peculium namque vel eſt ex cenſu, quem Parentes annuatim tribuunt, vel ex prædicationis, ac ſcholaſticarum lectionum ſtipendiis, aut eleemoſynis, aut amicorum, parentumque hæreditate, aut quovis alio modo comparatum*: (En quam multæ, quam indefinitæ ſint fodinæ, unde eruendum peculium.) *Non enim mercatorem in foris, aut proxenetam in nundinis, aut in colendis agris villicum agit: nullam ingerit ſollicitudinem, quæ a Sancta contemplatione divellat, & ne Deo vacet, impediat, intercedatque: non quidem in acquirendo: ſive ex annuo cenſu, aut hæreditate, aut ex eleemoſynis, ſive ex prædicatione, aut ſcholaſticis lectionibus natum eſt ingerere ſollicitudinem*. Peculia itaque, quæ ex his fontibus eruuntur non ingerunt ſollicitudinem, nec in acquirendo, quia ſolvuntur ab aliis, nec in conſervando, quia cuſtodiuntur a Depoſitariis? Hac ratione ditiſſimi nobiles, qui aliorum dex-

tera

tera redditus ampliſſimos colligunt, & conſervant, nulla divitiarum ſollicitudine premuntur.

XVI. Adverſarii ipſi experiuntur ſollicitudines, anguſtias, moleſtias, quas perferunt in comparandis peculiis ſuis. Quo ſtudio acquirendi peculium non urgentur illi, qui pauperibus orti parentibus cenſus vitalitios non habent, nec concionari, aut moderari cathedras valent? Quid de iis dicendum, qui Magiſteria, qui gradus ambiunt? Nulla ſollicitudine tanguntur Monachi in peculiis acquirendis, augendis, conſervandis, negotiandiſque? Verum quid ſpectra perſequimur. Verba potius, quibus Laureati in Theologia Magiſtri penitius doctrinam S. Thomæ interpretandi privilegium ſibi arrogant, lectoris oculis objicere juvat. Inquit ergo in Vindiciis pag. 134. Regius Profeſſor, a quo plura expilavit R. Magiſter Clauſtralis. *Qui per tranſennam vidit Moralis Theologiæ non codices, ſed umbelicum eorum, fortaſſe id ſine dubio aſſeverabit. Qui S. Thomæ Summam nondum perluſtravit, ſed in pluteis repoſitam de longe proſpexit, indubitanter aſſeret* (Peculia Clauſtralium improbari a S. Thoma.) *At non ita certe qui in Monaſtica Diſciplina eſt apprime verſatus, qui penitiora Theologiæ adyta penetrarunt, qui in Scholaſticis, ſeriique exercitationibus dies conſumpſerunt & annos, qui S. Thomæ opera ſedulo perlegit*, ut præſtiterunt RR. Magiſtri.

§. VIII.

Egerint ne RR. Magiſtri adverſus leges, quibus ipſi aſtricti ſunt, S. Thomæ doctrinam propugnare.

I. Legantur omnia S. Thomæ loca in Diſciplina Monaſtica laudata, textus omnes ad ſeveriores Critices leges revocentur, & luce meridiana clarius occurret ubique S. Doctorem rerum communitatem urgere, NIHIL reſervandum inculcare, omnia in commune conferenda docere, *loculos*, ſeu depoſita in Cœnobiis damnare, non ſecus ac in Apoſtolico Collegio Judæ loculos damnavit Chriſtus.

II. Leges, quas RR. Magiſtri profeſſi ſunt, non vetant modo, ne Lectores, Baccalaurei, & Magiſtri S. Thomæ doctrinam oppugnent, aut inanibus eludant commentis; verum etiam ſevere præcipiunt, ut Sancti Doctoris doctrina ſuas confirment Theſes, diſputationes, quæſtioneſque omnes.

Legan-

Digitized by Google

Legantur Conſtitutiones *Diſt.* 2. *cap.* 14. *text.* 1. *in Decal. lit.* C., quarum textus brevitatis gratia prætereo. Pœna ibidem conſtituta hæc eſt. *Quicumque a ſolida doctrina S. Thoma receſſerit vel verbo, vel ſcripto, aliquid contrarium dixerit, officio Lectoratus, & quocumque alio gradu, & dignitate in perpetuum privatus ſit.*

III. Porro nulla eſt in univerſa S. Thomæ doctrina controverſia, cujus deciſio adeo perſpicua & explorata ſit, ac iſta de peculio Monaſtico ab eodem improbato. Provoco RR. Magiſtros ad Diſſertationem peculiarem ſuper hoc ſolo puncto: *ſit ne a D. Thoma improbatum peculium, & rerum communitas Clauſtralibus neceſſaria propugnata?* Si ſubire certamen velint, fidem oppignoro meam illico ſolvendam: Eorum intereſt periculum facere, ne gradibus priventur juxta legum præſcriptum. Siquidem hactenus non modo non firmarunt aliquo Angelici Præceptoris textu proprias opiniones; ſed vanis, frivolis, & ridiculariis commentis eludere apertiſſima Divi Thomæ principia pertentarunt. Diſcrimini ergo ſuos expoſuere gradus, ſi leges aliquid valent. Verum hæc dicis gratia indicata ſint.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO QUARTA.

De Theologorum authoritate in cauſa exactæ communitatis Apoſtolico-Monaſticæ privati peculii expertis.

CAPUT I.

Ambo Authores Vindiciarum, & vitæ Clauſtralis mirum in modum hallucinantur in allegandis pro peculio Theologis, & Canoniſtis.

I. EA eſt humanæ naturæ imbecillitas, ut ſi qua diſputatio ferveat, quæ ab Scriptorum pendeat authoritate, continuo adverſantes partes dolum, fraudem, fidemque punicam in truncandis, falſandiſque Authorum textibus mutuo ſibi exprobrent. Quam criminandi artem illi, a quibus manifeſta ſtat falſitas, uſurpare in more habuere ſemper.

II. Cum ſerio animo reputo ad hunc impingere ſcopulum vel ipſos Religioſos viros, qui æternæ ſalutis cauſam orant, temperare mihi a dolore, a lacrymis minime valeo. Eequid enim hinc colligent tum Ethnici, tum Hæretici, nedum Catholici? Quid niſi ſcandala? Quid niſi ſuperbia, ambitione, partiumque ſtudio, atque vincendi ſimultate, minime vero pio, ſanctoque illuſtrandæ veritatis propoſito litem agi?

III. Porro RR. Magiſtri *Vindiciarum*, & *vitæ Clauſtralis* tot iſtius generis improperiorum ſpiculis Authorem *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ* proſcindunt, lacerant, infamant, ut ſingulis fere paginis græce, punicæque fidei reum poſtulent, quod dolo, fraude, arteque veteratoria Theologorum textus falſaverit, truncaverit, atque erroneo in ſenſu expoſuerit. Si reponam ego hæc omnia peracta a RR. Magiſtris, præfatumque Diſciplinæ Monaſticæ Authorem ſinceritate ſumma documenta omnia laudaſſe, *quid aliud* (inquit Auguſtinus lib. 3. contr. Petilian. c. 1.) *quam duo maledici eſſe-*

eſſemus, ut ii, qui nos legerent, alii deteſtatos abjicerent ſana gravitate, alii ſuaviter haurirent malevola voluntate. Quid ergo? Res facti cum ſit, alterutram erraſſe partem neceſſario conſequitur. An deferenda veritas eſt, ne pars rea publicam ſubeat ignominiam? Abſit. Quibus itaque inſiſtendum veſtigiis, ut utraque & negligendæ veritatis, & calumniæ manifeſtandæ extrema vitentur? Auguſtini via premenda. Sic enim perſequitur *loc. cit. Ego quando cuique vel dicendo, vel ſcribendo reſpondeo, etiam contumelioſis criminationibus laceſſitus, quantum mihi Dominus donat, frænatis, atque coercitis vanæ indignationis aculeis, Auditori, Lectorive conſulens, non ago, ut efficiar homini convitiando ſuperior, ſed errorem convincendo ſalubrior*.

IV. Ea itaque majori, quam ſumma cauſæ magnitudo fert, modeſtia dicere cogor, RR. Magiſtros tam inaudita paradoxa, tam incredibiles impoſturas evulgaſſe ad Conciliorum, Pontificum, Theologorum, & Canoniſtarum, quod attinet, authoritates referendas, ut omnem ſuperent expectationem. Tanta confidentia abuſi ſunt fide totius humani generis, ac ſi illorum ſcripta in manus prudentum pervenire minime debuiſſent, ut ſcitiſſime in rem meam ſubdit ibidem Auguſtinus. *Tam male exiſtimaſtis, non dicam de Chriſtianis, ſed de ipſo humano genere, ut non crederetis poſſe veſtra ſcripta in manus aliquorum venire prudentium, qui ſe a perſonis noſtris tollerent, & Quæſtionem potius, quæ inter nos vertitur, inquirerent, nec qui, vel quales eſſemus, ſed quid pro veritate, vel contra errorem diceremus, attenderent? Et horum judicium reverendum vobis fuit, quorum reprehenſio præcavenda, ne vos arbitrarentur nihil inveniſſe quod diceretis, niſi proponeretis cui quoquo modo malediceretis*. Exiſtimarunt forte ſuos legendos libros a ſolis illis, qui, perſequitur Auguſtinus, *libenter audiunt lites nugantium diſertorum, ut cum attendunt, quam eloquenter convicientur, ſimul non intueantur, quam veraciter convincantur*. At eos fefellit eventus. Ad manus noſtras ſcripta venerunt, illorumque perſequimur confutationem noſtri neglecta defenſione. An fraudi, doloſoque decipiendi animo: an oſcitantiæ, imperitiæ, præjudiciiſque cum lacte educationis hauſtis, vertendum ſit quod RR. Magiſtri ſtupenda confidentia Theologorum placita falſo repræſentaverint, aliorum eſto judicium. *Ego itaque* (inquit ibidem Auguſtinus) *contra tale conſilium quid agam, niſi mea potius defenſione neglecta rem teneam? ... Audite ergo quicumque maledicta legiſtis, quæ in me iratiores,*

quam

quam conſiderantiores evomuerunt. Hactenus Auguſtinus in rem meam, ſingulari numero in plurali mutato.

V. Ut vero quam enormis ſit calumnia Adverſariorum, quos non puduit ſcribere, Theologorum textus truncatos allegari in Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica, rogo, obteſtorque lectorem, ut legat ejuſdem Diſciplinæ *Diſſ*.2. caput primum, ubi fuſo calamo varia Theologorum placita ingenua perſpicuitate poſita ſunt. Pauca ibidem ſcripta, iſthuc tranſcribam. Itaque *loc. cit.* pag. 84. n. 11. hæc habentur „ Duas in ſpeciem oppoſitas, re tamen, ut videbimus, convenientes, in hac controverſia reperio ſententias. Prima communem vitam ita annexam Monaſticæ paupertati aſſerit, „ ut Regularibus nullum peculium neque ex Prælatorum licentia licitum „ ſit. Secunda in ſpeciem primæ oppoſita etiam poſt Tridentinum licita eſſe peculia Monachis ſuſtinet .... Ut igitur prudenti, ſolidoque „ criterio hæc Thæologorum placita diſcutiantur, quæ penes omnes extra „ diſputationem poſita ſunt, exponenda. In primis fatentur omnes vitam „ communem ſeveriſſimo præcepto impoſitam eſſe Regularibus. Unanimi „ pariter conſenſu ad hanc vitæ communitatem ſuſcipiendam animo paratos eſſe debere Regulares, immo pro viribus adlaborare, ut introducatur, ſi deſit, adfirmant. Certum quoque apud omnes eſt, Regularium „ Profeſſionem contractum quemdam eſſe ſolemni ritu peractum &c. Sicuti autem in quolibet contractu, una deficiente parte in ſuo explendo „ munere, deficiat quoque altera neceſſe eſt; *ita ſimiliter, ſi Religio in victus, & veſtitus proviſione deſit officio ſuo, illico in Religioſo profeſſo jus oritur naturæ, quemlibet antecedens contractum, victum, & veſtitum proprio peculio comparandi* „ Colligat vel hinc lector quam ſit atrox calumnia, Præfatæ Diſciplinæ Authorem in omni caſu negaſſe licitum peculium.

VI. Ibidem pag. 86. n. VI. „ Secunda ſententia, quæ peculia ut licita „ defendit, primæ adverſari videtur. Verum ſi conditiones, quas pro licito „ peculiorum uſu præſcribit, executioni mandentur, non adverſa, ſed eadem eſt, ac prima: maxime ſi doctrinæ ſubſtantiam ab aliquibus conſectariis, per quoſdam ſcriptores male deductis, ſecernamus. In primis hæc „ opinio primæ ſubſcribit in aſtruendo communitatis præcepto Regularibus „ impoſito. Deinde ad licitum peculiorum uſum plures exigit conditiones, „ quas ſupra fuſius explicuimus. „

VII. Ibidem pag.87. n.IX. „ Si utraque ſententia eamdem, ſaltem quoad „ ſubſtantiam pertinet, doctrinam propugnat, quo fundamento peculiorum „ patronos tanquam corruptelarum fautores traducimus? Obviæ oppoſitioni „ ex iis, quæ dicta ſunt, reſponſio patet. Eamdem reipſa Viri graves pru„ denteſque ſententiam edocent. Recentiorum vero plures in eamdem pa„ riter ſententiam ſe ire oſtentant, quia aliquando in peculiorum abuſibus „ ſuſdeque intermiſceent has duas voces: *neceſſitatis*, & *licentiæ Prælati*; „ ſed poſtea ex horum terminorum vel peſſima applicatione, vel pingui „ interpretatione laxiſſimas eliciant conſequutiones. Quare nos laxitatis di„ cam non omnibus inurimus, ſed iis tantum &c. quos in tres claſſes tri„ buimus. In prima eos conſtituo &c. „

VIII. Lege quæſo te, quæ *loc. cit.* & *Diſſert.* I. *c.* 2. *n.* 4. *pag.* 7. dicta ſunt, ut evidentiſſime colligas, adverſarios conculcatis omnis honeſtatis, & veritatis legibus, inique calumniari textus Caſuiſtarum minus ſincere allatos eſſe. Et ne te plus juſto detineam, paucis verbis rem expedio. Author Diſciplinæ Monaſticæ tranſcripſit textus, quibus vel ipſi laxiores Caſuiſtæ evincunt, Regulares exactæ communitati *gravi Eccleſiæ præcepto aſtringi*. Ex hoc principio ab omnibus Catholicis Theologis communiter admiſſo, demonſtrationibus evidentiſſimis colligit, peculium Regularium proprietatis vitio plenum eſſe, eo quod nullæ ſunt Prælatorum ab hocce præcepto diſpenſationes. Quoniam neceſſitates, quæ allegantur, criminoſa Prælatorum, & ſubditorum conniventia, communiter voluntariæ ſunt, futiles quoque & chimericæ diſpenſandi cauſæ extant. Caſuiſtarum quorumdam, qui admittentes exactæ communitatis præceptum, ſecum pugnantes laxiſſima eliciunt peculii confectaria, antilogias & aberrationes refellit Author Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ, ut quiſque videre poteſt.

IX. Cum hæc ita ſeſe habeant, quis unquam in animum inducere ſibi potuiſſet, reperturos fore homines, qui imponere auderent, mutilatos adductos eſſe textus, eo quod tranſcriptis verbis, quæ præceptum vitæ communis demonſtrant, allatæ minime fuerunt opiniones de diſpenſatione ab eodem præcepto, cum de his omnibus admonitus lector fuerit? Hac arte uſi ſunt adverſarii, ut ipſi impune mutilare textus, & confundere quæſtionem, quæ præceptum latum ab Eccleſia eſſe oſtendit, cum altera quæſtione longe diverſa de diſpenſatione ab eodem præcepto, facilius poſſent. Hæc Indicaſſe ſufficiat, ut quiſque intelligat, RR. Magiſtros perpetuo a ſtatu quæſtio-

quæſtionis aberrare, & Theologorum opiniones in pravum ſenſum detorquere. Quod ut manifeſtius fiat, Theologorum, & Canoniſtarum ſententias, quas allegant in peculii favorem, ſub examen revocemus. Nunc apparebit in conſpectu univerſæ Reipublicæ literariæ quis falſaverit Authorum Textus.

Author vitæ Clauſtralis citat pro Peculio Joannem Trithemium.

I. Author Vitæ Clauſtralis pag. 328. his verbis allegat pro ſe Trithemium „ Eo tempore ſcribebat Trithemius quo Clauſtralis Diſciplina pene „ exciderat, præſertim quoad paupertatis votum, tantum ſibi authoritatis „ vindicantibus Abbatibus nonnullis, & Clauſtralium Prælatis, ut proprium „ Monachis & Religioſis concederent ad arbitrium, bona ſtabilia Mona- „ ſterii privatis Clauſtralibus ad uſum fructum, & commendam irrevoca- „ biliter tradebantur, & quiſque quod annuente, vel connivente Prælato „ habebat, ſuum eſſe dicebat: unde nec levis umbra votæ paupertatis ap- „ pareret. Hos carpit & ſugillat, hos plectit & damnat Abbas perdoctus, „ ac pius Trithemius: *neutiquam vero peculium noſtrum, quod & ipſe-* „ *met fortaſſis habebat, ac ſuis cucullatis Monachis permittebat. Alioquin* „ *quo animo* non offendi ait in Sanctorum Patrum ſcriptis, & Regulis „ Peculium Monachis permiſſum? *Nonne permiſerat Auguſtinus? Nonne indi-* „ *gitaverat Caſſianus?* Nonne in *Regula Benedicti legerat pius ac doctus* „ *Abbas Trithemius?* „

§. II.

JOANNES TRITHEMIUS

Præ omnibus tum Theologis tum Canoniſtis bellum peculio Monaſtico indixit. Cavillationes omnes explodit. Impoſtura, quæ ſibi ab Authore vitæ Clauſtralis imputatur, antevertens ipſe refellit.

I. Joannes Trithemius pius & doctiſſimus duo edidit opera adverſus *Vitam Clauſtralem* ſeu relaxationem Regularium. Alterum inſcriptum *Liber Penthicus de ruina Monaſtici Ordinis.* Alterum *De proprietate Monachorum*

in quo latebras, effugia, rimas omnes Nummicolarum præcludit. Pauca ex multis dabo ex hoc ultimo in decem capita tributo.

T R I T H E M I U S

C A P U T V.

„ REvolvamus omnes Sanctorum Patrum Scripta Regulas, & num-
„ quam inveniemus Monacho *Peculium* ullatenus permiſſum. Omnes
„ hoc vitium damnant: omnes proprium Monacho prohibent: omnes *in*
„ *communi* vivere renuntiantes ſæculo, præcipiunt &c.

C A P U T V I.

„ *Quærendum eſt utrum in Abbatis ſit arbitrio cum Monacho*
„ *de peculio diſpenſare.*

„ II. AD hanc quæſtionem verbis Summi Pontificis in principio hujus
„ operis reſpondimus.... Quicumque hanc *Monaſticæ communita-*
„ *tis* Regulam violat, proculdubio ſe extra numerum electorum locat, &
„ ſua ſe temeritate graviter damnat.... Caveat itaque diſpenſator, ne li-
„ mites commiſſionis ſuæ in diſpenſando neceſſaria cum fratribus excedat,
„ neve infidelis exiſtat, memineritque *ſe miniſtrum* rerum Monaſterii eſſe,
„ *non Dominum*. Idcirco ſicut *proprium* aliis non poteſt concedere, ita nec
„ ſibi *peculium* ullatenus uſurpare. Diſtribuat ſingulis neceſſaria: nulli vero
„ concedat, nec ſibi quidem, ſuperfluum. Monachi enim habentes *victum*
„ *tenuem*, *&* *veſtitum ſimplicem*, his debent eſſe contenti.„

„ Abbas itaque, qui *Peculium Monacho* præter adminiſtrationem conceſ-
„ ſerit, *Prævaricatorem ſe Monaſticæ Regulæ oſtendit*. Nec ullo modo excu-
„ ſat proprietarios *ficta illa reſignatio*, *qua in pleriſque Monaſteriis claves in*
„ *Cœna Domini ponunt ad pedes Abbatis*, *animo ad dimittendum peculium*
„ *nequaquam reſignato*. *Quid iſta ſimulatio?* Putaſne Monache vitium pro-
„ prietatis te poſſe effugere, ſi *claves peculii tui* ad pedes Abbatis *iterum*
„ *repetendas* poſueris? Qualis eſt iſta proprietatis reſignatio, ubi Abbas co-
„ gitur tibi mox reddere quod videris reſignaſſe? Non eſt vera reſignatio
„ quan-

„ quando voluntas actioni non concordat. O Abba, qui & te decipis, & „ tuos! Cur Monachis proprium contra Regulam indulges?

„ III. *Reſpondebis forſan: Non concedo Monachis proprium, ſed tantum* „ *Neceſſaria ad USUM.* Si proprium negas, cur curam conquirendi Mo- „ nachis quæ volunt non amputas? . . . Iſta ne proprietatis vitio carent? „ Sed dic mihi. Quis oro neceſſaria Monachis tuis o Abba diſponit? Tu ne, „ an Cellerarius? Scio quod neuter. Quis ergo dat veſtimenta Monachis? „ Hic peculii ſumma contexitur: veſtes ſibi Monachi comparant: in amictu „ ſemetipſos curant: quærere ſunt compulſi a Parentibus, & Cognatis un- „ de vivant. Qui pecunia inter eos abundant veſtes ſibi neceſſarias compa- „ rant. Qui autem non habet pecuniam, patitur in veſtitu penuriam . . . . . „ Nulla præter nomen, & chorum in pleriſque communitas, dum unuſquiſ- „ que ſui ipſius curam gerit. Abbas vero Titulum ſine opere portat digni- „ tatis. Alius in communi dat victum Fratribus: veſtitum ſibi quiſque co- „ gitur providere . . . . *Quid omnes iſtos niſi Prævaricatores Monaſticæ Con-* „ *verſationis dixerim.* Qui Fratribus ſuis *ſecundum Regulam*, cum poſsint, in „ neceſsariis non provident, *qui eis peculium indulgent, qui Monachis occa-* „ *ſionem proprietatis præbent. Væ vobis Abbates, & Prælati Monachorum,* „ *qui oves Chriſti ſanguine redemptas moribus veſtris interficitis, qui mo-* „ *naſticam unitatem violatis, qui Regularem obſervantiam deſtruitis. Væ in-* „ *quam vobis vitæ Apoſtolicæ deſertores! . . . Ut enim licenter poſſideatis vos* „ *ipſi Peculium, libenter cum Monachis in vitio ſimili diſpenſatis. Enim vero* „ *ſi Regularem obſervantiam diligeretis ex animo, tantum nefas Monachis non* „ *permitteretis &c.*

CAPUT VII.

„ *Contra excuſantes proprietatis vitium.* „

„ IV. SUnt autem nonnulli, qui ſe Patronos (*perpendant Vindiciarum,* „ *& Vitæ Clauſtralis Authores*) vitiorum ſtulta præſumptione ex- „ hibent, & qui Monachos ſevera diſtrictione corrigere debuerant, perdita „ commiſeratione excuſant. Contra Regulam Monachis concedunt propria: „ & dum oves morbidas per zelum rectitudinis turbare metuunt, commiſ- „ ſas ſibi animas perdunt. *O Abba nutritor vitiorum, Proprietatis ſceleratæ*

„ *indul-*

„ *indultor?* Quid reſpondebis ſummo paſtori, cum a te oves requiſierit „ ſuas. Quid inquam reſpondebis ex omni parte accuſatus, qui Rector ani- „ marum poſitus vitia ſubditorum tuorum debueras arguere, non times ſce- „ leribus fomitem miniſtrare? „

„ V. *Sed dices: Ego Monachis meis proprium non indulgeo, ſed neceſſaria* „ *concedo*. Quomodo peculium audes dicere, quod puræ neceſſitatis eſt? „ Quid hæc dicis o Abbas? Ecce Monachi tui, ipſi ſibi veſtes coguntur „ diſponere. *Permittis quæ volunt* ſuis pecuniis comparare..... Væ tibi „ Rector Monachorum, qui ſubditos tuos in Ægyptum non times reducere, „ dum eos proprium ad *privatum USUM* conſentis poſſidere. „ Eſt ne hic ſermo, RR. Magiſtri, de peculio aut invito Abbate habito, aut de immoderato?

„ VI. *Quid mihi excuſationis inepta verba opponis? Numquid ratione admi-* „ *niſtrationis Fratribus tuis indulges Peculium? Monachi ne omnes admini-* „ *ſtratores ſunt? Quid adminiſtrant?* Publica, an privata? Si adminiſtrant „ publica, diſpenſatio ſuper habenda pecunia ad rationem officii tantum li- „ cita erit: ſi autem adminiſtratio non publica, ſed privata fuerit, poſſeſ- „ ſio pecuniæ proprietas erit. Qualis ergo excuſatio eſt Monachorum, non „ officialium, *qui proprietatis ſuæ vitium NOMINE ADMINISTRATIO-* „ *NIS palliare conantur. Quid adminiſtratis o Monachi? Cui neceſſaria di-* „ *ſponitis? Non ne vobis metipſis?* Sane dum unuſquiſque curam ſui ipſius „ gerit, in deſideriis carnis ſuæ, nonne *Proprietarii eſtis? Tollite verba ex-* „ *cuſationis. Deus non irridetur.*

„ VII. Sed forſitan dicitis: Non eſt dicenda proprietas, cum ad reſignan- „ dum eſt prompta voluntas. Eſto. Quando vos ad reſignandum quæ ha- „ betis promptos inveniam? Reſpondebitis. Ex corde ad reſignandum omnia „ promptos nos in Cœna Domini oſtendimus, quando rerum noſtrarum „ omnium claves ad manus Abbatis noſtri reſignamus. „

„ VIII. Quare hoc facitis? Ut nos veros Monachos probemus. Falſum „ eſt..... *Dic mihi Abba? Cur peculium non auſers a Monachis, qui ſe* „ *ad reſignandum promptos affirmant?* Ecce quidam eorum *tibi claves pecu-* „ *lii* ſui cuſtodes in Cœna Domini reſignaturos ſe offerunt. Cur illa non „ recipis? *Timeo, inquis.* Quid times? *Monachos timeo.* Cur illos? *Quo-* „ *niam ſcio, quod non ſint ex animo reſignati.* Quid ergo? Tu aufer ab „ eis quod reſignant *peculium*, & noli conſiderare animum fictum. Ite-

„ rum

Digitized by Google

„ rum times? Quid trepidas? Quid moraris? Aufer quod offerunt. Et fac „ eis non ſecundum animi ſententiam, ſed ſecundum ſententiam ſermonis. „ Non audeo inquis. Quia mala minantur. Quidquid contra me excogitare poterunt facturi ſunt, ſi proprium auferens, conſuetudinem eorum infregero. Proprio, quod ficto reſignant animo, eis denuo indulgeo, quia „ furorem eorum expaveſco. „

„ IX. *Videtis nunc o Monachi, quid Abbas de reſignatione veſtra ſentiat? „ Quam fictam eſſe, & vanam nullus noſtrum ignorat. Denique major pars „ veſtrum illum reſignandi uſum nec verum habet, nec fictum. Excuſationes „ in peccatis quæritis, qui ſub adminiſtrationis vocabulo proprium defenſatis.*

CAPUT VIII.

„ X. HOc deteſtabile vitium (peculii)... ſi quemquam ſemel invaſerit, „ raro ſalutis remedia admittit. *Aſtuta ſunt argumenta Diaboli.* In „ primis Monaehum de parva pecuniæ ſumma ſollicitans veluti rationabilis, ei „ falſos colores, ob quos vel reſervare ſibi aliquid ad neceſſitatem futuram „ debeat, vel parare confingit, ut cum ſe victorem in parvis ſenſerit, ad majora paulatim compellere incautum poſſit: qui enim ſuccumbit in minimo, quomodo victor in maximo erit? Poſtquam vero ſe Diabolus in „ omnibus auditum præſenſerit, graviora cogitationibus immittit. Conquiſitis „ enim Monachus aliquot nummis, videtur ſibi, quod in eodem Cœnobio „ diutius non poſſit conſiſtere..... *Deinceps nulla peculii habetur conſcientia dum quaſi pro VIATICO SANCTIORIS VITÆ quærendæ non creditur culpa.*

XI. Hæc legat, hæc meditetur R. Magiſter *Vitæ Clauſtralis*. Poſt, publieum iterum ſubeat litteratorum conſpectum. Seribat, Trithemium non improbare peculium habitum ex licentia ad nutum revocabile, aut titulo adminiſtrationis: jactet ſuam fictam reſignationem ad peculium dimittendum: obtrudat illam ludieram cæremoniam, qua in annos ſingulos ſchedulam Priori exhibet, in qua quantitatem ſui peeulii privati exponit. Hæc omnia, ut proprietatis velamen propulſat Doctiſſimus Trithemius. Buccinet nunc R. Magiſter, P. Concinam truncaſſe Authorum Textus.

§. III.

§. III.

Dionyſius Carthuſianus *integro opuſculo* de Reformatione Clauſtralium *inſcripto, reprobat peculium. Impoſtura eidem impacta ab Authore* Vitæ Clauſtralis.

I. Qua fide Magiſter *Vitæ Clauſtralis* in peculii defenſorem laudavit Trithemium, eadem citat Dionyſium Carthuſianum *pag.* 333. Primum eidem imponit, quod damnet dumtaxat peculium ſtrictim acceptum, *quod profectitium appellatur, & uſum fructum adfert*. Deinceps concedit illum propugnaſſe quidem Vitam communem, non tamen ut neceſſariam, *ſed ſolum ut tutiorem*. Antiprobabiliſta autem noſter in cauſa propria *Probabiliſmum* immo laxitatem amplectitur, quia inquit *Dionyſius Carthuſianus Concinianam cauſam nihil juvat*. Quanta ſinceritate Carthuſianum referat paucis perſtringam. Titulos articulorum deſcribam, ut eoſdem quiſque legere facile valeat. Si enim, quæ pius, ac perdoctus iſte Theologus docet, exſcribere vellem, non exiguum conficerem volumen. Viginti conſtat articulis præfatum de Reformatione Clauſtralium opus: ab VIII. uſque ad XVIII. peculium ejuſque defenſores exagitat.

ARTICULUS VIII.

An liceat Monachis habere proprium, aut peculium, & quid nomine peculii deſignetur.

I. Expoſitis variis peculiorum generibus ſatis notis, hoc pacto ſtatum quæſtionis proponit. „ Porro alii medio modo ſe habere videntur, qui haben-„ tes peculium de proprietatis vitio, ſe excuſant dicentes, ſe habere, non pro-„ pria, *ſed appropriata*, qui de licentia Abbatis aut Superioris talia habent, „ ſeque ad reſignandum juxta Superioris præceptum aſſerunt præparatos. „ Denique *quidam Doctores* conantur tales Religioſos a proprietatis vitio „ excuſare, dummodo Superioribus ſuis nihil occultent, nec ſibi conceſſis „ abutantur, & ad præfatam parati ſint reſignationem. *Nunc ergo diligen-„ ter inquirendum & oſtendendum eſt, quid in hac quæſtione veritas dictet.* „ Qua majore perſpicuitate exponere controverſiam hanc Carthuſianus poterat? Quid reſolvit?

II. *Ita-*

Digitized by Google

II. *Itaque, quod habere peculium ſit Religioſis illicitum, & Sanctæ Religioni vehementer contrarium; immo Religioſi ſtatus, atque Monaſticæ Vitæ lamentabiliter deſtructivum, & contra Sanctiſſimorum Patrum, qui Ordines inſtituerunt, intentionem, doctrinam, & prohibitionem, jam quantum fons ſapientiæ Verbum Dei in Excelſis præſtiterit demonſtrabo. Et primo quod ſit contra Scripturam Canonicam, ideſt contra Chriſti Concilia in Evangelica lege contenta. Secundo quod ſit contra Decreta Generalium Conciliorum. Tertio quod ſit contra Decretales Summorum Pontificum. Quarto quod ſit contra intentiones & Præcepta Patrum Sanctorum qui Ordines inſtituerunt. Quinto quod ſit contra Doctores Scholaſticos.*

ARTICULUS IX.

Quod Religioſum habere peculium, aut proprium ſit contra Evangelica Chriſti Conſilia.

III. Recenſet Conſilia Evangelica. *Si vis perfectus eſſe: vade, vende omnia &c.* Poſt ſubdit. *Quem his verbis ſenſum intenderit Chriſtus, & quomodo intelligenda ſint ea, nec certius, nec verius ſcire valemus, niſi ex verbis & factis eorum, quos Spiritu Sancto pleniſſimos fuiſſe non dubitamus, videlicet Apoſtolorum, & eorum, qui cum Apoſtolis converſati noſcuntur &c. Itaque quod Chriſti intentio his verbis perfectam conſulere paupertatem OMNE PECULIUM excludentem, primo conſtat ex eo, quod ſicut in Actibus Apoſtolorum deſcribitur &c. Nec quiſquam illorum, cui adminiſtratio commiſſa non erat, peculium habuit &c.* ERROR Authoris Vitæ Clauſtralis convulſus à Carthuſiano. Lege integrum Articulum.

ARTICULUS X.

Quod Monachum habere proprium aut peculium ſit contra Decreta Generalium Conciliorum.

ARTICULUS XI.

Quod Monachum habere proprium, aut peculium, ſit contra Decretales Summorum Pontificum.

ARTICULUS XII.

Quam diligenter, & inviolabiliter obſervanda ſint Generalium Conciliorum, atque Summorum Decreta Pontificum.

ARTICULUS XIII.

Contra quoſdam peculium Monachorum periculoſe, & imperite excuſantes.

I. Quoniam in hoc articulo Carthuſianus omnia recenſet ſophiſmata, quibus Recentiores eludere Decreta ſolent tum Tridentina, tum Pontificia, lubet nonnulla tranſcribere, ut hcinc Author *Vitæ Clauſtralis* habeat novum ſuæ ſinceritatis teſtimonium. Sic ergo ſcribit Carthuſianus.

„ Quemadmodum quidam Doctor in tractatu ſuo de iſta materia recitat, nonnulli Doctores excuſant peculium Monachorum, & Monialium a vitio proprietatis, *dummodo Superioribus ſuis, videlicet Abbati, aut Abbatiſſæ nil celent, & ad reddendum, ſeu dimittendum paratæ ſint juxta Superiorum voluntatem, nihilque recipiant, vel expediant ſine illorum licentia*. „

„ Denique ad ea, quæ ſupra dicta ſunt *ex Concilio Lateranenſi, & Conſtitutione Domini Papæ*, reſpondent: quod prohibitio illa de non habendo peculio, aut proprio, *intelligenda ſit, quod Monachus non debet aliquid poſſidere* aut habere peculium nomine proprio. Non autem ibi prohibetur Monachus aliquid poſſidere nomine Abbatis, & de expreſſa permiſſione ipſius. Similiter dicunt, quod cum Monacho non poteſt diſpenſari, ut habeat proprietatem nomine ſuo, ſed poteſt cum eo diſpenſari, ut habeat ALIQUID peculiare nomine Abbatis, aut Monaſterii. „

III. En omnia commenta paucis a Dionyſio Carthuſiano indicata. En Magiſtri Clauſtralis *aliquid*, & diſtinctionem futilem *proprii*, & *peculii* expoſitam. Audiat nunc ejuſdem reſponſum, quod continuo ibidem reponit.

IV. *Iſtud videtur inconſideratiſſime dictum: in ipſo namque Concilii Lateranenſis Decreto peculium luce clarius Monachis adminiſtrationem communem*

non

Digitized by Google

non habentibus prohibetur: & Abbati ſub pœna abſolutionis a ſuo officio diſtricte præcipitur, ut non permittat aliquem Monachorum ſuorum habere peculium, niſi ratione adminiſtrationis: quod item habentes peculium, & morientes in eo, ſecundum determinationem Concilii puniat. Quomodo ergo Monachus nomine Abbatis poteſt habere peculium, eum Abbati prorſus prohibitum ſit Peculium Monacho dare, immo & permittere, ut habeat illud? Præterea quæro ab illis peculii Monachorum excuſatoribus, quomodo intelligunt id, quod dicunt, Monachum nomine Abbatis poſſe habere peculium. Si namque ita intelligant, nomine Abbatis, ideſt ex parte, ſeu conceſſione, vel licentia Abbatis, jam patuit, quod hoc prohibitum ſit Abbati hoc ipſum concedere, licentiare, ſeu permittere. Si autem intelligant, nomine Abbatis, ideſt in quantum eſt Abbas, vel repræſentat Abbatem, conſtat hoc fatuum, riſuque dignum eſſe.

V. Perſequitur Carthuſianus validiſſimis argumentis refellere innane commentum, cui ſimile vix in tota Probabiliſmi officina reperitur. Poſtquam vero ad ultimum demonſtrationis gradum ſuum produxit argumentum; alio ex capite, nempe ex debito amplectendi ſententiam Probabiliorem, oſtendit Prælatos non poſſe cum ſubditis diſpenſare in peculio eum Monachis. Hæc ſunt illius verba.

„ VI. *AMPLIUS*, cum prima mater diſpenſationis ſit urgens neceſſitas, „ deinde vera, evidenſque utilitas, attendat qui Monachis præeſt, quid eum „ cogat ad dandum peculium Monachis ſuis, & quæ eis utilitas inde proveniat: „ immo ſi diligenter penſaverit, videbit, quod multiplex vilitas, ac ruina „ Monachis ex peculio generetur, & quod ſibi non ſit neceſſe illud concedere; „ ſed ex negligentia, conſuetudine prava, & aliis cauſis non bonis introdu- „ ctum eſt peculium Monachorum. At vero ſecundum Dominum Gulielmum „ Antiſiodorenſem, quem Albertus ſuper ſententias vocat Magnum Doctorem, „ in Summa ſua Religioſi, ſeu Monachi non ſolum tenentur ad viam melio- „ rem, ſed etiam ſecuriorem. *Cum ergo ſecurius ſit Monacho carere peculio, te-* „ *netur illo carere. Item ſecundum Auguſtinum qui ſe committit diſcrimini,* „ *peccat mortaliter. Cum ergo Doctores devotiores, & Viri religioſiores COM-* „ *MUNITER reprobent peculium Monachorum, quamvis aliqui aliquo modo* „ *excuſent, videntur ſe AD MINUS diſcrimini committere Monachi habentes* „ *peculium.*

VII. Quid ad hæc Antiprobabiliſtæ noſtri? Securior ſententia, quam hic vocat Carthuſianus, non eſt tutior, ſed unice tuta. Nam aliqui tantum

Doctores minus devoti, & minus Religioſi *aliquo modo* excuſare ſtudent peculium. Doctores vero pietate, & doctrina ſplendidi *communiter* peculium reprobant. Ergo evidens eſt, alteram ex his opinionibus non eſſe tutam, alteram tutiorem: ſed *communis* ſententia reprobans peculium eſt probabilior, *AD MINUS* inquit *Carthuſianus*, & ſecurior: ergo Antiprobabiliſtæ noſtri eamdem amplecti tenentur. Hoc argumentum addidit Carthuſianus *ad Amplius*. Cæterum nec minimum probabilitatis gradum concedit ille opinioni excuſanti *quoquam modo* peculium.

VIII. In iſtius Articuli XIII. calce conſuetum ſophiſma ſibi objicit Carthuſianus. *Poſtremo & id mihi objici poteſt, quia tam diſtricte contra peculium Monachorum ſcribendo, quaſi innumerabiles diverſarum Religionum perſonas in ſtatu damnationis conſtituo. Fateor conſideratio iſta aliquos terruit, & ad ſcribendum de iſta materia nimis remiſſe induxit. Quid igitur reſpondebo?*

„ IX. Utique pro præſenti aliud pro reſponſione non occurrit, niſi quod
„ zelo Dei, & Sanctæ Religionis hæc ſcribo, atque in genere loquor, & viam
„ ſecuriorem oſtendo. An vero aliquæ Religioſæ perſonæ habentes peculium
„ ſecundum modum, quem QUIDAM Doctores excuſant, excuſentur in ſpe-
„ ciali *ex aliqua cauſa occulta* ſecundum quod aliqua ſunt mortalia *in gene-*
„ *re*, quæ tamen *in ſpecie* excuſantur a mortali, *propter actus MODICITA-*
„ *TEM*, vel *SUBREPTIONEM*, *ego hoc interim Divino committo judicio:*
„ *ſecurior autem via amplectenda eſt Religioſo.* „

X. Hæc ultima verba ex integro Articulo detruncavit Author *Vita Clauſtralis*, ut hic inferret Carthuſianum propugnare quidem communitatem, at non ut neceſſariam, ſed ut tutiorem, quaſi tuta eſſet oppoſita opinio. Quod commentum quam ſit prodigioſum, & inſolens, cuique legenti Carthuſianum palam fiet. Cautiſſime loquutus eſt Doctor incluſus. An excuſentur habentes peculium, aut propter *actus modicitatem*, aut *propter ſubreptionem*, aut juxta modum, quo *aliqui* Doctores illud excuſant, divino committit judicio. Quis ſimilia non docet? Quid quod ipſemet Carthuſianus hoc eodem Articulo *circiter medietatem* hanc cavillationem prævenit his verbis. *Et quamvis forte in aliquo caſu excogitabili poſſet ad tempus aliter expedire, propter hoc non eſt COMMUNIBUS REGULIS, legibus, & præceptis contradicendum, aut derogandum.*

XI. Sequuntur Articuli ejuſdem Dionyſii Carthuſiani.

„ A R-

„ ARTICULUS XIV.

Quod Monachum habere peculium ſit contra intentionem, & juſſionem Patrum ſanctorum, qui Ordines inſtituerunt.

„ ARTICULUS XV.

Quod Monachum habere peculium ſit contra Doctores Scholaſticos.

„ ARTICULUS XVI.

De vitiis Monachorum, quæ ex peculio & proprietate ſequuntur: & quomodo proprietas ſine uſu minus noceret, quam uſus abſque proprietate.

§. IV.

Theodoricus de Monaſterio.

Legantur articuli XV. XVI. & XVII. Dionyſii Carthuſiani, qui refert ſententias, & argumenta, quibus præfatus Theodoricus peculium Monaſticum improbat, excuſationes Nummicolarum convellit. Et heinc perſpecta erit ſinceritas Authoris *Vitæ Clauſtralis* ejuſque dialectica, qua pag. 329. logicum agens, *vellitationem* inſtituit in *cameſtres* & in *celarent*. Defendat, ſi valet, ſuam ſinceritatem in allegandis Theologorum ſententiis.

§. V.

B. Joannes Dominici, S. Antoninus, Joannes Excuria, Joannes de Neapoli, Joannes Nyder, Joannes de Turrecremata.
Thomas Cajetanus.

Omnes recenſiti Authores per ſummam hallucinationem, ut mitiſſime loquar, laudantur in peculii favorem ab Authore *vitæ Clauſtralis* a pag. 230. ad pag. 244. Textus Joannis Dominici, S. Antonini, & Turrecrematæ allati ſunt Diſſert. 2. Tractatus Joannis Excuria, & Joannis Nyder legi poſ-

ſunt

Digitized by Google

ſunt ſub finem Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ. Et Cardinalis Cajetanus legatur 2. 2. *q.* 189. *art.* 9.

CAPUT II.

Author vitæ Clauſtralis, & Author Vindiciarum *perpetuo implicant quæſtionis ſtatum. Eorumdem hallucinationes in recenſendis Theologorum authoritatibus.*

I. TOties dictum eſt duo diſtinguenda in hac controverſia. Alterum, quod legem exactæ communitatis cujuſque privati peculii, vacuam: alterum, quod diſpenſationem ab hac lege in aliquo peculiari caſu, neceſſitate, & rationabili cauſa urgente, ſpectant. Author *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ Diſſert.* 2. & 3. Theologorum & Canoniſtarum Textus, quibus legem ſeu præceptum evidenter oſtendit, in medium adduxit. Admonuit Lectorem ejuſmodi Theologorum aliquos nimium faciles eſſe in diſpenſationibus concedendis, & potiſſimum Caſuiſtarum nonnullos, ut Dianam, Caramuelem, Bordonium, aliosque paucos laxiſſimas opiniones evulgaſſe. Et quia miſſis textibus diſpenſationem ſpectantibus, attulit eos, qui legem ab Ecclefia latam eſſe evincunt, non verentur infidelitatis eumdem poſtulare. Res facto evidentior evadet. Age ergo, Authores in examen veniant.

§. I.

Sylveſter Prieras.

Verb. Religio VI. *Si Prælatus non facit quantum poteſt ſine magno ſcandalo, ut vivatur in communi, non eſt in ſtatu tuto. ar. diſ.* 83. *Error. Subditi vero dictæ communitati reſiſtentes non quia non poſſunt ſufficienter vivere, ſed quia volunt abundare, & de ſuis ſuo modo facere, videntur in malo ſtatu.* Laudatur a RR. Magiſtris idem Sylveſter verbo *Abbas*, ubi concedit Prælatum ab hac lege diſpenſare poſſe. Quid inde? Propterea ne legem negat? Videndum ſupereſt, num licite diſpenſet ſine urgentiſſima cauſa. An Tridentinum, & Pontiffices non ademerunt Prælatis facultatem diſpenſandi ob infinita mala, quæ inde

de dimanant? RR. ergo Magiſtri aut infidelitatis rei ſunt, aut ignorantiæ in Theologorum ſententiis referendis.

§. II.

Franciſcus, & Ludovicus Lopez.

Ludovicus Lopez 2. p. inſtruct. cap. 5. *Decretum hoc Concilii Tridentini omnes Religioſos quoſcumque intra ſua Monaſteria degentes in communi contendit reformarè, omneſque abuſus circa paupertatem promiſſam extirpare: ſicque inhibere videtur Prælatis, ut Religioſis ſubditis aliquod peculium bonorum ſtabilium, vel immobilium, cujuſmodi ſunt redditus, vel cenſus, poſſint concedere neque quantum ad proprietatem, neque uſum fructum, adminiſtrationem commendam, vel USUM, ſicut id expreſſe indicit, ut neque ex eorum LICENTIA talia poſſint ſubditi obtinere.*

Franciſcus Lopez de Texeda *lib.* 2. *tract.* 2. *contr.* 7. *dub.* 2. *n.* 24. *Religioſi tenentur ex merito ſuæ profeſſionis & ſtatus de COMMUNI vivere, & contenti eſſe cum his quæ a Religione miniſtrantur, & memores eſſe debent differentiæ, & diſtantiæ ſtatus Religioſi a ſtatu ſæcularium. Addo, Religionum Prælatos ex meritis officii ſui teneri debitam adhibere diligentiam, ut Religioſi ſubditi vitam tranſigant in COMMUNI, & ideo tenentur valde eſſe ſolliciti de neceſſariis illis conferendis pro victu & veſtitu. Quare ſi illa non tribuant, tum commode poſſint, PECCANT MORTALITER, & ſunt indigni Prælatorum officio, qui tribuunt anſam Religioſis, ut peculia quærant, & votum laudabile paupertatis infringant.*

Author *vitæ Claſtralis* nil habens quod reponat, pag. 349. reſcribit verba ſui Commilitonis Magiſtri *Vindiciarum*, qui pag. 222. improperat Authori Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ, quod *arte reticuerit* illa, quibus idem Lopez permittit peculium juxta urgente cauſa. At non ne millies dictum eſt, jure naturæ debitum peculium eſſe neceſſitate cogente? Quid itaque legem negatis ob caſus quoſdam peculiares? Aliud commentum, quod *Vindiciarum* Author obtrudit, nimirum Lopez loqui de communitate *Regulari*, ſecus de *Apoſtolica*, ut inſulſum prætereo.

§. III.

Digitized by Google

§ III.

Joannes Baptiſta Conradus.

Author *vitæ Clauſtralis* pag. 350. ſcribit, Conradum reprobare tantum peculium *independenter* a Prælato habitum ſeu *irrevocabile*. Adi verba Conradi non ex rivulo, ut fabulatur Clauſtralis noſter, ſed ex fonte hauſta, nempe ex 1. p. q. 59.

„ Tertio addimus, quod peculium Religioſi ad uſus indeterminatos, *licet* „ *ſit REVOCABILE* per Prælatum, ejuſque proprietate & dominio ca„ reat: ſi tale peculium continet bona ſtabilia, cujuſmodi ſunt cenſus, „ & redditus, *etiamſi accedat licentia Prælati*, *prohibitum eſt per Concilium* „ *Tridentinum*.

§. IV.

Bartholomæus Maſtrius a Magiſtro Vindice falſo laudatus.

Diſp. 14. q. 1. art. 5. n. 41. Tertio præpterea, modus ſpecialis, quo Re„ ligioſi tenentur ſervare votum paupertatis, *ut Doctores communiter docent*, „ eſt vivendo *vita communi*. Vivere autem in communi, ut docet Barto„ luccius noſter *lib.* 1. *c.* 3. de voto paupertatis *n.* 42. eſt vivere in vera pau„ pertate, & de manibus Prælati ſincere recipere quidquid opus eſt cui„ que ad ſuæ vitæ ſuſtentationem, *puta victum*, *veſtitum*, *cellam*, *mobi*„ *lia*, *utenſilia*, *& alia hujuſmodi*, & æquo animo retinere, recipere, & „ reſignare totum, quod per manus obedientiæ ad ipſum Religioſum per„ venerit. Tenetur autem Religioſus ad hunc vivendi modum; quia licet „ ſine tali vita communi votum paupertatis ſimpliciter obſervari poſſit, „ ut ait Lezana cum Navarro, & etiam Faber noſter *Diſp.* 45. *c.* 5. cum „ votum paupertatis ſubſtantialiter in eo conſiſtat, ut non habeatur domi„ nium alicujus rei temporalis, aut uſus ipſius ſine licentia Superioris: *Ni*„ *hilominus Eccleſia Spiritu Sancto edocta proſpiciens difficultatem obſervandi pau*„ *pertatis votum ſine prædicta vita communi*, *ideo hunc ſpecialem vivendi mo*„ *dum omnibus præſcripſit*, *ut patet ex Concilio Tridentino loc. cit. ubi ſtatuit* „ *quod nemini &c.* .... *Quæ omnia confirmata fuerunt a Clemente VIII. in*

„ *Decret.*

„ *Decret. pro reform. quæ habentur tom.* 3. *Bull. n.* 6. *& poſtea approbata*, „ *& innovata a Sacr. Congreg. Concilii auctoritate Urbani VIII. in Decretis* „ *de Apoſtatis & ejectis.*

„ *Neque audiendi ſunt, ut recte advertit Lezana loc. cit. aliqui dicentes*, „ *mentem Concilii, Summorum Pontificum, & SS. Congreg. eam ſolummodo* „ *eſſe, quod Religioſi nihil habeant inamovibile, & independens a voluntate* „ *Superioris: non vero quod non poſſint habere quæcumque bona, ſive mobilia*, „ *ſive immobilia amovibiliter tamen, & dependenter a Superiorum voluntate.* „ *Non inquam* (Audiant RR. Magiſtri) *ſunt audiendi*: *QUIA HOC EST* „ *MANIFESTE ELUDERE VERBA CONCILII, PONTIFICUM*, „ *ET SACRÆ CONGREGATIONIS*, *quorum Decretis expreſſe præcipi-* „ *tur, quod omnia a Religioſis quomodocumque acquiſita*, ſtatim Superiori „ tradantur, & Conventui incorporentur, *& cum aliis ipſius bonis* confun- „ dantur. *Unde illorum eſt intentum, non ſolum quod Religioſi nihil indepen-* „ *denter a voluntate Prælatorum habeant, ſed ut adminiſtratio bonorum illorum* „ *ad ſolos officiales Monaſteriorum pertineat, & non ad ipſos Relioſos priva-* „ *tim*, *UT INDE COMMUNIS victus & veſtitus OMNIBUS ſuppedi-* „ *tari poſſit, in quo vita communis conſiſtit.*

ANIMADVERSIO.

Non modo Maſtrius, licet benignus Probabiliſta, docet vitam communem ab Eccleſia graviſſima præſcribi lege; verum etiam teſtatur, hanc eſſe *communem Doctorum ſententiam*, ſubditque, ceteros Caſuiſtas, qui oppoſitum docent, deludere Eccleſiæ, Conciliorum, & Pontificum Decreta.

§. V.

Donatus Laynenſis.

Quærit *Tom.* 3. *tract.* 15. *q.* 4. an vita communis ſit ſub præcepto Religioſis impoſita? Reſpondet. *Deciſio affirmativa manifeſte colligitur ex Regula S. Auguſtini, qui non ſolum præceptum poſuit circa virtutem vitæ communis, ibi:* ſint vobis omnia communia; *ſed etiam prohibitionem circa vitium oppoſitum, dicens*: Non dicatis aliquid proprium*; quod adeo vult ſervari, ut*

non ſolum in re non inveniatur proprietas; ſed nec etiam in ore, cum dicit: Non dicatis aliquid proprium, *exemplo primitivæ Eccleſiæ* (Act. 4.) Nec quiſquam eorum, quæ poſſidebant, aliquid ſuum eſſe dicebat. *Et ratio potuit eſſe, quia licet ſine tali vita communi poſſit obſervari votum paupertatis ..... Adhuc tamen videns, quod ſine tali vita communi difficulter, & valde difficile obſervari poſſit prædicta Religioſa paupertas, dictum præceptum poſuit ad vivendum in communi. Item advertens Eccleſia a Spiritu Sancto edocta de novo præcepit, modumque præſcripſit vivendi in communi: non ſolum in ſpecialibus Regulis Religioſorum, verum etiam in Concilio Tridentino ſeſſ. 25. de Reg. item in Decreto Clementis VIII. quæ omnia ab Urbano VIII. adprobata fuere, & noviſſimo Decretis Sacræ Congregationis.*

Author *Vindiciarum* reſpondet pag. 47. Donatum eam communitatem dumtaxat aſſerere eſſe præceptam, quæ in *abdicatione proprietatis conſiſtit*. Hæc communitas, Reverende Magiſter, eſt de eſſentia voti. Subdit. *In caſſum ergo Amicus ad ſua Caſtra pertrahit Laynenſem, quem revera habet hoſtem apertum. Id clarius infra conſtabit, cum integrum Donati textum laudavero, & noſtri ſodalis ſtratagemma detexero.*

Quid reponendum homini, qui impoſturas proximo affingere in deliciis habet? Oro, obteſtorque Lectores omnes, ut legant præfatum Donatum Laynenſem *citat. tom.* 4. *tract.* xv. *q.* 4. *pag.* 187. ut propriis oculis impoſturam deprehendant Magiſtri Vindicis dicentis: *Cum integrum Donati textum laudavero*. Ex hac ſcribendi formula quiſque colligit truncatum fuiſſe textum, cum tamen certiſſimum ſit fide ſumma allatum eſſe, cum in laudata *quæſt.* 4. nec verbum aliud Donatus habeat. Continuo autem, nempe *quæſt.* 5. probat Monialem cogi poſſe ad vitam communem. Et poſt quatuor alias quæſtiones inſtituit *quæſtionem* 10. in qua evincit Tridentinum novo jure aſtringere Regulares ad vitam communem, & oppoſitam confutat ſententiam.

Tandem pag. 191. inſtituit quæſt. xi. in qua hoc proponit dubium. *An ergo Monialis habens annuos redditus, ut ſupra cenſenda ſit infernalis & damnata?* Et cum hæc ita ſe habeant, non puduit Magiſtrum *Vindicem* ſcribere pag. 200. hoc *quæſitum de Moniali damnata* contineri in ipſa citata quæſtione quarta, inquiens: *Ut ergo veritas eluceſcat, integrum ejuſdem Donati textum laudandum cenſui: immediate enim poſt verba ab Amico relata quærit an Monialis &c.* Verba ab Amico relata habentur q. 4. pag. mihi 187. Dubium

pium de Moniali damnata habetur q. XI. pag. 191. In quæſtione quarta definitur exiſtere præceptum exactæ communitatis. In quæſt. XI. diſcutitur num *Monialis ſit damnata*, ſi neceſſitate premente habeat annuos redditus. Author Diſciplinæ tranſcripſit verba, quibus Laynenſis probat dari præceptum communitatis, quia unicus illius ſcopus erat oſtendere, & Theologorum auctoritate evincere, reipſa hoc præceptum ab Eccleſia impoſitum eſſe. Et quia non tranſcripſit aliam quæſtionem disjunctam & ſeparatam, quæ caſus particularis neceſſitatis, non abſolutam exiſtentiam legis ſpectat; ideo ne minus ſincere textum expoſuit? Quomodo R. Magiſter probabit quæſtionem XI. immediate conſequi quæſtionem quartam *relatam ab Amico?* Verum ejuſmodi inventa familiaria illi ſunt, idcirco prætereunda.

§. VI.

Emanuel Rodericus.

Docet *Tom.* 3. *q.* 29. *art.* 12. neceſſitatis cauſa licere Monialibus retinere redditus vitalitios quando, *Adminiſtratio & poſſeſſio eſt penes quamdam Religioſam, quæ depoſitaria vel bolſera vocatur a Superiore deſignata, & illi Manifeſtantur neceſſitates, & cauſa, ad quam pecunia exigitur*. Primum ergo Rodericus damnat omnia moderna peculia, quæ adminiſtrantur reapſe ab ipſis laxioris diſciplinæ Regularibus, quorum qui pluribus abundant, lautius nutriuntur. Sed audiamus quæ ſubdit Rodericus. *Unde infero, quod Religioſa aut Religioſus, qui dicta poſſident, ut non ſint animo parati ea ad Superioris nutum relinquere, peccant manifeſte contra votum paupertatis.*

Nec exiſtimo (pergit Rodericus) *eſſe tutum, quod prædicti redditus poſſideantur authoritate Prælatorum a prædictis Religioſis particularibus, quod ex Concilio Tridentino probat Petrus Navarrus. Ait enim Concilium.* Nec liceat &c. *In hoc enim Decreto prohibetur Regularibus Prælatis etiam adminiſtrationem, uſum fructum, vel USUM POSSE CONCEDERE* (Audiant RR. Magiſtri ſophiſmatum ſuorum confutationem) *NON ERGO SOLUM Concilium Regularibus proprietatem prohibet, UT ALIQUI explicare conantur. Id omni jure naturali, & voto Paupertatis* (etiam Papa diſpenſante) *eſt prohibitum. Prohibet igitur Concilium uſum fructum, adminiſtrationem, & commendam, quæ alias ex Papæ conceſſione, vel Superiorum licitum erat,*

Valens autem Concilium in hoc reformare prædictas licentias, ac libertates, quæ malorum, non bonorum ſemina ſunt; ideo prædictam edidit Conſtitutionem, quæ quidem maxime neceſſaria fuit in Republica Chriſtiana ad ædificationem debitam, quam ex ſe dare Regulares debent ſecularibus, & ad propriam eorum perfectionem, & Diſciplinam retinendam, jurique valde conſentanea eſt cenſenda. Quod alibi concedat Rodericus peculium ob juſtam cauſam, non propterea negat legem, quæ abſolute peculium vetat.

§. VII.

Joannes Azorius.

Theologus iſte perdoctus Tom. 1. lib. 12. cap. 9. inquirit *quæſt.* 2. *An liceat Monialibus fœminis nutu, & conceſſu Superiorum retinere, & poſſidere annuos redditus, ſive cenſus certos ad vitam.* Et relata ſententia Navarri, aliorumque reſpondet. *Jure novo Concilii Tridentini id eſſe interdictum, nimirum Seſſ.* 25. *cap.* 2. *de Regul. ubi ſic habetur:* Non liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſum fructum, vel uſum, vel ad miniſtrationem, aut commendam. *Hæc ibi. Sed redditus, & cenſus annui inter bona ſtabilia numerantur, ut colligitur ex clement. Exivi §. cumque annui redditus de verb. ſignif. Permittit tamen Concilium, ut adiminiſtratio bonorum Monaſterii ſive Conventus ſit penes officiales ejuſdem Monaſterii & Cœnobii nutu Superioris amovibiles.*

At oppones. Si adminiſtratio bonorum ſtabilium eſſe poteſt penes officiales nutu Superiorum revocabiles, quare nequit eſſe penes ipſos Religioſos privatos? Reſpondeo, ut ante jam dixi, hoc non eſſe de jure naturali, Divino, aut Canonico antiquo vetitum; ſed a Concilio Tridentino, & merito improbatum, & ſublatum. Quoniam cum hujuſmodi bonorum uſus, vel adminiſtratio privatis Monachis conceditur, SOLET ESSE CAUSA multorum malorum, ut DOCUIT EXPERIENTIA. Item cap. 11. q. 5. *Ea igitur eſt laudabilis vitæ conſuetudo, qua veſtes lineæ pelliceæve, aut cujuſvis generis in communi loco aſſervantur, & inde in ſingulas hebdomadas, menſes, vel annos in uſum cujuſque diſtribuuntur .... ubi nullus apud ſe habet veſtes præter eas, quæ ad quotidianum uſum neceſſariæ ſunt: nullus dona ad ſe miſſa accipit: nullus apud ſe pecuniam tenet præter eum, cui bonorum communium adminiſtratio,*

& cura

& cura committitur: nullus item in annum ſua in cella ex veſtibus, libris, aut ſupellectile habet aliquid eo amplius, quam quod ad ſuum uſum fuerit a Superiore conceſſum: ubi denique communis eſt omnium victus, communis menſa, communis veſtitus in communi aliquo loco ſolitus aſſervari.

Contra vero ea IMPROBANDA conſuetudo ubi Religioſorum quiſque aliquid apud ſe habet &c.

§. VIII.

Paulus Layman.

Relata utraque opinione pro & contra peculium hæc ſcribit lib. 4. tr. 5. c. 7. n. 13. „ Non autem permittendum, ut impoſterum ſine urgentiſſima „ cauſa introducatur. Partim *quia credibile eſt Tridentinum Concilium cit.* „ *cap.* 2. §. Ne deinceps &c. *propoſitum fuiſſe ejuſmodi ſtabiles redditus, ſeu* „ *annuas pecunias portiones OMNINO INTERDICERE: quod etiam* „ *Cardinales cenſuerunt.* „ Hoccine eſt defendere vetitum a Tridentino peculium non eſſe?

§. IX.

Franciſcus Sylvius.

Perdoctus hic Theologus tom. 5. opuſc. verb. Relig. *n.* 3. poſt explicatam quamdam quæſtiunculam, quæ ſpectat ordinationem cujuſdam Monaſterii, in quo pecuniæ rediguntur in maſſam communem ea lege, ut primo ex eiſdem provideatur illis, qui maxime indigent, habita tamen ratione ejus, qui eas depoſuit, in qua nihil proprietatis ſe reperire aſſerit, ſequentem quæſtionem proponit. „Utrum vero liceat Monachis ſive viris, ſive mulieribus ita „ habere vitalitios redditus, ut ipſimet illos recipiant, receptos cuſtodiant, & pro „ occaſionibus expendant, dependenter a voluntate Superioris? Varie diſpu- „ ri poteſt. Et quamvis *Miranda Diana, & alii quidam* videantur affir- „ mare, in NEGATIVAM tamen PARTEM puto reſolvendum propter „ illa verba Tridentini: *Nec deinceps liceat Superioribus &c.*

§. X.

§. X.

Joannes Pontas.

Magiſter *Vindex* pro peculio citat hunc Theologum pag. 170. Magiſter Vitæ Clauſtralis eumdem laudat pag. 364. ſed uterque aut fallit, aut fallitur. Legatur Pontas tom. 3. verb. Religioſus caſ. IX. ubi hæc habentur: *Nec deinceps liceat Superioribus &c.* & relato Tridentino Decreto ſic perſequitur: „ Quæ quidem verba prorſus innuunt, nec ipſis etiam Superioribus „ jus iſtud attribui, ut Religioſorum, qui ſibi committuntur, alicui ullius „ rei ſtabilis, & conſtantis, uſum, poſſeſſionemque permittant. Unde licet „ inferre, nec etiam a fortiori licitum eſſe Religioſis res, atque bona ejuſ„ modi poſſidere, quales ſunt penſiones ad vitæ tempus. „ Legatur etiam caſ. XII. quem citat Magiſter Clauſtralis, & iterum apparebit illius ſinceritas.

§. XI.

Franciſcus Suarez.

Communiter tum Theologi, tum Canoniſtæ fatentur Franciſcum Suarez peculium Monaſticum improbare: Et merito. Hæc quippe docet *tom.* 3. *de Relig. lib.* 8. *cap.* 14. Primum ſententiam recenſet, quæ peculium licitum eſſe Monachis defendebat, ante Concilium Tridentinum, eamque probat. Quo in ſenſu? Si votum paupertatis abſolute, & preciſum a quacumque Regula, & lege Eccleſiæ ſpectetur: quod adeo verum eſt, ut nemo ſanæ mentis negare auſit. Verum quia nullus Regularium Ordo Votum paupertatis edit *ut ſic*, & ſecundum ſuam Metaphyſicam, ut dicitur quidditatem, ſed *ſecundum Regulas* Auguſtini, Benedicti, Franciſci &c. idcirco quiſque Ordo Votum paupertatis Monaſticæ ut propria Regula circumſcriptum ſpectare debet. Omnes autem Monachales Regulæ exacta communitate ſervandum votum iſtud præſcribunt. En verba Theologi eximii *loc. cit. n.* 4. *Tandem advertendum eſt, ſententiam hanc intelligendam eſſe SOLUM IN GENERALI, & ex vi voti Paupertatis UT SIC. In particulari autem unaquæque Religio ſervare debet, ſi QUAM REGULAM PECULIAREM circa paupertatis votum, vel materiam ejus habuerit, quæ cum hujuſmodi peculio & li-*

& licentia ejus repugnet. Quia RR. Magiſtri *Vindex*, & *Clauſtralis* ad hance doctrinam, quæ in hac controverſia primum, potiſſimumque principium eſt, animum non intenderunt; ideo cum cæteris Caſuiſtis laxioris ethices in recenſitos errores prolapſi ſunt.

Pergit Dotiſſimus Suarez alteram poſt Tridentinum verſare ſententiam, & variis enarratis Theologorum placitis, definit *num.* 8. *&* 9. *Dicendum ergo cenſeo, Concilium novum aliquid præcepiſſe*, laudatque pro hac ſua ſententia graviores illius ætatis Theologos Cordubam, Petrum Navarrum, Molinam, Leſſium, Vaſquez, Azorium, Baſilium, Ponce, & alios. In medium adducto Tridentino Decreto, & obvia communique interpretatione expoſito, ſibi objicit Navarri interpretamentum his verbis. „ Reſponderi autem poteſt ex Navarro, habere aliquid nomine Conventus ſub particulari, & poſſeſſione privata, niſi ex legitima cauſa, vel neceſſitate fiat, ſemper fuiſſe malum: & id tantum fuiſſe prohibitum a Concilio: Nam ſi licentiam ex legitima cauſa dedit, ſicut id per ſe malum non eſt, ita non videtur a Concilio prohibitum.

„ *Sed hoc, ut dixi, non videtur ſatisfacere menti Concilii propter abſolutam prohibitionem, & propter vim illius verbi NON LICEAT*. Duplex ergo legitima cauſa hic cogitari poteſt. Una eſt pertinens ad communem utilitem ipſius Religionis provenientem ex adminiſtratione talium bonorum, & tunc conſtat talem poſſeſſionem non eſſe prohibitam a Concilio, quia non conceduntur illa bona in peculium proprie loquendo, ſed in cuſtodiam, vel adminiſtrationem; & ideo ſi talia bona ſunt immobilia, & fructifera, debent fructificare Monaſterio. Alia cauſa eſt pertinens ad particulare commodum ipſius Religionis: poſſetque poſſeſſio eſſe vel *ſimpliciter neceſſaria* ad ſuſtentationem, vel debitum uſum, ſeu Miniſterium ipſius Religionis: *vel ſolum ad majorem commoditatem*, ornatum, vel libertatem. Quando cauſa eſt prioris modi, clarum eſt non habere locum prohibitionem Concilii, quia tunc non ſolum licet, ſed ſuo modo debitum eſt. Si quis autem recte conſideret, numquam illa cauſa locum habet in bonis immobilibus Religionis, & ideo de illa nullam exceptionem fecit Concilium. De Mobilibus autem in fine addit, ut neceſſaria non denegentur quantum ad uſum, & ſupellectilem convenientem. . . . . . *Quando autem Cauſa eſt commoditatis privatæ*, & cujuſdam exemptionis, ac diſpenſationis, ſi non a ſubſtantia voti, ſaltem a regulari & communi obſervantia ejus,

„ *tunc*

„ *tunc videtur a Concilio prohibitum ſimpliciter habere aliquid privatim etiam* „ *Nomine Conventus*, habetque prohibitio locum in multis caſibus, in „ quibus antea non fuiſſet malum, quia ob rationes extrinſecas, ut ſic di- „ cam, poterat ſæpe illa ſententia dari rationabiliter juxta morem alicujus „ Religionis, ut V. G. propter multa bona merita de Religione, propter „ inſignem eruditionem in favorem litterarum, & propter alia. *Hujuſmodi au-* „ *tem exemptiones & diſpenſationes videtur mihi voluiſſe prohibere Concilium*, „ *præſertim quoad bona immobilia, & hoc ſenſu dixiſſe non licere illa habere* „ *nomine Conventus*. „ Non modo Doctor eximius vetita a Tridentino peculia docet; verum etiam carpit ipſas excuſationum præſtigias, quibus obtegere proprietatis vitium ſolent adverſarii. Aſſerit quippe, prohiberi potiſſimum a Concilio exemptiones illas, & commoditates, quibus frui ſolebant Baccalaurei, Magiſtri, & Jubilati. Addit, Concilium maxime vetare uſum *pecuniæ in futurum reconditæ*, ideſt in *depoſito* ſub tribus clavibus cuſtoditæ. Plures alias quæſtiunculas reſolvit doctrina & prudentia ſumma. Cardinalium reſponſa indicat. Conſuetudines quaſdam Monialium ſub examen inducit. In quibus caſibus non repugnent Concilio, oſtendit admonetque eſſe pravos abuſus minime excuſandos, niſi neceſſitas, aut ignorantia invincibilis excuſet.

Tandem cap. 15. convellit ſophiſma illud, quo diſtinctione *uſus* & *dominii* crimen proprietatis excuſare ſtudent defenſores peculii. Inquit ergo. *Magis neceſſaria eſt paupertas ſeu modus ejus in ipſo uſu, quam in dominio. Parum enim refert Religioſum non habere rem propriam, quoad dominium, ſi poſſit pro libito & arbitrio ſuo de communibus bonis diſponere. Immo in hoc repugnantia quædam involvitur. Nam quod fieri poſſit votum non habendi uſum proprietarium, retento dominio, facile, & optime intelligitur, quia poteſt retineri facultas ligata, & impedita ad ſuum actum, poteſque ille modus paupertatis eſſe interdum conveniens, ut infra explicabimus de votis ſimplicibus Societatis Jeſu. At e converſo privari per votum dominio, & retinere liberum uſum, repugnantia eſt*. Quam ſit liber uſus peculii in Cœnobiis laxioris diſciplinæ, & vera illa jactata *dependentia* a Prælato, qui numquam revocat hujuſmodi uſum, univerſus orbis teſtis eſt.

§. XII.

§. XII.

Laurentius de Peyrinis.

Admittit licitum peculium tom. 1. de Offic. ſubd. q. 2. §. 1. ex *juſta cauſa*, & ob *neceſſarios uſus*. Deinde §. 2. clarius explicat quænam ſint juſtæ cauſæ, reſpondetque eſſe neceſſitatem, aut utilitatem gravem. Hæc omnia ſuum verum ſenſum habent, neque ab aliquo negari valent. Quæ ſequuntur directe ſtatum quæſtionis ſpectant. Audiant ergo RR. Magiſtri P. Laurentium de Peyrinis *loc. cit. pag.* 142. *col.* 1.

Dico ſecundo Prælatum Religionis non miniſtrantem neceſſaria ſubditis, cum commode poſſit, & ſic præbentem cauſam peculii, *PECCARE MORTALITER*. Antonius a Spiritu Sancto (qui non eſt Rigoriſta) 3. p. tit. 16. cap. 1. §. 11. Silv. Sanchez &c. *Similiter PECCANT MORTALITER ſubditi dantes peculiis cauſam reſiſtendo Vitæ communi, cum illis neceſſaria miniſtrantur*. De qua communitate loquuntur hi Theologi? De Apoſtolica ne, an de Regulari? De communitate ſane excludente peculia quæque. Ergo de Apoſtolica. Sed audiant iterum quæſo hunc P. Laurentium de Peyrinis *tom.* 2. *in formular. Prælatorum cap.* 3. *n.* 19. *pag.* 159. ſic diſſerentem.

„ Ad quæ per viſcera Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per charitatem B. P. „ precor Superiores, ut *Majores* Ordinis reſpiciant, & non permittant ob „ nullius momenti intereſſe tot animarum ruinas, tot Religionis ſcandala: „ Sciantque Superiores Religionis communitatem eſſe PRIMUM, & maxi- „ mum omnium bonorum, quæ in illa reperiuntur: QUAM SI TOLLAS „ RELIGIONEM SUSTULISTI, TOLLE COMMUNITATEM, ET „ RELIGIO NON EST RELIGIO, SED CONFUSIO EST: NON „ STATUS PERFECTIONIS, ſed STATUS DAMNATIONIS. „ Sic loquitur *RR. Magiſtri* Peyrinus veſter.

Audi nunc Magiſtrum Vindicem p. 234. „ Quid S. Franciſcus de Paula „ præſcribat in ſua Regula, dum vel tangere pecunias vetat, optime ex- „ pendit e Minimorum Familia *Maximus Theologus Laurentius de Peyeri- „ nis*. „ Porro hic maximus Theologus Ordinem Regularem ſine communi vita ſtatum damnationis declarat, non ſalutis. Quid ſi tam acriter loquutus fuiſset Diſciplinæ Monaſticæ Author? Legant amabo quæ ibidem adjicit hic Peyrinus ex B. Jordano.

§. XIII.

Leonardus Leſſius.

Hic quoque Theologus pro peculio citatur a Magiſtro Vindice. Oppoſitum apertiſſime docet *lib.* 2. *de Juſt. cap.* 4. *dub.* 5. *num.* 30. „ Dico quinto, Superiores Religionum non poſſunt alicui Regulari concedere ulla bona ſtabilia, ut ſunt fundi, redditus, ædium locationes etiam *ad uſum dumtaxat, vel adminiſtrationem*. Colligitur ex Tridentino ſeſs. 25. cap. 2. de Regul. ubi ſic habetur. *Nec deinceps* &c. Navarrus Comment. 2. de Regular. num. 15. & 18. putat hoc Decretum ſolum continere jus commune, eſseque declarationem capituli *cum ad Monaſterium* &c. *Sed longe verius eſt hic novum jus contineri, & introduci:* idque tum ad tollendos abuſus, qui ex hiſce conceſſionibus bonorum immobilium ſequi ſolent, tum propter ſpeciem proprietatis &c. „ Advertit tamen P. Leſſius, quod ſi de communi penu neceſſaria non miniſtrentur, tunc licitum eſſe ſubditis peculium, ut omnes fatentur.

§. XIV.

Franciſcus Ramirez Archiepiſcopus Brunduſinus.

Magiſter Vitæ Clauſtralis pag. 353. ſcribit: *Raymundi Ramirez teſtimonium punica fide depravatum fuiſſe exhibet* Author *in ſuis Vindiciis Regularium*. Reapſe Magiſter *Vindiciarum* hanc incredibilem impoſturam affixit Authori *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ*. Indulgendum Magiſtro Vindici eſſet, ſi Ramirez obiter peculium exagitaſſet. At Ramirez integrum opuſculum contra peculium edidit *Lycii* an. *1696.* inſcriptum*: Quæſtio Moralis ſalubrius exequenda, quam diſputanda in gratiam Regularium utriuſque ſexus, qui zelum Dei habent, & Diſciplinæ Regularis vero flagrant amore:*

An, & qualiter teneantur ad Vitam communem a S. Concil. Trid. ſeſs. 25. *cap.* 2. *de Regul. præceptam, atque præſcriptam.*

Opus iſtud veluti in partes tres tributum eſt. In prima pag. 9. uſque ad pag. 53. evincit Ramirez, Regulares utriuſque ſexus, qui expreſſe communitatem vovent nulla, poſse excuſatione ab eadem eximi. Secundo a pag. 53. ad 59.

ad 59. oſtendit, ſecluſis Eccleſiæ præceptis, & attento ſolo voto paupertatis, *poſſibile eſſe adimplere votum paupertatis, quoad ſubſtantiam, abſque vita communi.*

In Tertia tandem parte hanc concluſionem probandam exponit. *Regulares omnes utriuſque ſexus vi præcepti Eccleſiaſtici tenentur ad vitam communem a tempore Tridentini Concilii.* Hanc ſententiam probat a pag. 59. uſque ad finem, nempe uſque ad pag. 88. In medium promit tum Concilii, tum Summorum Pontificum Decreta, quibus ſuam confirmat ſententiam. Paragrapho X. explodit peculiorum excuſationem petitam a contraria conſuetudine. Paragrapho XI. refellit alteram excuſationem, quæ obtrudit inopiam Conventuum, his verbis. *Omnes Regulares, quos audivimus ſe excuſare a præfatorum Decretorum obſervantia, in eo conveniunt, quod ob inopiam Monaſteriorum, quæ tanta eſt, quod non poſſunt providere Fratribus de neceſſariis, ab obligatione excuſantur. Præcepta autem Eccleſiaſtica, inquiunt, non obligant cum tanto incomodo. Adducunt pro fundanda ſua intentione Magiſtrum Lezanam, & alios Doctores, quos non legerunt, vel ex eorum dictis ſolum acceperunt quæ propriæ intentioni videbantur ſavere, relictis aliis, quæ radicitus evellunt fundamentum hujus excuſationis.* Integro prolixo paragrapho confutat inanem prætextum.

Paragraphi XII. hic eſt titulus

Aliæ excuſationes levioris momenti exploduntur.

„ Quidam non audentes negare obligationem ortam ex voto, vel ex præ„ cepto, aliam viam ad ſe excuſandum invenerunt, afferentes, leges Conci„ lii, & Summorum Pontificum non eſſe præceptivas, ſed pure pœnales, „ vel tantum exhortationem aut conſilia. *Hæc autem excuſatio, ſicut mi„ noris ponderis eſt, ita poteſt eſſe cauſa majoris damni.* (licet typis prodi„ ta ab aliquo Theologorum non inveniatur) *Et 1. rejicitur. Nam lex „ Concilii prout explicatur in Bulla Clementis VIII. iis verbis præcipit vi„ tam communem:* Nulla quorumque Superiorum diſpenſatio, nullaque licen„ tia quoad bona immobilia, vel mobilia præfata, fratres excuſare poſſit, „ quominus CULPÆ & pœnæ ab eiſdem Concilii Decretis impoſitæ, & „ ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint. *Ecce: Lex Fratres tranſgreſſores Decre-*

 torum

torum culpæ ſupponit. Culpa enim non incurritur ob tranſgreſſionem conſiliorum, nec legis pure pœnalis. Ergo &c.

2. *Præterea Summus Pontifex tollit facultatem diſpenſandi cum Fratribus, immo præcipit ſubditis, ne credant Superioribus aſſerentibus, ſe in hac lege diſpenſare poſſe: Si enim lex pure pœnalis eſſet, vel tantum exhortatio, aut conſilium, minus prudenter tolleretur a Superioribus facultas diſpenſandi, & ſubditis præciperetur negare eiſdem fidem, ſi pœna imponenda non ſit contra ſignificationem alicujus magni Myſterii.*

3. *Nam in decretis apparet jam Sanctiſſ. Pontificem abſtuliſſe a Superioribus Regularium facultatem veſtiendi, ſeu recipiendi ad Ordinem, niſi Vita communis in iis Monaſteriis inſtituatur. . . . Unde apparet, quod ſecundum mentem Pontificis, & Sac. Congreg. dependeat conſervatio Monaſteriorum, & Religionum, vel illorum deſtructio ex OBSERVANTIA, vel INOBSERVANTIA VITÆ COMMUNIS reſpective: manifeſtum eſt extinctionem Monaſteriorum, & Religionum pœnæ MORTIS æquivalere, quæ nunquam imponitur a Legiſlatore, niſi intendat in conſcientia obligare, uti tradunt communiter Doctores in materia de legibus.*

Alii vero reſpondent, quod Decreta promulgata 21. *Julii tantum obligant Fratres habitantes in Monaſteriis, in quibus juvenes recipiuntur ad habitum, aut commorantes ubi educantur Profeſſi uſque ad Sacerdotium, non vero omnes.*

Sed hæc FRIVOLA ſunt: nam Summus Pontifex in eiſdem Decretis innovat & confirmat Decretum Sacri Concilii Trident. Bullas atque Decreta ſuorum Prædeceſſorum. Sed tam Decretum Concilii, quam Bullæ, & Decreta aliorum Pontificum, Regulares omnes, quorumcumque Ordinum tam viros quam fœminas comprehendunt, ut ſupra monuimus: ergo moderna Decreta pariformiter omnes comprehendunt.

Verum enim eſt, quod moderna Decreta majorem vim habent obligandi Fratres Præfatorum Monaſteriorum, quam cæteros: non tamen cæteri excluduntur, nec eis permittunt vivere privatim, ſeu abſque Vita communi. Sed Summus Pontifex divino ductus inſtinctu pro Eccleſiæ gubernatione, impoſito omnibus præcepto, commorantes in Domibus, in quibus educantur Novitii, & Juniores Profeſſi, præ cæteris cogere intendit ad vitam communem, ut a fundamento incipiat hanc fabricam ſpiritualem: & ne ſi æqualiter vellent omnes cogere, cogeretur audire tot lamenta, tot lites, tot querimonias, quot ſunt Fratres in quolibet Monaſterio.

Dixit

Dixit nobis quidam e Regularibus, quem alias prudentem credebamus, & reformationi bene affectum, quod materia præcepta non eſt gravis ſed levis, unde ſub mortali ad illam ſervandam non tenentur.

Hoc retulimus non quia putemus dictum dignum impugnatione, ſed ut legentes nobis compatiantur, quibus datum eſt inter tales vivere. Materia levis eſt, pro qua tantum laborat & ſemper laboravit Eccleſia? Si ergo non gravis, ſed levis eſt: non ergo grave, ſed leve onus erit. Si ergo non grave onus, cur ita gravantur, & ut ſic dicamus, humeros illorum ita opprimit, quod putant, ſe inſufficientes ad portandum &c.

Tandem alii non contemnendæ auctoritatis, & ſcientiæ viri nobis reſcripſerunt, ſe dolere de præcepto, quia putabant futurum eſſe occaſionem ruinæ ſpiritualis plurium Regularium...

At contra tale dictamen oporteret integrum ſcribere librum; ſed quia unicam diſputationem promiſimus, & jam valde crevit, cogimur brevius illud impugnare. Et 1. Nam ſi præfatum deberet admitti dictamen, omnes leges deberent tolli, nec legislatores prudenter conderent ſtatuta. Nam ſicut ajebat Apoſtolus, Peccatum non novi, niſi per legem &c.

2. Nam Chriſtus Dominus, Apoſtoli, & primitivi Chriſtiani vitam communem agebant, & tamen non retraxit Dominum a tali modo vivendi, quod inter diſcipulos unus aderat, qui fur erat, & loculos habens. Nec Apoſtoli, aut primitivi Chriſtiani abſtinuerunt a communi vita, quamvis exortus fuiſſet rumor Græcorum adverſus hebræos &c. *Neque ex eo quod Anania, & Saphira, divendito agro, partem pretii ad pedes Apoſtolorum attulerunt, & partem ſibi retinuerunt, a vitæ communis inſtituto receſſerunt, ſed providerunt de remedio, ut ſedaretur rumor &c.*

Punica ne fide, RR. Magiſtri, allatus fuit Textus, quo Archiepiſcopus Ramirez evincit graviſſimo Eccleſiæ præcepto aſtrictos Regulares eſſe exactæ communitatis obſervantiæ? Tantum auſus ineſt, ut impoſturas adeo craſſas adeo incredibiles divendere valeant homines minus cauti.

§. UNICUS.

Adhortatio ad Magiſtrum Vindicem, ut imitetur Archiepiſcopum Ramirez, qui hæc ſcribit loc. cit. pag. 84.

„ Merito nobis objici poterit, quod dum intra Clauſtra degeremus, non „ adeo Religioſam duximus vitam, nec fuiſſe tam ſtricti juris, prout mo-

„ do

„ do apparemus, poſtquam immerito Cathedram Epiſcopalem aſcendimus, „ atque imitantes Phariſæos imponere onera gravia, & importabilia ſuper „ aliorum humeros, quæ digito noſtro noluimus attingere.

„ Si ergo nobis ita objiciatur, Fatemur, & *graviter dolemus*, quod non „ fuerimus ita religioſe converſati, quod vita noſtra poſſit aliis proponi „ ut exemplum ad imitandum. Si tamen, ſicut revocavimus *errata* corde, „ poſſemus revocare anteactam vitam opere, (Deus cor ſcrutatur) ſic vi- „ vere cum Divino adjutorio curaremus, quod ſaltem imitaremur alios „ Chriſti ſervos, qui Regulam, præcepta, & vota diligentius ſervare ſata- „ gunt. *Neque proponimus opera noſtra imitanda, ſed ſolum doctrinam ſequendam.*

Abſit, ut quæ pius, & perdoctus Archiepiſcopus in ſui humilitatem, & dejectionem ſcribit, Magiſtro Vindici applicare auſim. Incontaminatæ illius vitæ candorem, morumque integritatem veneror, atque ſuſpicio. Libri dumtaxat *Vindiciarum* errata corrigenda demiſſo animo inſinuo, exemplo piiſſimi Archiepiſcopi Ramirez propoſito. Errata negari nequeunt, quia typis prodita. Impedimenta, quæ forte veritatis luci tenebras offundebant, ablata. Ergo nulla adeſt excuſatio, niſi corrigantur. Qui ſequutus eſt errantem ſequatur & pœnitentem.

§. XV.

Summæ Piſana, Roſella, Angelica, Sylveſtrina, & Tabiena.

Author ſummæ Piſanæ nec obiter verſat quæſtionem de præcepto exactæ communitatis: ſolum dicit, quod Abbas *concedere poteſt ALIQUID quantum ad uſum*. Quis hoc negat?

Author ſummæ Roſellæ refert opinionem Panormitani, aſſerentis poſſe, juſta urgente cauſa, Prælatum diſpenſare in peculio cum aliquo ſubdito.

Idipſum docent Angelus de Clavaſio in Summa Angelica, & Joannes Cagnatius in Summa Tabiena. Numquid verba ipſa allegata a Magiſtro vitæ Clauſtralis pag. 356. ex Summa Tabiena produnt cenſus vitalitios, reddi- tus, & peculia ſeparata? Aſſerit tantum poſſe Prælatum concedere uſum alicujus rei etiam ad libitum utentis. Indicat ne utrum illa res ſit ex communi patrimonio, an ex cenſu vitalitio, qui nec in communi mendicantibus tum licebat?

Sylve-

Sylveſter Prieras docet eſſe in malo ſtatu Religioſos, qui, quoad fieri poteſt, non vivunt in communi. Facta hypotheſi, quod antiquata ſit communitas, admittit poſſe Prælatum indulgere uſum peculii, quo fratres vivant, & induantur, Lege tunc naturæ prævalente.

Hi ſunt ſummiſtæ Ante-Tridentini, quos Magiſter *vitæ Clauſtralis* affert in præſidium peculii. Nemo unus illorum, excepto Sylveſtro, verſat quæſtionem de lege exactæ communitatis: Summiſtarum more obiter narrant poſſe Prælatum aliquo in caſu impertire *aliquid* ſubditis. Ex his diſpenſationibus Magiſter Clauſtralis colligit demonſtrationem in *Cameſtres* revocatam, inquit ille, in *Ceſare*, qua probat nullam reperiri legem communitatis.

C A P U T III.

Hallucinatio Magiſtri vitæ Clauſtralis in allegand a Epiſtola S. Franciſci Saleſii in favorem peculii.

QUoniam jure merito penes omnes Catholicos magno in pretio eſt S. Franciſci Saleſii auctoritas, e re ſua cenſuit Author *vitæ Clauſtralis* excerpere textum ex quadam ejuſdem Sancti Epiſtola, quo ſuum oculis imperitorum infucaret peculium. At fruſtra. Quandoquidem continuo ac tota illa Epiſtola expoſita fuerit, palam fiet R. Magiſtrum minime aſſequutum illius genuinum ſenſum fuiſſe.

II. Ut res perſpicua fiat, animadvertendum in communitate veſtitus duplicem occurrere obſervantiæ formam. Subſtantia iſtius communitatis in hoc ſita eſt, quod ab uno veſtiario induantur ex communi Patrimonio omnes, & quod veſtes ab eodem in communi Veſtiaria cella cuſtodiantur. Hæc, ut dixi, ſubſtantia communitatis veſtitus. Accidit autem, ut ſit magis aut minus perfectus iſtius communitatis modus. Si veſtes non modo conſerventur in communi Veſtiaria, ſed etiam confundantur, ita ut indiſcriminatim induſia iſtius cedant altera hebdomada in uſum alterius, perfectiſſimus communitatis modus erit. Si contra indumenta potiſſimum interiora ſeparatim cuſtodiantur, ita ut induſia ſemel conceſſa ad uſum unius fratris non deſtinentur ad uſum alterius, tum conſiſtit exacta communitas, ſed modus perfectiſſimus non eſt. Hæc diſtinctio tota habetur in Regula Auguſtini. En illius verba: *Veſtes veſtras in unum habeatis ſub uno*

Cuſtode,

Cuſtode, vel duobus .... Si fieri poteſt ad vos non pertineat quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, utrum hoc recipiat unuſquiſque quod depoſuerat, an aliud quod alter habuerat, dum tamen unicuique, prout opus eſt, non negetur .... Tamen ſi veſtra TOLERATUR infirmitas ut hoc recipiatis, quod poſueritis, in uno tamen loco ſub communibus cuſtodibus habete quod ponitis. Infirmitas ſeu imperfectio vocatur ab Auguſtino hæc indumentorum inconfuſa ſeparatio, quam tamen tolerari concedit, dummodo veſtes omnes in uno loco ſub communibus Cuſtodibus habeantur.

III. Seraphicus Patriarcha Franciſcus & D. Clara perfectiſſimam paupertatem exactiſſimamque veſtium communitatem æmulati, hanc veſtium confuſionem commendarunt, minime tolerantes, ut Regula Auguſtini concedit, quod veſtes ſingulis ſeparate cuſtodirentur.

IV. De hac exacta veſtium communitate luce meridiana clarius eſt loqui S. Franciſcum Saleſium in ſua Epiſtola, in qua duo puncta verſat. Alterum ſpectat Confeſſarium extraordinarium concedendum Monialibus juxta Præſcriptum Tridentini Concilii. Alterum laudatam veſtium perfectam communitatem, ſeu potius communitatis modum. Et quod res ita ſeſe habeat, integram iſtius puncti Epiſtolæ partem tranſcribam, non ex verſione aliqua itala, ſed ex ſuo Originali Gallico Æditionis Pariſienſis anni 1647. Epiſtola eſt LXIV. libri ſecundi Epiſtol. tom. 1. pag. 416.

„ V. Primierement que le renoncement de toute proprieté & l'exacte „ communauté de toutes choſes en un poinct de tres-grande perfection, „ & qui dict eſtre deſideré en toutes les Monaſteres & ſuiuy par tout où „ les Superieurs le voulent: car encorque les Religieuſes qui n'en ont pas „ l'uſage en leurs maiſons, ne laiſſent d'eſtre Sainctes, la coſtume les diſpenſant: Si eſt ce qu'elles ſont en extreme danger de ceſſer d'eſtre „ Sainctes, quand elles contrediſent à l'introduction d'une ſi Sainte obſervance, tant aymable, & tant racommandée *par le Pere Saint François* „ *& la Mere Saincte Claire*, & qui rend les Religions, riches en leur pauvretè, & perfaictement pauveres en leurs richeſſes, *le mien & le tien* „ *eſtant les deux mots* qui, comme diſent les Saincts, ont ruinè la charitè: „ *& ne ſert a jende dire, noſtre voile, noſtre roble, nos chemiſettes, ou nos* „ *mutandes ſi en effect leur uſage n'eſt pas indifferent*, & commun a toutes „ les Soeurs, les paroles eſtant peu de choſe, ſi les effects ne corriſpondent. Et comme peut eſtre dicte commune une choſe que nul n'employe

„ ploye que moy? Or s'ay veu en un Monaſtere, où s'avois une fort „ proche parente, que toute la difficulté de CET ARTICLE eſtoit en la „ douillerterie de quelches ſeurs, en ce qui riguarde les chemiſettes, & „ les linges: & s'admisay que la lixive, ne ſuffit pas pour ce ſuiet à des „ filles de celuy qui baiſoit tendrement les ladres, & de celle qui baiſoit, „ les pieds des Souers revenantes de dehors. Certes qui eſt douillet de „ de porter un linge, & un drap lanè, par ce qu'il à eſtè auparavant le „ lavament portè par ſon frere Chriſtien, ie ne ſçay pas comme il oſe „ dire qu'il ayme ſon prochain comme ſoy-meſme. Et faut qu'il ayt un „ grand amour propre, qui le faſſe eſtimer ſi net, en comparaſion des „ autres. *Or la façon de mettre tout en commun eſt bien ayſée, quand tout „ eſt enſemble en un coffre, ou en une garde robbe, & que une diſtribuè a „ toutes ſelon ſeurs neceſſites indiſtinctement* ce qu'il leur faut, ſaeus avoir égard „ à autre choſe qu'à la neceſſitè, & a la volontè de la Superieure. En „ quelque Congregations meſme, on change de chapelets, & tous les pe„ tits meubles de devotion au ſort à chaque comencement d'année. „

VI. Ubi in tota hac epiſtola vel unicum verbum de redditibus, de cenſibus vitalitiis, de pecuniis? Tota verſatur in communi, & mutuo indumentorum uſu. Unice commendat, hortatur exactam illam veſtium communitatem, quam *S. Franciſcus, & D. Clara* tam ferventer inculcant. Blande redarguit Moniales, quod tam delicati ſtomachi ſint, ut induſia aliarum ſororum, tametſi lixivio purgata, nolint adhibere, & quod reſpuant hunc *mutuum induſiorum aliarumque veſtium uſum*. En totam communitatem, quam ſuadet Saleſius, & a cujus obſervatione conſuetudinem excuſare abſque Sanctitatis diſpendio teſtatur. Id prius dixerat Auguſtinus in ſua Regula, tolerans hanc conſuetudinem veluti humanæ imbecillitati accommodatiorem.

VII. Retractet ergo Magiſter *Vitæ Clauſtralis* impoſturam affictam *Sancto Franciſco*, quaſi docuerit ſanctos eſſe Regulares libere non ſervantes exactam rerum communitatem a Concilio Tridentino tam ſevere præſcriptam.

CAPUT IV.

Enormis mutilatio textus P. Joannis Pauli Du Sault.

I. P. Magiſter *Vitæ Clauſtralis* pag. 360. prolixum textum tranſcribit ex libro, cujus titulus: *Avviſi e Rifleſſioni ſopra l' obbligazione dello ſtato Religioſo*. Author libri hujus eſt *P. Joannes Paulus Du Sault* Congregationis S. Mauri. Hic ſententiam deſcribit, quæ peculium non pugnare abſolute cum Voto Paupertatis docet. Quæ opinio etiamſi vera eſſet, nihil *Peculiariſtis* faveret, ut millies dictum eſt: quoniam ſatis eſt, quod peculium pugnet cum Præceptis Eccleſiæ illud vetantis, tametſi non repugnaret *præciſe* Paupertatis voto. Allegat P. Du Sault pro hac ſua opinione ex antiquis Canoniſtis, qui ſcripſere ante Concilium Tridentinum, Joannem Andream, Panormitanum, Oſtienſem, Sylveſtrum. Hi Authores ſolum docent, Prælatum poſſe urgente neceſſitate diſpenſare cum ſubditis, ut peculium habeant, ſubdentes, diſpenſationem hanc periculi pleniſſimam eſſe, ideoque non impertiendam ſine evidenti neceſſitate. Ex Theologis poſt-Tridentinis laudat *Azorium* & *Leſſium*, qui conceptis verbis oppoſitum docent. Quæ tamen dicis cauſa indicavi. Nihil enim habet Author iſte quod *Peculiariſtis* faveat, ſi integer illius textus tranſcribatur. Magiſter *Clauſtralis*, qui paſſim imponit adverſario ſuo textuum mutilationem, iſtius criminis reum adeo evidenter ſe prodit, ut nulla videatur excuſatione purgandus. Si quidem P. Du Sault poſt relatam num. XXVI. opinionem, quæ favere peculio primo aſpectu videtur, quamque integram exſcribit Author Clauſtralis, e veſtigio ſubdit num. XXVII. ſequentia, quæ *Peculiariſtarum* cauſæ jugulum petunt, eoſque in praxi proprietatis labe inquinatos declarant. Et hæc omnia alto præterivit ſilentio Criticus Clauſtralis. Illa itaque tranſcribenda.

„ II. Ma ſebbene l'uſo de' livelli non ſia per ſe ſteſſo contro il voto „ della povertà, dà però molta occaſione di ferirlo mortalmente. I. Perchè „ d'ordinario ſuccede, che quelli, per i quali queſti livelli ſono determinati, „ *credono di avervi maggior ragione degli altri*, ſe ne conſiderano come Padroni, ne diſpongono a lor piacere, *e non ſono punto diſpoſti a tollerare, che vengano impiegati in altri uſi che per i loro*. II. In vece di laſciarne il maneggio ai Miniſtri della Caſa, *come ordina il Concilio di Trento*, „ domandano il danaro, e loro ſteſſi l'impiegano. III. Lo ſpendono molto

„ fre-

„ frequentemente in ſuperfluità, che ſono contrarie alla povertà. IV. Hanno grande attacco a queſto danaro, o ai mobili, che ne comprano. V. *Queſti livelli ſono il fonte delle diſtrazioni, e delle inquietudini*, perocchè ciaſcun Religioſo ſi occupa più a penſare coſa biſogna che compri per provedere alle proprie neceſſità, che nella brama di piacere a Dio, e di adempire gli obblighi del ſuo ſtato, ed è ſempre con tal penſiere. VI. Accade ſpeſſe volte con queſto uſo di livelli che gli uni non ſolamente ſono nell' abbondanza, ma hanno ancora il ſuperfluo, nel mentre che gli altri, i quali ſono ſenza livello, mancano del neceſſario: *il che è contra la communità dei beni ſtabilita dagli Apoſtoli: e che ci ſiamo obbligati oſſervare ne' Chioſtri: la quale richiede uguaglianza di comodi e di biſogni in tutt' i membri del medeſimo corpo.* „

„ Per iſchivare tutti queſti pericoli, e tutti queſti inconvenienti, è incomparabilmente più ſicuro, e più utile alla ſalute il non avere livello, ovvero ſe ſi ha, confonderlo talmente con le altre ſoſtanze del Monaſtero, che non s'impieghi in particolare per la perſona alla quale è aſſegnato; ma ſi proveda ai di lei biſogni della menſa comune, come ſi fa nelle Caſe, ove non v'è l'uſo de' livelli. Queſta è la Regola che ſi è poſta nella Congregazione di San Mauro per quei Religioſi, ai quali i parenti fanno livello, o dan del danaro. E' ordinato, che ſi prenda queſto livello, o queſto danaro, e ſia confuſo col rimanente delle entrate, e non ſe ne faccia alcuna applicazione particolare al Religioſo, a cui i parenti l'aveano deſtinato. *Ma nei luoghi, nei quali la povertà, o lo ſtato delle coſe non permettono tenere queſt' uſo, e ſenza queſto non ſi ſaprebbe avere ciò che è neceſſario; ſi debbono almeno porre le ſeguenti condizioni, acciocchè coteſti livelli non pregiudichino alla ſalute.* I. *eſſerne perſuaſo, che quando il livello entra nel Monaſtero diviene comune*: e che quello, al quale è aſſegnato, non vi ha *maggior diritto* dell'ultimo della comunità, imperciocchè i Religioſi ſono reſi incapaci per il voto della povertà di poſſedere coſa alcuna in particolare. II. eſſer preparato di *cuore* di ſottoporſi a qualunque diſpoſizione che ne faceſſe il Superiore, a tollerarla pazientemente, ſenza ſuſſurare; e credere che egli ha autorità di farla. III. *Non intricarſi nell' impiegare il livello, e laſciare, che i Miniſtri ne provedano al proprio biſogno.* IV. Non prendere occaſione di chiedere coſe ſuperflue, o di fare regali, o ſervirſene in coſe, che poſſano macchiare la coſcienza, *o che ſiano contrarie alla perfezione.* V. Non avere alcun attac-

„ co, nè al proprio livello, nè ai mobili, che ſaranno ſtati comprati con quel „ danaro, e conſiderare tutto queſto come ſoſtanza del Monaſtero, della qua- „ le ſe ne ha tanta parte quanta ne hanno gli altri. VI. *Quando ſi è pro- „ veduto alle proprie neceſſità, aver piacere, che il rimanente ſia impiegato „ ne' biſogni degli altri Religioſi della communità*. Finalmente ſpropriarſi tre „ o quattro volte l'anno nelle mani del Superiore di tutt' i mobili, che ſi „ hanno a proprio uſo, e pregarlo, che ſe giudica eſservi qualche coſa, la „ quale non convenga al voto di povertà, la levi, e ne diſponga a ſuo „ piacere. „

III. Hæc omnia, a Magiſtro Vitæ Clauſtralis a ſuo textu detruncata luce clariùs evincunt peculia hodierna Clauſtralium proprietatis ſacrilegæ plena eſſe. Numquid peculia Clauſtralium noſtri temporis officiales exigunt, expenduntque? Numquid propria egeſtate levata, quod eſt reliquum in communes uſus convertitur? Quid ergo imperitos ſeducunt *RR. Magiſtri* adulteratis Theologorum textibus? Qua ratione allegant pro peculio *P. Du Sault*, eadem citare poterant Fagnanum, Beuve, Cardinalem Petra, Authorem *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ*, & quotquot adverſus peculium ſcripſerunt. Quis negavit unquam, facta hypotheſi veræ neceſſitatis, licitum peculium eſse reecenſitis conditionibus coarctatum? At quis eſt qui præfatas conditiones ſervet? Quid ſi neceſſitas jactata fictitia ſit, & deliberate volita, tùm a Prælatis, tum a ſubditis?

IV. P. Du Sault docet, *Clauſtrales Apoſtolorum communitati adſtrictos eſſe, quæ æqualitatem commodorum, & neceſſitatem poſtulat. Addit non plus juris habere illum Clauſtralem in ſuum cenſum vitalitium, quam infimus ejuſdem Cœnobii*. Hæc ſunt iſtius Authoris certiſſima principia. Ergo peccant peccato injuſtitiæ, infidelitatis, & proprietatis tam ſubditi retinentes, quam Prælati, qui in pari cauſa neceſſitatis uſum cenſus vitalitii concedunt Clauſtrali, cujus intuitu obvenit Cœnobio, neglectis aliis Fratribus, qui æquali neceſſitate, & interdum majori premuntur. Niſi ſenſui communi renuntient, ſibique rationem adimant, numquam, admiſſis præfatis ineluctabilibus principiis, a crimine proprietatis purgabunt hodierna peculia. Quid, quod P. Du Sault nec meminit Conſtitutionum Clementis VIII. Pauli V. Urbani VIII. Innocentii XII. & aliorum Pontificum, & Sac. Congregat. Declarationum, adverſus peculia, & omnes cavillationes ad excuſandas excuſationes in peculiis invectas?

C A-

C A P U T V.

Theologi & Canoniſtæ, quos poſt Concilium Tridentinum propugnaſſe peculium ut licitum contendit Magiſter Vindiciarum.

I. DEmonſtratum hactenus eſt, graviores tum Theologos, tum Canoniſtas, jure dumtaxat communi ſpectato, communi conſenſu peculium Monaſticum damnaſse, tanquam proprietatis vitio infectum. Inquirendum nunc ſupereſt quid poſt Tridentinum Concilium Theologi & Canoniſtæ in hac controverſia ſenſerint. Quod, ut clarius præſtem diſtinctis §§. Authores examinabo.

§. I.

Martinus Navarrus.

Ante, & poſt Tridentinum de Monaſtico peculio Navarrus ſcripſit. Et quoniam quæ ſcripſerat ante, Conciliis Decretis adverſabantur, iccirco modo contra, modo pro peculio ſtat. *Navarrus* (inquit Fagnanus *in 2. p. Decr. c. Monach. de ſtat. Monach. n. 2.*) *primus forte omnium præmittit proprium eſſe duplicis generis &c.* Addit Fagnanus n. 4. *Exiſtimat Navarrus & male . . . . . Peſſime conſuluis Generalem S. Auguſtini &c.* licite potuiſse concedere Eccleſiam cum horto, & aliis ad eam pertinentibus cuidam Fratri ſui Ordinis ad vitam ejus, ea lege ut ſolveret certos cenſus annuos &c. *nec licere eidem Generali, aut Succeſſori dictam adminiſtrationem ſine juſta cauſa revocare abſque peccato etiam mortali.* Hos eoſdem errores Navarro improperat Eminentiſſimus Petra in Conſt. V. Benedicti XII. *ſec. 2. n. 1.* Natalis quoque Alexander advertit, plus juſto Navarrum in hac materia fibulas laxaſſe.

Et tamen certum eſt Navarrum admittere præceptum exactæ communitatis, a qua lege diſpenſare poſſe Prælatum ait juſta occurrente cauſa. Illius Doctrinæ laxitas in hoc ſita eſt, quod valde facilem diſpenſationem reddat. In Comment. 3. *de Reg. n. 25.* proponit hanc quæſtionem: *An debeat cenſeri damnatus, & infernalis* ſtatus Canonicorum, & Monachorum, quibus portiones pro victu, & veſtitu aſſignantur? *Pro parte affirmante* (inquit) *quod ſit damnatus & infernalis faciunt illa 18. fundamenta &c.* Defendit ille hunc ſtatum

non

non eſse reprobum his verbis. *Concludo igitur pro hac parte negante, prædictum ſtatum non eſſe DE SE damnationis, & infernalem, modo concurrant ſex*. Adeo difficiles ſunt ſex aſſignatæ conditiones, quod licet iſte ſtatus *peculii* non ſit *de ſe*, ut ille ait, *reprobus*, in praxi tamen plenus eſt periculorum. In omne latus ſe ſe vertit Navarrus preſſus Canonum & potiſsimum Tridentini Decretis. Modo adfirmat, modo negat. N. 34. inquit: *Saltem diſputando poſſet defendi etiam poſt prædictum Concilium licere prædictum ſtatum limitatum* ſex indicatis conditionibus. Audiſtin'. Saltem diſputando defendi poteſt non eſse infernalem ejuſmodi ſtatum *de ſe*. Et nihiloſecius neque hic pedem figit; quare continuo ſubdit: *Licet diſputando hoc ſeptimum dictum defendi poſſit, conſulendo tamen videtur tenendum; quod mens Concilii fuit, quod licet prædictus ſtatus moderatus ſit bonus, quia tamen eſt melius reducere ad antiquum originarium Regulæ, reducatur ad illum, quod proculdubio faciendum eſt, ubi ſine ſcandalo fieri poteſt*. Supponit hic Navarrus Regulam de ſe præcipere communitatem. Docet n. 32. *Peccant Superiores negligentes inſtituere, & componere, ſive reformare, & magis contravenientes reformare volentibus, & etiam ſingulares impedientes ea, quia contraveniunt menti, & verbis Concilii, quod eſt peccatum*. Quid plura. Ille ipſe praxim Monaſterii Roncævallæ facto reprobavit inquiens n. 25. *Proteſtatus fui me nunquam accepturum portiones illas particulares in victum, & veſtitum, quod ad unguem ſervavi, eo quod non erat mihi gratus hujuſmodi ſtatus*.

- Doctus & pius P. Hiacynthus de Caſale Inclyti Capuccinorum Ordinis hæc Navarri verba referens in ſuo libro inſcripto *Trattato della Povertà Religioſa* hanc elicit Concluſionem pag. 106. „ E non s'acquietò mai il medeſimo „ Navarro finchè per Apoſtolico indulto non uſcì da quel luogo. Tale fu „ il partito che per ſe eleſſe queſto Dottore, che pur tanto s'avvoglie per di„ fendere, che lo ſtato del peculio *non ſia infernale*: perchè nelle coſe di „ coſcienza altro ci vuole, che poterſi diſputare un punto . . . . . Ma quel „ che più mi preme è, che il Navarro *non ſi teme ſicuro di vivere in quel luo„ go*, dove ſi aveva il peculio con licenza, e conſenſo de' Superiori: E „ che altri ſi aſſicurino di volerlo ritenere ſenza il conſenſo, anzi contra la vo„ lontà di quelli [che ſono i Papi] *e che ſi trovino Dottori, che in tal caſo „ aſſicurino quei Religioſi: chi non vede da tutte le ſopraddette veriſſime, e co„ muniſſime dottrine, che in tal caſo lo ſtato del peculio è infernale?*

Colliges heinc nullius eſſe pro moderno peculio auctoritatis Navarri ſententiam.

tiam. Conatus eſt ille etiam poſt Tridentinum peculium illud a ſe ante Tridentinum defenſum propugnare tot conditionibus adjectis, quarum præcipuæ reipſa minime ſervantur. Peculium propugnavit modo diſputandi gratia, modo juſta cauſa urgente. Tandem peccare docet tum *Prælatos negligentes reformare* laxatam paupertatis legem, tum ſubditos huic reformationi reſiſtentes, *quia*, inquit, *contraveniunt menti & verbis Concilii Tridentini*. Peſſimo ergo RR. Magiſtri pro eo peculio Navarrum allegant, quod nulla lege vetitum negant.

§. II.

Andreas Victorellus Poſtilator Navarri.

In Summar. Conſil. 7. n. 40. ejuſdem Navarri hæc ſcribit. *Non obſtante privilegio, vel immemorabili conſuetudine, debent vivere in communi, dimittere peculia ante Concilium ſibi conceſſa, & ad primam Inſtitutionem ſuæ Regulæ redire, & ad reformationem Concilii.*

§. III.

Graſſius, Barboſa, De Luca, Sanchez, Caramuel, A S. Fauſto, Antonius a Spiritu Sancto, Tamburinus, Pellizarius, qui allegari ſolent in peculii præſidium.

Hi ſunt Authores, *quos* (inquit Fagnanus cap. Monach.) *noviſſime conquiſivit ſtudioſus laxiorum opinionum ſectator Antonius Diana*. Et tamen hi Authores, ſi reipſa expendantur, ea admittunt, approbantque principia, quæ uſum peculii damnant, maxime prout in praxi ſerpit. Paucis rem expediam.

§. IV.

§. IV.

Diana.

De more colligit *Tom. 7. coord. tract. 3. deciſ.* 28. aliorum laxiores quaſdam concluſiones, miſſis principiis, e quibus peſſime interdum elicitæ ſunt. Præceptum exactæ communitatis ſilentio præterit. Uſum peculii licitum aſſerit, nulla adducta ratione, & falſiſſima atque arbitraria interpretatione, verba & mentem eludens Tridentini Concilii. Reſcribere non erubeſcit illorum opinionem, quæ Sacræ Congregationis Concilii Tridentini interpretis Deciſiones rejicit. Quam opinionem *magnæ temeritatis* ream poſtulat Eminentiſſimus Cardinalis Petra. Rejicitur ergo Diana ut laxitatis Patronus.

§. V.

Jacobus de Graſſis.

Scribit 1. *p. lib.* 3. *cap.* 5. *n.* 53. poſſe Prælatum *diſpenſare* in uſu peculii *juſta de cauſa magnæ utilitatis vel neceſſitatis Monaſterii. Quia Concilium Trid. non inducit novum jus, ſed tantum renovat, & revocat ad memoriam antiquum jus. Cap. Non dicatis* 12. *q.* 1. *Prælatis Regularium, ne ſine juſta cauſa propter importunitatem, VEL SINGULAREM UTILITATEM aliquorum Regularium, variis modis id procurantium, concedatur PRÆCIPIT*. Tridentinum non inducit novum jus, ſed novo præcepto, noviſque pœnis obſervantiam antiqui juris inſtaurat, atque ſevere inculcat. Prohiberi Prælatis, ne peculium concedant ob *ſingularem* ſubditorum *utilitatem*, ſed ob *neceſſitatem*, vel magnam utilitatem, non Fratrum, ſed *Monaſterii*, diſpenſari in uſu peculii poſſe, docet Graſſius.

§. VI.

Barboſa, & de Luca.

Auguſtinus Barboſa *in ſeſſ.* 25. *cap.* 2. *Concilii Trident.* Aliorum opiniones colligit nihil de ſuo promens. Barboſa in re Canonica alter mihi videtur Dia-

na

na in re Morali. Aliorum opiniones infarcit aut nullo, aut exiguo delectu, &, ut Diana, frequenter laxiora amplectitur. Nec mirum. Brevi quippe intervallo, nempe ab anno 1629. ad 1641. ingentia illa volumina conſcripſit, ut advertit Joannes *Doviat lib.* 5. *cap.* 9. Eo autem tempore *Probabiliſmi* Regnum dominabatur. Verum hæc per tranſennam. *Cap. cum ad Monaſt.* nihil habet, quod peculio faveat. De Poteſt. *Epiſ. p.* 3. relatis variis opinionibus, ei adheret, quæ peculium ob *juſtam cauſam* concedit. Diſpenſatio ex juſta cauſa legem ſupponit. De lege præcipiente exactam rerum communitatem, de onere auferendi cauſam habendi peculii, nec verbum Barboſa habet. Perperam ergo pro conſtituendo, aut negando præcepto exacte communitatis Barboſa affertur.

Cardinalis de Luca *lib.* 14. *p.* 1. *de Regul. Dec.* 57. cauſam in Foro orat pro Henrico Brocca adverſus Monaſterii Licii circa decurſas *annualitates*, quas Monaſterium ſibi applicare contendebat: Sub finem diſputationis *n.* 17. obiter addit, hodie tolerari, permiſſive tamen, ut evidens eſt, ab Eccleſia peculium, *dummodo practicetur compatibiliter cum ſtatu paupertatis*. Statum controverſiæ præſentis de obbligatione inſtaurandæ communitatis nec oblique tangit perdoctus Cardinalis.

§. VII.

Thomas Sanchez.

Thomas Sanchez *lib.* 7. *in Decal. cap.* 19. uſum peculii licitum docet, ſed qua conditione? Neceſſitatis cauſa. En quæ ſcribit n. 27. *Tertio deducitur, non eſſe in bono ſtatu Prælatum, qui in quantum poteſt, abſque gravi ſcandalo, non nititur Religioſos vivere in communi, ac ſuperfluos uſus vitare. Similiter peccant mortaliter ſubditi dantes peculii cauſam reſiſtendo vitæ communi, cum illis neceſſaria miniſtrentur: & ſimiliter graviter murmurando, & magis querelas fundendo.* Quid ad hæc Antiprobabiliſtæ Magiſtri?

§. VIII.

Joannes Caramuel

In ſua Theologia Regularium *Diſput.*48. *art.*1. *n.*631. hæc ſcribit. *Clarum evadit, quam periculoſe illi ſe fallant, qui cum in ſua Profeſſione Deo voverint converſionem morum ſuorum, & ſecundum Regulam S. Benedicti, exiſtimant tamen ideo ſe ex voto non obligari ad vitam communem, quia illa tempore profeſſionis ſua non ſervabatur in Monaſterio, & quia non intendebant, ut putant, ſe ad aliud obligare vi voti, quam ad id quod videbant in Monaſterio obſervari ....*

Similes autem ſunt tales Religioſi illis conjugibus, qui putant ſe non violare fidem uxori promiſſam, ſi cum aliis mulieribus congrediantur, eo quod plures conjuges ſui Pagi, vel Oppidi adulteri ſint: aut iis, qui putant ſe non perjuros eſſe, dum jurant ſe non ſimoniace obtinuiſſe beneficium, quod ſimoniace acquiſiverunt, propterea quod inter quos habitant ſimili ſimonia perveniunt ad Beneficium, & ſimiliter perjuri ſunt.

Cum igitur non vivere in communi, comedere carnes feriis quartis, & ſimilia, (ſi fiant) *abuſus ſint abſque legitima diſpenſatione, aut cauſa introducti, ſequitur ad hujuſmodi obſervantias compelli poſſe, nec a D. Bernardo excuſari. Maxime cum CONCILIUM TRIDENT. PRÆCIPIAT ſervari ſubſtantialia vota, nec non ad COMMUNEM VITAM, & victum pertinentia, ſequitur etiam non poſſe Religioſos ſuam ignaviam tueri contra Reformatores ex eo quod tempore profeſſionis illa non ſervabantur, quia tale Monaſterium irregulare erat, & potuit, immo debuit reformari.* Alibi docet licitum eſſe peculii uſum ex diſpenſatione. Verum habet. Ergo vera & ſincera non ſunt quæ retuli? Admiſſa quacumque poſitiva lege, licita quandoque diſpenſatio eſt. Nec id in quæſtionem revocatur. Quod porro Caramuel quæſtionem verſans de diſpenſatione peculii, laxa doceat, propterea ne aufert legem, quam faſſus eſt, & defendit? Nec nunc vacat antilogia & opiniones laxiſſimas Caramuelis componere.

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

Bartholomæus a S. Fauſto

In Speculo Relig. de vit. propriet. q. 52. & de pauper. Religioſ. q. 204. *Tertio, & ultimo dico, quod Regulares tam viri, quam mulieres tenentur ſub mortali agere vitam communem, ſi dentur illis a Superioribus quæ neceſſaria ſunt ad ſuſtentationem.*

§. X.

Antonius a Spiritu Sancto

In Directorio Regularium *tract. 3. Diſp. 4. ſect. 2. n. 73. Dico igitur ſecundo. Omnes Religioſi cujuſcumque Religionis tenentur vitam communem obſervare in victu, veſtitu, lectisterniis, aliiſque.*

§. XI.

Aſcanius Tamburinus

De Jure Abbatis *Diſput. 8. quæſt. 6.* ſcribit: *Regulares omnes teneri, non ſolum paupertatis votum ſervare, ſed etiam ſpecialiter vivere communi vita, nimirum in victu, veſtitu, lectiſterniis, & aliis diſpenſatis, & diſtributis a Superiore.*

§. XII.

Franciſcus Pellizarius

In Tractatu de Monialibus cap. 4. ſect. 1. quæſt. 4. *Colligitur ex Sanchez aſſerente cum S. Antonino & Sylveſtro, quod ſicut Prælatus Regularium non eſt in bono ſtatu, ſi quantum poteſt abſque gravi ſcandalo non nititur Religioſos in communi vivere, ac ſuperfluos uſus vitare: ſic nec ſunt in bono ſtatu*

ſubditi reſiſtentes, non quod nequeant ſufficienter vivere, ſed quod velint abundare, & liberius diſponere. Hoc enim adverſatur voto paupertatis.

§. XIII.

ANIMADVERSIO

in RR. Magiſtros *Vindiciarum & Vitæ Clauſtralis.*

Author Vindiciarum omnes fere hactenus recenſitos Authores adverſus exactæ rerum communitatis legem allegat. Ut vero legem hancce terra, marique exterminet, ſatis illi eſt aliquos ſive Canoniſtas, ſive Theologos reperire, qui ab eadem lege ex juſta diſpenſari cauſa poſſe doceant. Quæ argumentatio ſi conſiſteret, actum de omnibus humanis legibus eſſet. Et tamen hæc eſt utriuſque Magiſtri noſtri & *Vindicis*, & *Clauſtralis* peregrina, atque prodigioſa doctrina. Quin eo progreſſi ſunt *eximii Magiſtri*, ut Authorem *Diſciplinæ Monaſticæ* poſtulaverint tamquam Theologorum interpolatorem. Cur? Quia, adductis textibus, quibus demonſtravit, omnes Theologos confiteri Præceptum Eccleſiaſticum exactæ communitatis, præteriit textus, quibus iidem Theologi docent diſpenſare interdum poſſe Prælatos ab hac lege. Quam diſpenſationem ab ejuſmodi Theologis concedi non indicavit modo, verum etiam laxiſſimas quorumdam opiniones redarguit. Sed hanc hallucinationem, qua ex diſpenſatione a lege, legem negant, alibi confutavi.

Magiſter *vitæ Clauſtralis* pag. 353. adverſari ſibi teſtatur Laymanum, Tamburinum, Bartholomeum a S. Fauſto, Antonium a Spiritu Sancto, Caramuelem, alioſque. Sed quid, inquit, laxioris iſtos Ethices Profeſſores opponis? Iſtos ſcilicet oppono, ut Antiprobabiliſtam hominem non levi pudore aſpergam. Si iſti, quos tu laxones vocitas, damnant laxitatem tuam, Syſtema tuum Antiprobabiliſticum, quod inflatis genis crepas, cachinnis, & ſibilis vel ipſius popelli exponitur.

CAPUT VI.

Benigniores Theologi Valentia, Vaſquez, Leſſius, Caſtropalaus, Cottonius, Reginaldus, Felix Poteſtas, praeceptum exactae communitatis defendunt, & peculium damnant neceſſitate naturali ſublata.

§. I.

Gregorius de Valentia

2. 2. *Diſput.* 10. *quaeſt.* 4. *punct.* 3. „ Quarto ſequitur eſſe in malo ſtatu „ Religioſos, tam Prælatos, quam ſubditos, qui non agunt vitam commu„ nem. Hoc autem intelligitur quando ex communibus redditibus poſſunt „ ſufficienter vivere. Alioquin jure naturali licebit unicuique ſibi provide„ re: ita recte excipit Sylveſter. „

§. II.

Gabriel Vaſquez

Opuſculo de Redditibus *cap.* 3. *dub.* 2. *num.* 14. „ Mihi videtur ex verbis „ Concilii, quod non ſolum tertium genus peculii, ſed etiam primum vo„ luit de medio auferre, quia & illud cauſa etiam eſſe ſolet aliorum ma„ lorum. Ego autem non exiſtimo bona eſſe incorporata in Monaſterio, „ eo ipſo quod ſint apud Monialem, vel Monachum ad id deſtinatum, ſi unuſ„ quiſque inde ſibi neceſſaria eſt conquiſitus, ſicut ſi ipſe haberet apud ſe „ peculium. *Quanta autem mala heinc oriantur, teſtes ſunt ipſi Religioſi, „ qui hoc, attentis animis, ſunt contemplati. Incorporari ergo conventui „ eſt, quod in* COMMUNES *expenſas deſtinentur: & ob id præcipit Con„ cilium, quod Monaſterium, & Superiores ſuperflua Religioſis non permit„ tant, ſed quæ eorum ſtatui decent, neque neceſſaria denegent. Hinc fit, quod „ cum Religioſi egeant ut plurimum neceſſariis, ipſi ſibi provident, & neceſſa„ rii prætextu peculii etiam ſuperflua ipſis miniſtrant. Et hæc mala Conci„ lium auferre contendit auferens* PENITUS OMNE PECULII GENUS, „ *ut ex communibus facultatibus omnibus neceſſaria miniſtrentur, in quo pau-*

„ *per-*

Digitized by Google

„ *pertatis perfectio in communitate conſiſtit, ſicut Act.* 4. „ Addit, hoc Decretum in praxi non fuiſſe receptum cum Religionum detrimento. Quod quam ſit verum Clemens VIII. & cæteri poſteriores Pontifices declararunt.

§. III.

Leonardus Leſſius

De Juſtit. & Jure *lib.* 2. *cap.* 4. *dub.* 5. *n.* 30. „ Dico quinto. Superiores „ Religionum non poſſunt alicui Regulari concedere ulla bona ſtabilia, ut „ ſunt fundi, redditus, ædium locationes *etiam ad uſum dumtaxat*, vel ad- „ miniſtrationem. Colligitur ex Trident. ſeſſ. 25. cap. 2. de Regul. ubi ſic „ habetur: *Nec deinceps &c.* .... Itaque etiamſi non ſit contra votum pau- „ pertatis aut contra jus commune habere cum facultate Superioris, cumque „ aſſidua ab ejus nutu dependentia talium bonorum adminiſtrationem & „ uſum etiam ad pias cauſas; tamen Concilium in poſterum prohibet, & „ vult ad ſolos officiales horum adminiſtrationem deinceps pertinere, ut „ aperte colligitur ex reſponſis Illuſtriſſimorum Cardinalium, qui præſunt „ dubiis circa Decreta Concilii Tridentini oborientibus, qui ne nobiliſſimis „ quidem perſonis id concedere voluerunt. „ Subdit, facta poſitione, quod de communi penu neceſſaria non conferantur, licitum eſſe peculii uſum, quod omnes fatentur. Idque recordor, ne adverſarii cavillari pergant truncatos textus afferri, quia quæ ſunt extra controverſiam non producantur.

§. IV.

Ferdinandus de Caſtro Palao

Tract. 16. diſp. 3. punct. 7. „ An Religioſis licitum ſit habere peculium „ ex Superioris licentia? ....

„ Verius exiſtimo cum prima ſententia Concilium Tridentinum novum „ jus ſtatuiſſe, quod ad obſervantiam paupertatis, & illius perfectionem con- „ veniens eſſe judicavit. Ultra ibi relatos (Cordubam, Manuel. Rodericum, „ Molinam, Petr. Navar. Valentiam, & alios apud Sanchez) ſuſtinent Suarez „ Baſil. Poncius, Vaſquez. Moveor primo ex illis verbis, *Nemini liceat &c.*

„ In

„ In quibus verbis *manifeſte* prohibet Concilium poſſeſſionem, & retentio-
„ nem bonorum *etiam ex licentia Prælati*: ſiquidem ea, quæ *nomine Conven-
„ tus retinentur*, ex licentia & voluntate Prælati retinentur. Quod ſi dicas
„ id intelligi abſque juſta cauſa, videris abſque fundamento locutus, cum
„ nullum verbum ſit in illo Decreto hanc explicationem indicans. Sed po-
„ tius contrarium colligitur ex eo quod abſolute, & abſque ulla diſtinctione
„ præcipiat ea bona Superiori tradi, Conventuique incorporari .... Notan-
„ dumque eſt verbum *incorporari*, quod denotat illa *bona fieri communia*, &
„ *ad uſum totius Conventus*. Propterea Concilium eam adminiſtrationem,
„ quam ſingulis Religioſis denegat, concedit officiali Conventus: ſed officiali
„ Conventus concedit adminiſtrationem ex juſta cauſa, & ad uſus honeſtos,
„ ergo eam denegat ſingulis Religioſis. Secundo moveor ex illis verbis: *Nec
„ deinceps liceat Superioribus &c.*

Addit, ſi Conventus vel ob paupertatem, aut Prælatorum malitiam neceſ-ſaria non miniſtrat, tunc licitum peculium eſſe, ut omnes fatemur. Sed tam Prælati, quam ſubditi tenentur hanc removere peculii habendi neceſſitatem ut millies dictum eſt.

§. V.

Felix Poteſtas

Tom. 1. part. 2. de 1. Præcept. cap. 4. num. 1055. „ *An Religioſi & Mo-
„ niales poſſint habere peculium*, ſeu annuos redditus in uſus honeſtos, & li-
„ citos, & ex juſta cauſa de licentia Superiorum atque ad eorum nutum
„ revocabilia &c. ....

„ Duæ ſunt opiniones. Prima negat .... Secunda opinio adfirmat &c. „,
„ Dico, primam eſſe veram. Secundam vero ſolum habere locum in Mo-
„ naſteriis, ubi vel ob nimiam paupertatem, vel ob Superiorum incuriam,
„ aut malitiam non ſervatur perfecta vita communis &c.

„ Ratio primæ partis eſt: quia ut conſtat expreſſe ex Decreto Clemen-
„ tis VIII. declarativo Decreti Concilii Trident. eſt, quod omnia quomo-
„ documque a Religioſis acquiſita Superiori tradantur, & Conventui cum
„ cæteris illius bonis, pecuniis, & proventibus incorporentur, *ut inde com-*

„ *munis*

„ *munis victus*, *& veſtitus* omnibus ſuppeditari poſſit, in quo conſiſtit *Vita* „ *communis*. „

„ Ratio ſecundæ partis eſt: quia in Contractu, quem Religioſus cum „ Religione ſeu Monaſterio init, ex parte Religionis virtualiter includi- „ tur, ut Monaſterium teneatur illi providere de neceſſariis juxta decen- „ tiam ſtatus. „

Paucis expreſſa eſt tota controverſia: naturalis neceſſitas alendæ, induendæque vitæ, peculium permittit. Verum & jure contractus incluſi in voto paupertatis, & jure Sacrorum Canonum tam ſubditi, quam Prælati tenentur quoad fieri poteſt hanc habendi peculii neceſſitatem removere, & exactam rerum communitatem invehere.

§. VI.

Antonius Cottonius.

COTTONIUS benignioris alioquin ethices Profeſſor præ omnibus Recentioribus Probabiliſtis peculium cum voto Paupertatis Monaſticæ pugnare oſtendit *lib.* 4. *controv.* 6. *cap.* 2. *a num.* 59. Primum in medium promit antiquos Canones C. *Joannes de Reg.* ubi hæc habentur: *Mandamus ne liceat quemquam Monachum peculiare quippiam habere*. Et cap. Monach. *Monachi nec peculium permittantur habere*. Et cap. cum ad Monaſterium: *Prohibemus ne quis Monachorum proprium aliquo modo poſſideat*.

Clarius inquit Tridentinum. Cavillabantur quippe nonnulli futili diſtinctione inter *proprium* & *peculium* indriſcriminatim ſemper, ante Navarrum, tum a Concil. Lateran. tum a Theologis pro eadem re uſurpatum. Idcirco Tridentinum, miſſis vocibus *peculii* & *proprii*, quorumque bonorum ſive mobilium, ſive immobilium uſum peculiarem prohibet Regularibus concedi a Prælatis. Pauca ex multis quæ Cottonius ſcribit delibabo.

„ Duo (inquit n. 75.) mihi in hac re certa videntur. Primum Reli- „ gionum Inſtitutores, Sacroſque Canones, Concilia, & Pontifices omnes „ eo ſpectaſſe, ut paupertas a Religioſis ſervaretur integra, quam ſupra „ deſcripſimus: *nec Peculium* ſive ſtabile, ſive mobile, & pecunia, quo- „ vis modo illis permitteretur &c.

„ Bene autem dicit Diana, & Auctores contrariæ ſententiæ, Tridentinum „ non

„ non condere novum jus, ſed antiquum innovare: quod idem ego aſſero „ de Decretis Clementis innovantibus Decretum Concilii, & Decreto S. „ Congreg. ſub Urbano innovante Decretum Clementis. Sed nec oportuit „ novum in hac re jus condidiſſe, cum idem in antiquis canonibus præ„ ceptum fuerit, quos innovaſſe ſuffecerit.

„ Hoc præterea peculium non ſolum prohibetur independenter a pote„ ſtate Prælati, & irrevocabiliter, ut interpretantur adverſarii: Nam pro„ hibitio dirigitur ad Prælatos, ne permittant. Non poteſt autem intelli„ gi permiſſio, invito Prælato, & ſine licentia, hoc eſt, ſine permiſſio„ ne... Quod ulterius confirmatur. Nam ſi concedere potuiſſent, & ſoli„ ti eſſent; quæ cauſa erat, ut Religioſi vellent habere independenter, & „ ſine licentia? Certe modo in Religionibus, quibus permittitur, ex eo „ quod Religioſus habeat pecuniam, non cenſetur proprietarius. Nec ullus, „ qui mortuus inveniretur cum marſupio, ſepeliretur in ſterquilinio, ut be„ ne docet Diana *par.* 4. *tr.* 4. *reſ.* 23. cum Portellio, quia poteſt præſumi „ illud habuiſſe cum licentia, vel pecuniam non eſſe ſuam, ſed amici in „ Depoſitum. Quæ ſane præſumptio priſcis illis temporibus non habebat lo„ cum: alias inique illis Canonibus abſque exceptione præceptum eſſet in „ ſterquilinio ſepeliri, quod & D. Gregorius fecit. Non ergo tum permit„ tebatur pecunia apud Fratres nec ſua, nec aliena, & proprietas habeba„ tur in pecunia, quæ apud alium Monachum, præterquam apud Celle„ rarium inveniretur. „

„ Alterum mihi certum eſt, neceſſitate urgente, hunc rigorem juſte tem„ perari.... Juſta autem cauſa non eſt Magiſterium, Prælatura, aut digni„ tas; ſed ſolum ſi Monaſterium præbere non poſſit neceſſaria ad ſuſtenta„ tionem honeſtam &c. „

„ *Interim vero in malo ſtatu cenſendi tam ſubditi reformationem recuſan„ tes, oblata illis ſufficienti ſuſtentatione ex bonis communibus, quam Præla„ ti potentes id facere, & negligentes, ut optime Pelizzarius ex Sanchez, „ Sancto Antonino, & Sylveſtro.*

CAPUT VIII.

P. Auguſtinus Mattheucci Ord. Min. Obſerv. Sac. Theolog. Lett.
Jubilat. in Schcola paupertatis edit. Rom. 1716. Tit. 1.
Conſ. 1. n. 9. pag. 9. & ſequent.

„ A*N peculium poſſit Religioſo privato non officiali concedi?* ...... Tales
formulas licitas eſſe, nec improbari a Tridentino dixit Navarrus
„ *in Cap. Ne Dicat.* & *com. 1. de Regul. q. 2. cap. 2.*, quem ſequitur
„ Peyrinus de *ſubd. q. 2. cap.* 2. aliique apud ipſum concordantes, Con-
„ cilium non prohibere, quin Superiores poſſint Religioſis concedere pecu-
„ lia, annuoſque redditus ad uſus licitos, & ex JUSTA CAUSA, & ſub
„ prohibitione Concilii ea tantum comprehendi, quæ dantur vel ad quoſ-
„ cumque uſus pro libito voluntatis Religioſi, vel ad uſus illicitos, vel ex
„ injuſta cauſa. *Verum horum opinio non regit: ſiquidem Concilium prohibet*
„ *conceſſionem bonorum immobilium, etiam ad uſum fructum, vel uſum, ad-*
„ *miniſtrationem, vel commendam; ideo cum generaliter, & indefinite pro-*
„ *hibeat, non eſt privati Doctoris diſpoſitionem Concilii reſtringere, & limi-*
„ *tare ad eam ſolum adminiſtrationem, & peculia, quæ dantur in uſus illi-*
„ *citos, & ex cauſa injuſta. Alias nulla eſſet differentia inter ſimplices Re-*
„ *ligioſos, & officiales. Etenim nec officialibus poteſt concedi adminiſtratio*
„ *fructuum bonorum, & pecuniarum Monaſterii ad uſus illicitos, ſed in utili-*
„ *tatem Conventus dumtaxat ... Aperta autem eſt differentia inter utroſ-*
„ *que, ut ex textu allegati Decreti. Quin etiam dum Concilium ea diſpoſuit*
„ *ad Reformationem Regularium, dicendum eſt, ejus mentem fuiſſe quidquam*
„ *ſpeciale ſtatuere ſupra cæteros Eccleſiaſticos, quibus licita non eſt bonorum*
„ *Eccleſiaſticorum adminiſtratio ad illicitos uſus, ut ad commeſſationes, ebrie-*
„ *tates, impudicitias &c.*

„ *II. Et hinc peculium ſeu adminiſtratio bonorum Monaſterii nulli Regu-*
„ *lari, officialibus exceptis, ex nulla cauſa, nulloque caſu eſt permiſſa, juxta*
„ *Decretum d. cap. 2. d. Seſſ.*

„ *Quæ omnia a nullo inficiari poſſunt, quin reſolutis a S. Sede repugnet.*
„ *Hinc obſervandæ ſunt Declarationes a Sac.* Congreg. *Concilii in contingen-*
„ *tibus caſibus editæ, quas refert Fagnanus in 3. cap. Monach. De ſtatu Mo-*
„ *nach.*

Digitized by Google

„ *nach.* (& exſcriptis Sacræ Congreg. Decretis concludit) *Quibus Decla-* „ *rationibus ſtantibus, conſtat correctam eſſe Navarri Peyrini, & aliorum ſententiam, qui in hac re CALAMO NIMIS LAXO SCRIPSERE.* = Audiſtis RR. PP. Antiprobabiliſtæ *Vindicator, Clauſtralis,* & *Cenſor* Diſciplinæ Apoſtolico Monaſticæ? Laxo calamo ſcripſerunt Navarrus, Peyrinus, & cæteri, qui ex *juſta tantum cauſa* concedi peculium poſſe ſcripſere. Quid ad hæc vos? Quid ad Decreta Congregationis Concilii?

CAPUT VIII.

Graviores Theologi pietate, & doctrina celebres, qui poſt Tridentinum integris opuſculis data opera peculium, & omnes Peculiariſtarum thecnas, excuſationes, & prætextus oppugnant, damnant, execrantur.

SI vel ipſi benigniores Probabiliſtæ exactæ communitatis præceptum, & abſolutam privati peculii prohibitionem defendunt, ſupervacaneum fere eſt inſigniores allegare Theologos, qui eamdem ſententiam omni argumentorum genere confirmant, muniuntque. Nihiloſecius quorumdam Theologorum non textus tranſcribam, ſed Opera, in quibus ex profeſſo cauſam verſant, indicabo.

§. I.

Hieronymus Gratianus.

Juſſu Reverendiſſimi Enrici Generalis Ordinis Carmelitarum *P. Hieronymus Gratianus* ejuſdem Ordinis paulo poſt Concilium Tridentinum Opus Hiſpanico idiomate edidit hoc inſcriptum titulo *Della Diſciplina Regolare.* Tributum eſt in partes tres. *Part.* 2. a capite VIII. uſque ad finem exponit Decreta Concilii Tridentini, quæ Regularium Paupertatis reformationem ſpectant. Præceptum communitatis exactæ, prohibitionemque peculii ſole meridiano clarius oſtendit. Effugia præcludit, & omnes *Peculiariſtarum* excuſationes, vanaſque diſtinctiunculas refellit. Regularum textus Baſilii, Auguſtini, Benedicti, & potiſſimum B. Umberti adverſus peculium opponit. Opus iſtud anno MDC. in Italicam linguam verſum Ve-

netiis impreſſum fuit PP. Carmelitarum cura apud Matthæum Valentinum.

§. I I.

Servatius De Lajruelz.

Franciſcus a Longo Prato Generalis Ordinis Præmonſtratenſis, atque Monaſticæ diſciplinæ præfervidus Reformator juſſit, ut D. Servatius De Lajruelz ejuſdem Ordinis Abbas, & Doctor Theologus opus ederet, quo reformandæ Regularis diſciplinæ ad Tridentini Goncilii & Regulæ Auguſtinianæ amuſſim, neceſſitatem evinceret. Paruit Piiſſimus, ac Doctiſſimus *Servatius*: Librumque emiſit ſub hac Epigraphe, OPTICA REGULARIUM ſeu *Commentarii in Regulam S. P. Auguſtini anno 1607*. Iſtius Operis ſcopus eo pertinet, ut exactæ communitatis reformationem tanquam univerſæ Monaſticæ Diſciplinæ baſim & fundamentum primum oſtendat. Prælatos, qui, ablegatis peculiis, ad perfectam bonorum omnium communionem non reformant ſuos Clauſtrales, continenter peccare, ſicuti & ſubditos Reformationi adverſantes, docet *Servatius*. Tanta argumentorum copia, eoque cœleſtis unctionis ſpiritu cauſam iſtam orat, ut non modo mentem, verum etiam animum ſubigat. Plures ejuſdem textus tum in diſciplina Apoſtolico-Monaſtica, tum in hoc opere allati ſunt, quibus peculia quæque diris devoventur, & exacta communitas munitur.

§. I I I.

Bernardinus Gauslinus O. P.

Inter Regularis Diſciplinæ ſtrenuos aſſertores nulli poſt Tridentinum ſecundus fuit P. Bernardinus Gauslinus eximia morum integritate, & litterarum eruditione percelebris. Hic *Miſcellanea* collegit pro Regularium reformatione: Decreta Concilii Tridentini, Conſtitutiones Clementis VIII. adverſus peculium, & pro communitate inſtauranda in medium affert. Tractatus Cardinalis de Turre Cremata, Joannis Nyder, Joannis Excuria, in quibus peculium ceu dira univerſæ Regularis Diſciplinæ corruptela explodi-

ploditur, neceſſitate graviſſima invehendæ communitatis oſtenſa, ſecundis typis edi curavit, & inter ſua *Miſcellanea* inſeruit.

§. I V.

Vincentius Puccini.

Tractatum inſcriptum *De Proprietate, & Peculio Regularium*, publici juris fecit *Vincentius Puccini* Presbyter Florentinus anno 1619. quem ipſe e latina in vulgarem linguam vertit. Teſtatur, ſe conſuluiſse doctiſſimos Viros non minus pietate, quam ſapientia celebres, quorum adhortationibus librum edidit, in quo a capite ad calcem peculium improbat, exactæque communitatis neceſſitatem evincit. In medium affert Regulas Patriarcharum, Decreta Concilii Tridentini, Auctoritatem B. Umberti Generalis Prædicatorum, S. Antonini, Cardinalis Turræ Cremata, Trithemii, Joannis Manturni, Dionyſii Carthuſiani, Hieronymi Gratiani, & Recentiorum Theologorum, Azorii, Valentiæ, aliorumque plurium, qui peculium peſtem appellant Monaſticæ Diſciplinæ, & Voti Paupertatis infenſiſſimum hoſtem. Doctus & pius Author eo eſt majoris authoritatis, quo eſt a partium ſtudio magis alienus.

§. V.

P. Hiacynthus a Caſali.

Celebris Concionator P. Hiacynthus a Caſali inclyti Capuccinorum Ordinis tractatum compoſuit tres ſectum in partes, & cæteris fuſius, atque etiam efficacius exactæ communitatis præceptum, peculiique prohibitionem confirmat: Nummicolarum ſophiſmata, & cavillationes feliciter repellit. P. Hieronymus de Monte Syon Minor Conventualis Mantuæ typis edi curavit aureum opuſculum anno 1622. illudque dicavit ſuo Generali Jacobo de Bagnacavallo Diſciplinæ Regularis inſtauratori.

§. VI.

§. VI.

Trattato della Vita comune de' Religioſi.

Opuſculum iſtud in lucem dedit Michael *Hercole* Romæ anno 1671. adprobante Hiacyntho Libello Sac. Palat. Apoſt. Magiſt. Iterum prodiit Romæ anno 1695. dicatumque fuit Summo Pontifici Innocentio XII. Iſtius Tractatus doctrinam omnium illuſtriorum Ordinum Regularium aut Generales, aut Procuratores Generales ſuis ſuffragiis in ejuſdem libri limine typis editis approbarunt, ſuntque ſequentes. Illuſtriſſimus Le Droà Auguſtinianus Provincialis Flandriæ & Epiſcopus Porphiricnſis. Illuſtriſſimus Morozzi Abbas Generalis Congregationis Ciſtercienſis poſt Epiſcopus Bobienſis. Tirſus Gonzalez Generalis Societatis Jeſu. D. Maurus Stefanozzicus Procurator Generalis Congregationis S. Mauri Ord. S. Bened. P. Paulus a S. Ignatio Procurator Generalis Carmelitarum. P. Jacobus Ricci Procurator Generalis Ord. Præd. P. Antonius Roſſi Procurator Generalis Servorum B. Mariæ Virginis. P. Zaccharias Roslet Procurator Generalis Minimorum. P. Antonius Celeſtri Procurator Generalis Tertii Ordinis S. Franciſci. P. Onuphrius ab Aſſumptione Generalis Ordinis Carmelitarum Excalceatorum. P. Franciſcus Vareſę Commiſſarius Generalis Min. Reformatorum S. Franciſci. P. Laurentius Fabri Procurator Generalis Minor. Conventualium S. Franciſci.

In hoc tractatu exactæ vitæ communis peculii cujuſque expertis Præceptum omnium Patriarcharum Regulis, Sanctorum Patrum ſententiis, Conciliorum Decretis, Pontificum Conſtitutionibus, Theologorum tum antiquorum, tum Recentiorum auctoritate, ſole meridiano clarius evincitur. Sophiſmata omnia, cavillationes, & prætextus, quos peculiorum defenſores allegare ſolent, repelluntur. Magiſter *Vindiciarum* teſtatur Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ doctrinam illam ipſam eſſe, quæ in hoc Tractatu continetur, atque tanquam *ovum ovo ſimillimam*. Quod ſi doctrinæ ſubſtantiam ſpectes, verum habet. Retractent ergo ſuas *Vindicias*, *&* *Vitam Clauſtralem* eximii adverſarii. Pœniteant, quod doctrinam oppugnare auſi ſunt, quam ſupremi Sacrorum Ordinum Moderatores ſuis calculis confirmarunt. Lugeant ſuum Antiprobabiliſmum cachinis, & dicteriis deridendum propinaſse, & exoticas, atque prodigioſæ laxitatis plenas opinationes propugnandas ſuſce-

ſuſcepiſſe. Quid adverſus hunc ſolum Tractatum opponent tot Theologorum, Cardinalis Ferrarii, & ipſius Summi Pontificis auctoritate munitum, firmatumque?

§. VII.

Franciſcus Ramirez Archiepiſcopus Brunduſinus.

Anno 1696. Lycii opuſculum edidit laudatus Ramirez O.P. inſcriptum: *Quæſtio Moralis ſalubrius exequenda, quam diſputanda in gratiam Regularium utriuſque ſexus, qui zelum Dei habent, & Diſciplinæ Regularis vero flagrant amore: An, & qualiter teneantur ad VITAM communem a Sacr. Conc. Trident. ſeſſ. 25. cap. 2. de Reg. præceptam, atque præſcriptam?* Opuſculum iſtud nonnullis additionibus illuſtravit *Horatius Fortunatus* Epiſcopus Nerotinenſis. Confirmat ſententiam illam Archiepiſcopi, quod nulla conſuetudo prevalere queat legi exactæ communitatis, *quia* inquit *pag.* 92. *hæc conſuetudo, quamvis ſit directe contra jus Canonicum, tamen meo videri, inchoative eſt contra jus Divinum. Nam Præceptum hoc Trident. præcipit materiam dependentem a voto paupertatis, quod Regulares emittunt, cui ut medium conſequitur Vita communis.* Quod verum haberet, ſubdit, etiamſi jactata conſuetudo non eſſet *a tot replicatis prohibitionibus profligata, & interrupta.* Quamvis in hoc opuſculo undequaque peculii corruptela exagitetur, & præceptum exactæ communitatis evidentiſſime demonſtretur; tamen veriti minime ſunt Authores *Vindiciarum*, & *Vitæ Clauſtralis* incredibilem evulgare impoſturam, quod Author Diſciplinæ Monaſticæ textus iſtius opuſculi truncatos exhibuerit.

§. VIII.

Conferenze Spirituali ſopra la Povertà Evangelica.

Opuſculum iſtud impreſſum fuit Lucæ anno MDCCVII. Illius Author fertur P. Philippus Baldinucci O. P. Celebris Congregationis S. Marci Florentiæ, Regularis Diſciplinæ, inſignis pietatis, raræque humilitatis abſolutum exemplar. Plura diicenda in ejuſdem commendationem occurrerent, niſi illius

Digitized by Google

lius modeſtia, cum adhuc vitam agat fere nonagenarius firmæ valetudinis, prohiberet. Paræciam S. Marci etiamnum regit zelo præfervido, & incredibili vigilantia. Pater Pauperum ab omnibus colitur. In præfato opuſculo ſimplici ſtylo vernaculo, ſed cœleſti rore aſperſo, in forma Dialogi exactæ communitatis obſervantiam promovet, peculiorum mala ingentia patefacit.

§. IX.

Critica Animadverſio in Præfatos Authores.

Omnes, quos hoc capite recenſui, Theologi morum integritate, & ſingulari doctrina, plus, minuſve celeberrimi fuerunt. Controverſiam peculii & exactæ communitatis data opera verſarunt. Legem exactæ communitatis & peculii damnationem non arbitrariis ratiociniis, non vanis diſtinctiunculis, aut emendicatis extrinſecus ſuffragiis, ſed luculentiſſimis Romanæ Eccleſiæ documentis Patrum, & Theologorum unanimi aſsenſione perſpicue demonſtrant. Si ſeverioris Critices leges conſulantur, quam exceptionem iiſdem opponere averſarii valent? Numquid iſti pro aris & focis pugnarunt Numquid pro crumena propria ſtylum acuerunt? Provoco adverſarios, ut vel unum Theologum Diſciplinæ Regularis zelo flagrantem & doctrina inſignem adferant, qui abſolute, ut illi, privato peculio faveat, negetque communitatis exactæ præceptum.

CAPUT IX.

Graviores Theologi, qui improbatò peculio Præceptum exactæ communitatis propugnant.

§. I.

V. Thomas a JESU.

* Inter celebriores inſignis Carmelitici Excalceatorum Ordinis eminet *V. P. Thomas a JESU* per Belgium, & Germaniam Vicarius Generalis. Integrum tomum *in folio* edidit Antuerpiæ anno 1625. quem inſcripſit *Speculum Religioſorum*.

gioſorum. Notionem exactæ communitatis deſcriptæ in Regulis Baſilii, Auguſtini, Benedicti, Franciſci, & B. Alberti, ob oculos exhibet. Ab Apoſtolis eam proficiſci oſtendit adverſus Magiſtrum *Vindiciarum*: & contra Magiſtrum *Vitæ Clauſtralis* demonſtrat communitatem tum Apoſtolicam, tum Monaſticam cujuſque peculii larvam reſpuere. Legem iſtius communitatis cujuſque peculii vacuæ Regulis Patriarcharum, Patrum ſententiis, Conciliorumque Decretis lato calamo, & valida argumentatione evincit. Et heinc infert *p.* 4. *cap.* 2. *pag.* 119. *Prælatum mortaliter peccare, qui non curat, ut communis vitæ ratio in Monaſterio ſervetur. Idem eſto de eo, qui communem vitam jam laxatam, quantum in ſe eſt, ad priſtinam obſervantiam non conatur reducere: quin etiam ipſi ſubditi, qui Prælatis Vitam communem inſtaurare volentibus contradicunt, eadem culpa mulctantur. Ita expreſſe docuerunt D. Antonius, Sylveſter &c.*

Primo, quia contrariantur ipſo facto Decretis Concil. & Patrum, a quibus vitæ hujus obſervantia diſtricte præcipitur, maxime vero a Sacroſancta Trident. Synodo cap. 2. . . . *Hinc liquido patet, tam non inſtaurantes collapſam, quam ſtantem labi permittentes graviter delinquere.*

Secundo, quia ubi communis vita non obſervatur, Monachi variis animæ ſuæ periculis circa tranſgreſſionem Voti paupertatis exponuntur.

Tertio, quia communis VITÆ obſervantiam Prælati in re gravi negligentes contraveniunt juſtitiæ legali, qua ex ſuo officio tenentur bono communi conſulere. Inſuper diſpenſatione ſibi commiſſa abutuntur, & peccant contra fidelitatem, & ſæpe contra juſtitiam diſtributivam. Ideo etiam illos ſubditos graviter peccare dixi, quia nolunt reformationi vitæ communis acquieſcere, nempe propter grave damnum emergens ex eorum contradictione.

Magiſter *Vindiciarum pag.* 219. fatetur, V. Thomam a Jesu, Lezanam, Maſtrium communitatis exactæ legem aſſerere, & peculio bellum indicere. Subdit tamen: *Si recta lance librentur, profecto acu tangetur, eos nullimode nobis adverſari*. Cur ita? Quia neceſſitate urgente licitam peculii conceſſionem aſſerunt *contra oppoſitorem*. Ubinam oppoſitor negat licere peculium, neceſſitate vera premente? Perpetuo a quæſtionis ſcopo aberrat R. Magiſter. Facta hypotheſi veræ neceſſitatis, nemo ſana præditus mente peculium negat, cum naturæ lex tum prævaleat. At V. Thomas a Jesu, & Theologi graviores omnes, & inter ipſos benigniores Probabiliſtas celebriores, peccare tum Prælatos, tum ſubditos mortaliter docent, quod no-

lint auferre hanc habendi peculii neceſſitatem: quod Conventuum, qui reapſe redditibus congruis abundant, paucis ſaltem exceptis, paupertatem ementiantur: Atque adeo voluntaria & criminis plena eſt reſpectu ſaltem majoris partis hæc jactata neceſſitas.

§. I I.

Joannes Baptiſta Lezana

In ſumma Regular. *Qq. cap. 6. num. 7. Tam noſtri quam, alii quicumque Religioſi tenentur ad vitam communem obſervandam, eo quod licet ea ſimpliciter non ſit neceſſaria pro obſervantia voti paupertatis; nihilominus ab Eccleſia inducta eſt ob ſecurum, & facilem modum obſervandi dictum paupertatis votum:* item cap. 18. n. 14. *Prælati, qui quantum poſſunt, non curant ſuos ſubditos vivere vita communi abſque PECULIO, aut proprio, & ſuperfluos uſus vitare, non ſunt in bono ſtatu conſcientiæ. Ratio eſt, quia votum paupertatis id requirit, ſummique Pontifices, & Concilia id præcipiunt.*

§. I I I.

Gabriel a Sancto Vincentio

De Juſtitia & Jure *Diſp. 3. q. 10. n. 132. Superior peccat graviter non providendo ſubditis de neceſſariis, tum quia præbet occaſionem relaxationis dando occaſionem introducendi peculium, tum quia privat ſubditos jure, quod habent ad bona Monaſterii.*

§. I V.

Joannes Siri O. P.

In ſuo Antonino Redivivo *tit. 16. n. 21. Subditus non excuſatur, niſi ex impoſſibilitate ſibi non provideatur, cum alias ſub MORTALI, ſi non ex voto, quod dumtaxat cum dominio pugnet, ex jure Canonico obligetur vita communi vivere.. Eſto namque paupertatis votum obſervari ſimpliciter queat abſque*

abſque tali communi vita; tamen Eccleſia Spiritu Sancto edocta, proſpiciens difficultatem obſervandi prædictum paupertatis votum, hunc ſpecialem vivendi modum præſcripſit.

§. V.

Innocentius Pencini O. P.

Inter alia opera, quæ publici juris fecit Pencini Sac. Theologiæ Magiſter, ac in Patavina Univerſitate Metaphyſicæ Profeſſor, non minus morum integritate, quam doctrina celebris, librum edidit inſcriptum de *electione Canonica* anno 1664. Duobus integris Capitulis valde prolixis, nempe XI. & XII. a pag. 59. uſque ad 90. paupertatis votum exponit lingua vernacula. Pauca iſthuc traſcribam.

Pag. 80. „ Per mantenimento adunque della povertà votata a Dio è „ ſtata ſempre inculcata la vita comune *lontana dal maneggio del danaro* „ *ne' particolari*, poichè è ben notorio, che difficilmente può oſſervarſi ſe „ ogni un fa il borſario ec. A queſto hanno ſempre applicato i noſtri „ maggiori, e proibito in molti Capitoli Generali il tener denaro fuori „ del depoſito comune del Convento ec.

„ Ma perchè da ſimile depoſiti con relazione a' Religioſi particolari può „ facilmente denigrarſi lo ſplendore della povertà, ha il Sacro Concilio „ di Trento, e ſeco hanno i Sommi Pontefici *omninamente proibiti particolari depoſiti*, volendo che il tutto ſia *incorporato*, *e confuſo* col depoſito del Monaſterio.

In hypotheſi, qua Conventus non porrigat neceſſaria, depoſitum permittit, ſubdens tamen: „ Siano di più avvertiti i Religioſi, che ſebbene *hic*, „ *& nunc* la durezza de' tempi fa che ſi viva fuori della preſcritta norma di „ vita comune con lo ſproprio aſſoluto d'ogni danaro; ad ogni modo eſſendo „ ſempre *in viridi* ciò, che hanno decretato, e comandato i Sommi Pontefici, e conſentaneo, e conducentiſſimo alla povertà, non può chi ſi „ ſia Religioſo aſſicurarſi in coſcienza *ſenza reato di peccato mortale graviſſimo continuato*, ſe non ha fermo propoſito *in præparatione animi* di ubbidire alle predette inibizioni Pontificie, *quoties* il Cielo apriſſe la ſtrada di ricever dal Monaſterio le coſe neceſſarie alla vita comune. I Som-

„ mi Pontefici hanno premuto in queſta vita comune, in queſta eſatta „ povertà. Per non condannarci tutti, dichiamo eſſere *hic*, & *nunc* eſcuſati; ma non ſi può avere tale ſcampo, quando s'offeriſca l'occaſione, „ e l'opportunità di ciò eſeguire. „

Docet ex communi Theologorum ſententia omnem adhibere Prælatos ſollicitudinem debere, ut exactam communitatem invehant, & ſubditos ſub damnationis pœna aſtrictos eſſe huic communitati ſuſcipiendæ. Quid heinc ſequatur, nemo non videt.

§. VI.

Joanne de Paige

In ſuo capitulo inſerto Bibliothecæ Præmonſtratenſi lib. 5. pag. 1019. *Reverendus Dominus Abbas Religioſos ſuos ad Vitam communem reducat, revocetque .... Et ne quis ſibi in hoc blandiatur, & Superiorum obtrudat licentiam, audiat* Innoc. III. in cap. cum ad Monaſt. *Nec aſtimet Abbas, quod ſuper habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare. Et Concilium Tridentinum ſeſſ.* 25. *in Decret. de Regular. &c. Quo fit, ut ſint in malo ſtatu, labanturque turpiter tam Prælati, quam ſubditi Religioſi, per quos ſtat, quo minus omnes in Monaſterio vitam communem ducant.*

§. VII.

Philippus a Domina noſtra ſeptem Dolorum Auguſtinianus Diſcalceatus

In ſuo ſpeculo Monaſtico *part.* 2. *cap.* 5. *n.* 7. „ Tenentur nec ſolum habere proprium, aut ſervare paupertatem, ſed & ſpecialiter vivere vita „ communi in victu, veſtitu, & lectis a Superioribus diſtribuendis, inſpectis ætatibus, & neceſſitatibus ſingulorum; quia ſine tali vita communi, etiamſi poſſit obſervari votum paupertatis, tamen Eccleſia a Spiritu „ Sancto edocta, videns quod ſine prædicta Vita communi difficillime poteſt „ obſervari hæc Religioſa paupertas, hanc omnibus Religionibus obſervandam præſcripſit Concilium Tridentinum.

„ Num.

„ Num. 8. *In Conventibus vero, in quibus vita communis non viget vel „ propter impotentiam, vel Superiorum nequitiam, qui nolunt dare neceſſaria „ ad vitam, licet prædicti vitam communem non obſervantes in magno ſuæ „ ſalutis periculo verſentur, & fere quotidie Votum paupertatis tranſgrediantur, excuſari tamen poſſunt a peccato proprietatis, poſito, quod aliter commode vivere non poſſint, & ſint parati ad recipiendam hanc vitam communem, ſi a Prælatis inſtituatur; quia cum vita communis obliget omnes „ ſub mortali, ſi conſtaret de ſufficienti Prælatorum providentia, nulla eſſet „ ratio excuſationis.* ET EST COMMUNIS THEOLOGORUM SENTENTIA.

§. VIII.

Chriſtianus Lupus.

Longum de exacta rerum communitate ſermonem habet *Tom. 5. Venet. edit. ad Canon. VI. Concil. Tholoſan. a pag.* 25. Præceptum communis Vitæ, cui obnoxii ſunt Clauſtrales, communi Patrum conſenſu, & potiſſimum Regulis Baſilii, & Auguſtini evincit.

Tom. 12. ejuſdem edition. pag. 35. allato Auguſtinianæ Regulæ textu: *Non dicatis aliquid proprium, ſed ſint vobis omnia communia, & diſtribuatur unicuique veſtrum victus & tegumentum &c. Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum &c.* hoc pacto arguit Lupus.

„ Hic eſt cardo, in quo vertitur, ac pendet tota Regula, totaque Mona„ ſtica Auguſtini diſciplina: *Obſervatam voluit Vitam Apoſtolorum*, qui uti„ que tamquam orbis Magiſtri quam optime norant quomodo natura ratio„ nalis a lapſu in multa eſſet revocanda ad unum.

„ Auguſtinus ergo Diſciplinæ ſuæ baſim, columnam, & firmamentum „ eſſe voluit non bardocucullum, aut ſaccum pannoſum, non nudos pe„ des, non vitam doliarem, *ſed perfectam unitatem, & communitatem, in qua „ nihil omnino eſſet proprii frigidi iſtius ac ad multa propellentis verbis. Vo„ luit commune eſſe non ſolummodo Monaſterii cœlum, ac ſolum, neque ſolummo„ do cœnaculum, & tectum, ſed etiam communem victum, communem habi„ tum, communem Nummum, præciſis omnibus ſtrumis, & varris:* Ex hac „ perfecta rerum adjacentium unitate ſibi non vane ſpondens perfectam ani-

„ morum

„ morum unitatem in Deo, ac vagantis per multa amoris in unum collectionem ...... Hinc ergo dicit S. Poſſidius: *Factus Presbyter Monaſterium intra Eccleſiam mox inſtituit, & cum Dei ſervis cœpit vivere ſecundum modum, & Regulam ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam : maxime, ut nemo quidquam proprium in illa ſocietate haberet, ſed eſſent eis omnia communia, & diſtribueretur unicuique, ſicut opus erat.* „ Particula iſta *Maxime* importat habitudinem fundamenti. Hinc dicit Auctor iſte incognitus de S. Fulgentio. *Dicebat frequenter, nec debere, nec poſſe Monachum judicari, cui voluntas habere Privatum PECULIUM perſuaſerit* ... „ Hinc idem „ ille Fulgentius in ſuo Ruſpenſi Eremitico Monaſterio *Diſciplinæ Cœnobialis Ordinem cuſtodivit illæſum NEMINI DANS LICENTIAM profeſſionis Sanctæ Regulam præterire. Sed principaliter hoc obſervandum Monachis tradens, ut nullus eorum quidquam ſibi proprium vindicaret, ſed eſſent omnibus omnia communia.* Hoc erat punctum principale &c.

„ *Quare* (concludit Lupus) *conſtanter dico Syntheſes, vitales cenſus, aliaſque id genus vitæ communis ſtrumas Auguſtini inſtituto hoſtiliter repugnare.* „ Si plura cupis, legeſis eumdem locis citatis.

Quid ad hæc Magiſter *Vitæ Clauſtralis?* Reponit pag. 333. *Lupum ſeveriſſimum in hac re fuiſſe Ariſtarchum, neminem fugere.* Rigoriſta ergo apud R. Magiſtrum audit Lupus *in hac re?* Dum *Probabiliſmo* favere videtur, quid audiet? Quid audiet Auguſtinus, qui, ut ſuo loco vidimus, clariore ſermone hanc exactam victus, & veſtitus communitatem non in pecunia, ſed in ſpecie præcipit? Sed quid in authorem iſtius rei innocentem ſævio?

§. IX.

Ludovicus Thomaſſinus.

Magiſter *Vitæ Clauſtralis* pag. 205. & alibi, veritus minime eſt, ut alibi adnotavimus, Clariſſimo Thomaſſino enormem impingere dicam, quod tantus vir ſomniaverit, permiſſum fuiſſe in Apoſtolico Collegio peculium. Et ut tantam eidem affingat impoſturam, nonnulla verba ex *p.* 111. *Eccleſ. Diſcip. lib.* 1. *cap.* 1. *n.* 4. decerpta, in erroneum plane ſenſum detorquet. Sed audiat *Clauſtralis noſter* quid Thomaſſinus de communis vitæ obligatione ſcribat *Tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 21. *pag.* 692. ubi fuſe rem hanc verſat.

Primum

Primum Regulas Auguſtini, & Benedicti: poſt Concilia Generalia Lateranenſia, & alia plura Provincialia, & Joannis Gerſonis Tractatum adverſus vitium *Peculii & vitæ communis* tranſgreſſores fuſo ſermone in medium promit. Deinde accedit ad Concilium Tridentinum his verbis:

„ Num. X. Jam vero Concilium Tridentinum, cum vetuiſſet, ne Regu-
„ lares bona ulla poſſiderent, ſive mobilia, ſive immobilia etiam nomine
„ Conventus: *pronuntiat denique non poſſe illis a Superioribus permitti nec*
„ *uſum, nec adminiſtrationem, nec commendam ullius boni ſtabilis:* Admini-
„ ſtratores bonorum Monaſterii omnium ad beneplacitum revocabiles ſem-
„ per eſſe debere „ .

„ Concilium Cameracenſe anni 1565. cum caviſſet, ne Monachis daretur
„ quidquam pecuniæ ad veſtem, cibumque: mandavit Superioribus &c. „

Recenſet in hunc eumdem finem alia Concilia, Mediolanenſe, Meclinienſe, Rotomagenſe, Burdigalenſe: deinde hæc ſubdit:

„ Num. XI. Viſum eſt Navarro caput *Monachi de ſtat. Monach.* conce-
„ dere peculium Regularibus cum licentia Superiorum. Viſum eſt etiam
„ illi nihil ei capiti derogatum eſſe a Concilio Tridentino, vel juri com-
„ muni. *Sed re ſerio penſata, capite Monachi non conceditur peculium, niſi*
„ *iis, qui adminiſtrationes gerunt*, ubi ad expenſas, & utilitates communes
„ Monaſterii ita neceſſum eſt: Tunc vero peculium jam non eſt, ſeu bo-
„ num proprium, & peculiare. Congregatio quoque ipſa Concilii hoc re-
„ jecit peculium, *& Navarri ſententiam exſibilavit poſt Concilium Triden-*
„ *tinum*. Habuit tamen illa poſtea ſequaces & approbatores peculii Mo-
„ nachorum cum Superiorum licentia. *Prolixe* Fagnanus *eam pertractavit*
„ *quæſtionem, & adverſus molles ignavoſque hos Canoniſtas demonſtravit,*
„ *nihil eſſe in jure communi, & Decretalibus, quod eis ſuffragetur: refraga-*
„ *ri autem vehementiſſime Concilium Tridentinum*. „ Sit ne, Thomaſſino

judice, inter *molles ignavoſque* Caſuiſtas collocandus Author *Vitæ Clauſtralis*, ipſe viderit. Plurima ibidem adjicit Thomaſſinus ex Clemente VIII. ex Sac. Congreg. quæ brevitatis gratia prætereo. Et R. Magiſtrum noſtrum *Clauſtralis Vitæ* non puduit Thomaſſinum allegare in favorem peculii in ipſo Collegio Apoſtolico ſerpentis?

Digitized by Google

CAPUT X.

Celeberrimi Canoniſtæ, qui poſt Concilium Tridentinum Monaſtico Peculio improbato exactæ communitatis obſervantiam propugnant.

§. I.

Proſper Fagnanus.

CAnoniſtarum ſæculi decimi ſeptimi facile Principem ſi dixeris *Proſperum Fagnanum*, a veritate non aberrabis. Inſignem iſtius ſæculi Canonici juris Profeſſorem ipſum appellat *Joannes Dovjat Gallus lib. 5. cap. 9.* cujus ingenii perſpicaciam, eruditionemque inter cœcitatis incommoda extollit. Abſolutiſſima, inquit, in quinque libros Decretalium commentaria emiſit ſub annum 1660. in quibus erudite ac ſubtiliter jus commune Canonicum exponit.

Tanti Viri ſapientiæ, probitatis rerumque gerendarum dexteritatis ſpecimen habere ſi cupis, paucis dabo. Illum anno ſecundo ætatis ſuæ ſupra vigeſimum Pontifex Summus Paulus V. Sacræ Tridentini Concilii Congregationi loco Franciſci ejus Patrui a Secretis ſuffecit. Cæteri Pontifices ejuſdem vigilantia, doctrina, morum integritate, cæteriſque animi dotibus ſpectatis, eumdem in Congregationibus Epiſcoporum, & Reformationis Regularium occuparunt. Vitam produxit ad annum uſque nonageſimum tertium, quo denatus eſt. Unum ſupra ſeptuaginta a Secretis fuit in præfatis Congregationibus ſeptem Pontificibus Summis: nimirum Paulo V. Urbano VIII. Innocentio X. Alexandro VII. Clementi IX. Clementi X. & Innocentio XI. Sola cœcitatis infirmitas obfuit, quominus S. R. E. Cardinalis renunciatus fuerit.

Hæc pauca eo dicta pertinent, ut heinc colligas, quo in pretio Canoniſtæ iſtius habenda authoritas ſit. Congregatio Concilii Tridentini ad reſolvendas, quæ ſuper Canonum, Decretorumque ejuſdem Concilii intelligentia quæſtiones occurrere queunt, inſtituta a Romana Sede eſt, cæteris omnibus facultate interpretandi Concilium iſtud ſublata. Quis itaque melius, quis *Fagnano* ſincerius exhibere nobis germanam Tridentinarum Sanctionum inter-

Digitized by Google

interpretationem poteſt, ſi a Secretis 71. annos fuit illius Purpuratorum Collegio, quod eſt legitimus ejuſdem Concilii interpres?

Probabiliſmum acerrime confutavit Fagnanus, iccirco Antiprobabiliſtis gratus, invitus Probabiliſtis, qui *Rigoriſmi* eum inſimularunt.

Non minoris pectoris fortitudine peculium Monaſticum infectatus eſt *in 2. p. 3. lib. Decr. cap. Monach.* Primus omnium poſt Tridentinum peculii Monaſtici quæſtionem a ſuis repetiit principiis. Adverſari tum veteri, tum novo juri evidenter demonſtrat. Navarri aberrationes caſtigat, Caſuiſtarum molliorum laxitates repellit, ut animadvertit Cl. Thomaſſinus. Graviſſimæ exactæ communitatis legi aſtrictos Clauſtrales omnes tanta argumentorum copia evincit, ut ſoli Sophyſtæ pecuniarum amore capti repugnare audeant.

§. II.

Animadverſio in Magiſtrum Vitæ Clauſtralis.

Fagnanus mollioris ethices cultoribus *Rigoriſta* inaudit, quod Probabiliſmum ab Alexandro VII. & Innocentio XI. mortaliter ſauciatum acriter exagitaverit. Quibuſdam Clauſtralibus *Rigoriſta* Fagnanus eſt, quod *peculium Monaſticum* ſolemni paupertatis Voto, Juri Canonico tum veteri, tum recenti omnino contrarium luculentiſſime demonſtraverit, ignavis, laxioribuſque Canoniſtis, & Moraliſtis penitus devictis. Illud eſt iſtius ſæculi dominans genium, ut quæ carnalibus appetitionibus non ſavent Rigoriſmi prætextu rejiciantur.

Magiſter *vitæ Clauſtralis 2. p. Diſſert. 4. pag.* 353. hæc ſcribit. „ Gerſonem, FAGNANUM, LUPUM *ſeveriſſimos* in hac re fuiſſe *Ariſtarchos* „ neminem fugit .... Reliquos vero *Vaſquezium* nimirum, Tamburinum, „ Bartholomæus a S. Fauſto, Antonium a Spiritu Sancto, Laymanum, & „ tandem bona venia Caramuelem, cujus ſunt, habeat, per me licet. Si ex „ Theologorum auctoritate, & teſtimonio cauſam ſuam orare vult Daniel, „ alios quærat, alios in medium afferat. „ Quis non miretur novi iſtius Magiſtri auſum dixerim, an inſcitiam? Fagnanum Romanæ Eccleſiæ Prælatum, cujus doctrina, opera, & ſtudio ſeptem Pontifices Summi uſi ſunt, ut *ſeveriſſimum Ariſtarchum* contemnendum, rejiciendumque exhibet? An non videt laurea-

tus, aut proxime laureandus in Theologia Magiſter, quod per latus Fagnani ipſos Summos Pontifices impetit, eoſque imprudentiæ poſtulat, quod *ſeveriſſimum Ariſtarchum* in graviſſimis Eccleſiæ negotiis tranſigendis ſeptuaginta annorum intervallo adhibuerint? Putatne hanc ſuam inſolentem cenſuram nullas daturam pœnas? Rigidiſſimi Ariſtarchi illi ſunt *Gerſonius*, *Fagnanus*, *Lupus*? Rigidiſſimi Ariſtarchi illi ſunt Vaſquezius, Tamburinus, Laymanus, Caramuel, Caſtropalaus, cæterique omnes, qui lateri ſuo crumenam avellunt? Alios expoſcit Theologos? Quos quæſo? Dianam, Eſcobar, Bizzozer, la Cruz? Verum nec iſti, hiſque ſimiles, erroribus illius ſuffragantur. Quos ergo? S. Apoſtolos, Patriarchas Baſilium, Auguſtinum, Benedictum, Dominicum, Franciſcum, Cajetanum, Ignatium? Hi ſunt benigni Theologi, quos marſupium, cenſus vitalitios, chochlearia argentea, arculas argenteas, pecunias in ludis exponendas liberaliſſime Mendicantibus Clauſtralibus impertiri propugnat novus hic *Clauſtralis vitæ* Aſſertor. Nec nos refellere, nec lectores perferre ineptias, & ſomnia hæc convenit: iccirco ſilentio contemnenda.

§. III.

Eminentiſſimus Cardinalis Petra.

Neque hic doctiſſimus Purpuratus teli *Clauſtralis* noſtri ictum evaſit. Peculium non repugnare Tridentino Concilio illum declaraſſe in proemio Conſtitutionis Clementis XII. contendebat *vitæ Clauſtralis Magiſter*. Quam accuſationem injuria ſumma tanto Cardinali impactam ſupra exploſi. Palam ibidem feci, Cardinalem Petra doctrinam Fagnani, ſubſtantia ſpectata, propugnare, peculium Monaſticum ab Eccleſia vetitum, damnatumque oſtendere. Quare ne acta reagam paucis indicare ſufficiat Eminentiſſimum Petram, *Tom. 4. in Commentariis in Conſtitutionem V.* Benedicti XII. *ſect.* 2. docte, eruditeque peculii cauſam verſare. Canoniſtarum, & Theologorum ſententias ſub criticum inducit examen, Temeritatem Dianæ, aliorumque Moraliſtarum, qui nauci faciunt Purpuratorum Collegii Concilii Tridentini Interpretis declarationes, jure vellicat, & compeſcit. Peculium denique vetitum ab Eccleſia potiſſimum a Concilio Tridentino Regularibus evidentiſſime palam facit. Quid, urgente neceſſitate, quum Cœnobium victum,

rictum, veſtitumque neceſſarium non ſuppeditat, agendum ſit, prudenti moderatione explicat.

§. IV.

Zegerus Bernardus Vaneſpen.

Præ cæteris Canoniſtis peculii Monaſtici cauſam diſcuſſit Vaneſpenius. Litterarium ſuper hac controverſia certamen ſuſtinuit cum duobus Auguſtinianis Lovanienſibus *Clenaerts* & *Winants*, quos propriis ipſorum legibus & Conſtitutionibus proſtravit. Sophiſmata omnia *Peculiariſtarum* convellit, & peculium Monaſticum omni argumentorum genere vitio proprietatis infectum perſpicue oſtendit, nulla ſuffragante Prælatorum poteſtate, iiſdem, ad hoc quod attinet, ab Eccleſia adempta, neceſſitatis caſu excepto.

Celebris iſtius Canoniſtæ vix ac ne vix quidem meminit Magiſter *vitæ Clauſtralis*, prout colligere potui. Illum ut *rigidiſſimum* Ariſtarchum reſpuit Magiſter *Vindex*.

§. V.

Anacletus Reiffenſtuel.

Tom. 3. *lib.* 3. *titul.* 35. *de ſtatu Monachorum* §. 1. ℟. III. „ Nullus Religioſus (niſi ſit officialis, aut adminiſtrator bonorum Monaſterii pro utilitate ejuſdem) etiam de licentia Superioris poteſt habere peculium immobile, ſeu adminiſtrationem bonorum immobilium, nec annuos reddi„tus, ſeu proviſiones annuas, etiamſi non ſint ſuperflui, & revocabiliter „ concedantur expendendi interim in uſus honeſtos, & licitos pro utilitate „ vel neceſſitate v. g. ipſius Religioſi. *Ita latiſſime, ac ſolidiſſime Fa„ gnanus*, Hoſtienſis, Joannes Andreas, Ancharanus, Felinus, & plures citati „ a Fagnano &c.

„ Probatur Concluſio ulterius ex Concilio Trident. *ſeſſ.* 25. *de Regul.* „ *cap.* 2. ubi pro Concluſione ſtatuitur. *Non liceat deinceps &c.* Ex quibus „ verbis plane evidenter apparet, quod etiam de licentia Superioris nul„ lus, præter officiales, bonorum immobilium adminiſtrationem, vel uſum

„ fructum eorum habere poſſit ... idem eſt de redditibus, & proviſionibus „ annuis, eo quod redditus annui inter immobilia cenſeantur a jure, ut dicſ- „ tur Clem. 1. §. eumque annui de v. s.

„ Nec dicas cum Navarro & aliis per Concilium Tridentinum tantum „ prohiberi, ne Superiores *peculium late ſumptum* aliis præter officiales „ concedant ſine cauſa rationabili, vel ad uſus profanos aut illicitos, aut „ irrevocabiliter: non item prohiberi, quod eiſdem concedant ex cauſa „ rationabili ad uſus licitos pro veris neceſſitatibus ipſius Regularis. Nam „ contra eſt: tum quia Concilium indiſtincte loquitur, conſequenter indi- „ ſtincte intelligi debet, cum *ubi jus non diſtinguit, nec nos diſtinguere debeamus*, per vulgaria: tum quia gratis tantum & abſque ullo fundamen- „ to ad proprium ſenſum interpretari videntur adverſarii textum Concilii. „ Nec enim valet quod Navarrus adducit, videlicet, ut Concilium Tri- „ dentinum concordetur cum Concilio Lateranenſi relato cit. cap. 2. quia „ uti ex num. 5. & ad longum demonſtrat Fagnanus, Concilium Lateranen- „ ſe .... non id quod adverſarii, ſed quod noſtra Concluſio dicit, aſſerit: „ tum quia ex hac interpretatione ſequeretur, quod officiales poſſent bona „ Monaſterii ad uſus ſuperfluos vel illicitos applicare, cum Concilium l. c. offi- „ cialibus concedat quod cæteris negat: ergo ſi cæteris ſolum negat admi- „ niſtrationem bonorum ad uſus illicitos aut ſuperfluos, hanc officialibus con- „ cedit: nam exceptio firmat Regulam in aliis.

„ Tum etiam quia contrarium noviſſime ſtatutum habetur a Clemente „ VIII. &c. & ab Urbano VIII. in ſua Conſtitutione 28. &c.

„ Probatur denique pluribus Declarationibus Cardinalium S. Concilii Inter- „ pretum editis contra adverſarios pro noſtra Concluſione, quas vide apud „ Fagnanum Donatum, Quaranta. V. Caſus reſervatus.

§. VI.

Animadverſio in Magiſtros Vitæ Clauſtralis, & Vindiciarum. *Eorum errores ab omnibus tum Theologis tum Canoniſtis improbantur.*

I. Ultimo loco *Anacletum Reiffenſtuel* modernum Canoniſtam allegavi. Hic benigniſſimus eſt Probabiliſta. RR. Magiſtri adverſarii rejiciunt Fagnanum, Vaneſpenium, Lupum, cæteroſque graviores Theologos, ut *rigidiſſimos Ariſtarchos*. Cedo. Quo in loco reponent hunc ultimum Canoniſtam?

ſtam? Si inter *laxones*, ut verbo utar Magiſtri *Vitæ Clauſtralis*: ergo tum ſeveri, tum laxi, cenſus vitalitios labe proprietatis aſperſos improbant, damnantque. Qua quæſo diſtinctiuncula eludent iſtius ultimi Canoniſtæ auctoritatem? Hic tametſi ad benignitatem propenſus, ut ex illius Morali Theologia compertum eſt, Doctrinam Fagnani, Felini, Joannis Andreæ, Vaneſpenii, Lupi, aliorumque ambabus ulnis ſuſcipit, eamque defendit. Alios Recentiores Canoniſtas referre poſſem, quos brevitatis gratia prætereo. An reponent, alios Canoniſtas recentiores oppoſitum docere. Vel unum alicujus nominis, non librarium, non collectorem, ſed qui data opera Decreta Tridentina & Summorum Pontificum Conſtitutiones expendat, deſignent. Ex omnibus, quos luſtrare potui, nec unum invenire licuit, qui ex profeſſo rem diſcutiat, quique peculium abſolute licitum defendat. Barboſa, qui, ut legenti conſtabit, alter *Diana* eſt in re Canonica, quorumdam Caſuiſtarum, & Canoniſtarum opiniones ſtringit in faſcem nullo adjecto examine. Navarrus, & cæteri ejuſdem exſcriptores & proletarii, ex cauſa gravi permitti poſſe peculium docent.

II. Ex iis, quæ hactenus dicta ſunt, neceſſario duo conſequuntur. Primum Theologos ſive Probabiliſtas ſive Antiprobabiliſtas communi conſenſu peculium Monaſticum abſolute improbare, tamquam voto, & Eccleſiæ Conſtitutionibus adverſum, & ſeveriſſima lege vetitum. Alterum errores adverſariorum omnium Catholicorum ſenſu diris devoveri. Quippe nemo unus Theologorum, quem ego viderim, auſus adhuc eſt eo uſque delirare, ut Apoſtolici Collegii alumnos privata habuiſſe peculia aſſeruerit. Nemo unus ſomniavit nullum abſolute latum ab Eccleſia præceptum in favorem communitatis, & adverſus peculium. Ad ſummum peculii uſum propugnarunt in ſola hypotheſi, quod Conventus non porrigat neceſſaria ad victum, & veſtitum. Ergo errores utriuſque Magiſtri *Clauſtralis* & *Vindicis* communi Catholicorum doctrinæ adverſantur.

§. VII.

Sancta Maria Magdalena de Pazzis.

Poſtquam recenſionem Theologorum tum antiquorum tum recentiorum dedi, conſentaneum duxi ſanctas quoque Virgines in tantæ veritatis teſtimonium, præſidiumque advocare. Ex plurimis duas ſeligo auctoritate ſummas.

Digitized by Google

mas. Prima ſit S. Maria Magdalena de Pazzis, quæ ex Divina revelatione, ut ejus Acta produnt, ingentem animarum multitudinem in infernum deſcendere ob violatam paupertatem cognovit, ſcriptumque reliquit. O Sorelle! *Io non intendo, perchè i Religioſi poſſano con buona coſcienza aver entrate particolari. O Gesù mio fatemi patire ogni pena, perchè tante Spoſe a voi conſacrate ſi diſpongano alla oſſervanza del viver comune.* Quæ ſic latine verto. *Heu Sorores! Percipere ego haud valeo, qui fieri poſſit, ut, conſcientia ſalva, Regulares redditus habeant peculiares. Heu mi JESU, fac, ut pœnam quamlibet perferam, quo tot ſponſæ tibi conſecratæ ſe ſe ad communis vitæ obſervantiam diſponant.*

§. VIII.

Sancta Mater Thereſia ex Religioſorum relaxatione graviſſima in Dei Eccleſiam mala, & flagella derivari aſſerit.

Hæc Seraphica Virgo, quam merito ſui ſexus prodigium appellare poſſumus, quod non mulierum modo, ſed etiam virorum Monaſteria ad priſtinam revocaverit Diſciplinam, plurimaque de Clauſtralium reformatione ſcripſerit. Mirum haud eſſe, illa docet, ſi tot in Dei populo mala, & ſcelera aſpiciamus, cum illi, qui ſunt in virtutis, & ſanctitatis exemplar electi, tam longe vivunt a paupertatis, & Sanctitatis ſpiritu. Quæ hæc Cœleſtis Heroina hoc de argumento ſcripſit, longiore didicit experientia. Pauca iſthuc tranſcribo ex his, quæ habentur *Actorum* ſuorum *cap. VII.* italice ſcripta, quæque latine verto fide integra.

Monaſterium mulierum relaxate viventium ſcopulus potius eſt infernalis naufragii, eis maxime, quæ ad malum pronæ ſunt, quam earumdem defectuum, ac delictorum remedium. Hoc de meo accipias nolim. De aliis ſermonem habeo, quæ novi, & vidi, quorumve infelicem deploro ſortem. Ut enim portum teneant ſalutis, non unam vocationis gratiam, ſed gratiarum plenitudinem, non ſemel, ſed frequentius elargiatur illis Deus oportet. Adeo ſiquidem invaluerunt abuſus, eoque mundani honoris, ac profanarum appetitus vanitatum proceſſit, ut vix, ac ne vix quidem Monaſtici ſtatus veſtigium appareat. Et ſaxit Deus, ne peccatum ipſum virtutis loco habeatur, ut mihi ſæpius evenit. Hocce autem verum eſſe, ut illis ſuadeamus, illudque percipiant adeo difficile eſt, ut Divinæ Omnipotentiæ dextera opus ſit. Meis conſiliis acquieſcere ſi vellent genitores, hortarer

eos,

tos, quoniam nolunt iis in Monaſteriis collocare filias ſuas, in quibus via perfectionis percurritur, ſed ubi majora, quam in mundo pericula offunduntur; ut malint eas in Matrimonium dare ipſis inferioris fortunæ viris, quam ſimilibus concredere Monaſteriis; aut ſaltem domi cuſtodire. Infelicitas deploranda multarum eſt, quæ mundi pericula evadere, Deoque inſervire cogitantes, Monaſterium ingreſſæ, non unius, ſed decem ſimul mundorum laqueis circumſeptæ, & irretitæ reperiuntur. Quo autem ſe vertant, quove ſe recipiant, ignorant. Enim vero juventus, ſenſus, & dæmon provocant, urgentque ad ea, quæ mundi ſunt, amplectenda; quod videant iſtic, ceu licita, & honeſta, ut ita dicam, reputari. Quare ſimiles mihi videntur quibuſdam hæreticis, eorumque miſerrimæ ſortis participes, qui ex animi ſententia occæcant ſe ſe, atque ſuadere enituntur illud bonum eſſe, quod ipſi amplectuntur, & ita ſe credere effutiunt, quin tamen ſincere credant. Quoniam intimi ſenſus dictata, illud eſſe malum inclamant. Heu maximum malum! Heu Summum Religioſorum malum! Nec enim plus de mulieribus, quam de viris dico, qui Regulas, & Conſtitutiones ſuas non obſervant..... Porro adeo occluſa eſt regularis obſervantiæ via, ut plus ſibi cavere debeant monialis, & frater, qui ſerio vocationis ſuæ penſum Deo ſolvere velint, pluſque pertimeſcere ejuſdem Monaſterii fratres, ac ſorores, quam omnia infernalia Dæmonia. Atque majore ſagacitate, & diſſimulantia utantur fas eſt, ut de Divinis rebus, Deique amore ſermonem habere valeant, quam in colloquiis pravarum affectionum, carnaliumque amicitiarum, quas nutrit Dæmon in Monaſteriis. Quapropter omnino ignoro, cur miremur, ſi tot mala in Eccleſia Dei graſſari perſpiciamus: quoniam illi, qui ſpeculum, atque exemplar virtutum, & imitationis cæteris ſe præbere deberent, penitus fere delevere Cœleſtis perfectionis imaginem, quam Spiritus Sanctorum Patriarcharum in Religionibus depinxerat. Utinam velit Deus illud, quod neceſſarium agnoſcit, remedium apponere. Amen. Hæc ſerio perperdant Magiſter Clauſtralis, Magiſter Vindex, & Magiſter Cenſor. Num repoſituri ſunt, zelum S. Matris Thereſiæ non eſſe ſecundum ſcientiam? Omnes quippe, qui illorum peculium damnant, imprudentiæ accuſant.

DISSERTATIO QUINTA.

Quandonam Prælati Regulares in uſu peculii diſpenſare valeant. Regulæ ſervandæ a ſubditis, ne votum paupertatis violent. Cur reformatio exactæ communitatis pluribus in Cœnobiis fuerit hactenus fruſtra tentata. Quam facilis ſit ejuſdem executio, ſi præſcriptæ leges ſerventur. Quam inexcuſabiles Clauſtrales ſint hanc reformationem impedientes.

CAPUT I.

Conditiones juſtæ licitæque diſpenſationis. Prælatorum diſpenſationes, quæ hodie jactantur, nulla ſunt. Eorumdem Prælatorum Poteſtas juſtis terminis circumſcripta.

I. Diſpenſatio, omnium Theologorum, & Canoniſtarum conſenſu, eſt *Relaxatio legis legitima auctoritate facta quibuſdam perſonis in aliquo caſu, in quo lex alioquin obligaret, ex juſta cauſa*. Legis *relaxatio* legem obligantem ſupponit. Si ergo Prælati in uſu peculii diſpenſant, conſiſtit lex, ſeu præceptum, quod peculium vetat. *In aliquo caſu, & quibuſdam perſonis*. Hæ duæ ſolæ conditiones nullas evincunt Regularium Prælatorum diſpenſationes, quas hodiæ alicubi impertire ſolent. Quoniam nec *in aliquo* ſolum *caſu*, ſed *continue*, nec *cum quibuſdam*, ſed cum *omnibus* ſubditis fiunt. Porro quis negaret antiquatas leges abſtinendi a carnibus die veneris, audiendi Sacrum diebus feſtis, confitendi ſemel in anno, ſi omnes ad unum Catholici libere conſentientibus Prælatis, non in aliquo caſu, ſed continue toto vitæ decurſu carnes diebus veneris manducarent, Sacrum audire ſtato tempore & confiteri ſemel in anno negligerent? In Cœnobiis collapſæ communitatis Clauſtrales omnes indiſcriminatim peculia retinent ad mortem uſque ex diſpenſatione, ut ipſi contendunt, Prælatorum. Ergo omnium vel laxiorum Caſuiſtarum ſenten-

ſententia hæc, non diſpenſatio a lege, ſed manifeſta eſt legis prævaricatio, plenaque extinctio, & abolitio.

II. Lubet heinc alteram elicere demonſtrationem. Quamvis leges, quæ exactæ communitatis obſervantiam jubent, & peculia prohibent, mera eſſent Regularum Monachalium ſtatuta, quæ ad culpam non obligant; nihiloſecius tam ſubditi, quam Prælati in continuato peculii uſu graviter delinquerent. Communis enim eſt omnium Theologorum ſententia, mortaliter peccare & Prælatos Regulares, qui aliquam gravem Conſtitutionem, tametſi natura ſua ſub nullius culpæ reatu ſubditos obſtringentem, in deſuetudinem abire, & antiquari ſinunt: & ſubditos, qui deliberato animo eamdem violare, & in ejuſdem violatione perſeverare contendunt. Iſtorum contemptionis, illorum prævaricationis crimen eſt. Prælati Regulares in Cœnobiis deformatis omnibus indiſcriminatim ſubditis peculia permittunt, exactæque communitatis Regulam tranſgredı ſinunt. Subditi deliberato animo conſtituunt, peculium toto vitæ tempore ſe retinere velle: idque libris typis editis propugnat Author Clauſtralis. Ergo tam illi legem antiquando, quam iſti legem contemnendo continenter peccant. Cæterum hæc obiter, & per tranſennam dicta ſint.

III. Non ſemel in hoc Opere, & fuſius in Diſciplina Apoſtolico - Monaſtica juſti limites, quibus circumſcripta eſt Prælatorum Poteſtas, deſignati unt. Verum quia falſam, commentitiamque ideam iſtius Poteſtatis Clauſtrales formant, iccirco intereſt ejuſdem terminos ſæpius repetere, & præfinire. Nihil frequentius occurrit tum in Regulis Monachalibus, tum in Theologorum ſcriptis, quam ejuſmodi pronunciata: *Nihil Clauſtrales habeant, niſi Prælato conſentiente.* Tum *ſubditi in paupertatis votum peccant, cum invito, & inſcio Prælato quidquam retinent.* Ergo, inquiunt, numquam proprietatis crimen perpetratur, quando ex Prælatorum venia, & voluntate bona habentur. Maxima hic æquivocatio latet, & amphibologia, quæ ut auferatur, confinia prius definienda ſunt, quibus arctatur Prælatorum facultas. Omnium Clauſtralium bona ad Monaſterium pertinent, tamquam ad verum, & unicum Dominum. Omnes ejuſdem Monaſterii Clauſtrales dem omnino jus in hæc bona habent. Neque Prælati quidquam juris habent in eadem præ ſuis ſubditis, neque ullo pacto impedire queunt, quin tranſeant ejuſmodi bona in Cœnobii dominium, atque adeo in communem omnium Clauſtralium uſum. Primum itaque omnium cenſus vitalitii

& pecuniæ prædicatione, lectione, & quacumque via conquiſitæ in rem communem redigantur oportet. Quoniam *quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*. Hoc principium a nemine vocari in diſcrimen poteſt. Conſequitur hinc, Prælatos eſſe puros, putoſque œconomos & diſpenſatores communium bonorum, quæ diſtribuere ſubditis tenentur, prout cuique opus fuerit, quemadmodum Regulæ omnes præcipiunt. Nemo ſubditorum ex his communibus bonis quidquam accipere, aut tenere valet abſque expreſſa, vel tacita Prælati licentia. Peccant peccatum proprietatis, ſi horum aliquid communium bonorum, inſcio, aut repugnante Prælato, tenent. Ejuſdem vero conſenſu congruum victum, veſtitum, & cellæ ſupellectilem licite tenent, & Prælatus hæc omnia ſubditis miniſtrare aſtringitur. Hæc eſt tota amplitudinis Prælatorum poteſtatis ſphera, extra quam ſine culpa tranſilire nequit, aliqua graviſſima neceſſitate urgente ſublata.

IV. Perſpicue nunc patet illuſio illa craſſiſſima, qua multi decepti tenentur, ſe peculia habere ex Prælatorum venia. Poteſtas Prælati minime ſe extendit ad hæc privata peculia impertienda ſubditis. Quandoquidem, cum hæc peculia a Clauſtralibus induſtria peculiari, dono, vel labore comparata ſint Monaſterii, ad communes omnium uſus pertinent. Peccat igitur Prælatus contra votum, fidelitatem, & juſtitiam, ſi ejuſmodi bona huic, vel illi Fratri eadem acquirenti concedit, & non prout cuique opus eſt juxta leges æqui, & fidelis diſpenſatoris. Peccant & ſubditi, quia injuſte hæc peculia, quæ in communem cedere utilitatem deberent, ſibi ipſis eadem vendicant.

CAPUT II.

Quo in caſu Prælati Regulares diſpenſare cum ſubditis in uſu peculii valeant.

I. MObilia, ab immobilibus bonis diſtinguenda ſunt. Tamquam Concluſionem certam hactenus omni argumentorum genere luculentiſſime demonſtratam conſtituo, nullo pacto poſſe Prælatos concedere ſubditis facultatem retinendi cenſus vitalitios ſeu annuos redditus. Hac, qua nunquam præditi poteſtate fuerunt, inique olim abutebantur Superiores non pauci. Icirco Concilia, potiſſimum Lateranenſe, & Tridentinum, atque Summi

Summi Pontifices illos eadem deſtitutos declararunt, præcepto graviſſimo adjecto, ne impoſterum ſubditis præfata bona impertiantur. Clemens VIII. & cæteri Pontifices admonent Clauſtrales ſubditos, ne fidem Prælatis adhibeant, etiamſi ſe hanc concedendæ licentiæ habere poteſtatem aſſeverent.

II. Ne autem imperitorum aliquis exiſtimet contrariam praxim licitam eſſe, lubet aliqua indicare eorum, quæ habet Eminentiſſimus Cardinalis *Petra citat. tom. 4. ad Conſt. V. Bened. XII. ſec. 2. n. 32. & ſeqq.* 1. Novitii reſervant ſibi, antequam profeſſionem emittant, annuam præſtationem pro ſuis neceſſitatibus. 2. Parentes etiam ſæpe relinquunt titulo inſtitutionis filiis profeſſuris Religionem annuos cenſus. 3. In quibuſdam Cœnobiis mos eſt, ut Regulares pecunias ex prædicatione, ſeu lectione, aut aliunde quæſitas tribuant Monaſterio, ut emantur cenſus perpetui, quorum redditus quotannis aſſignari debeant eiſdem Clauſtralibus. 4. Alibi Cœnobia certam pecuniæ ſummam aſſignant Fratribus, ut veſtitum ſibi comparent, quin Monaſterium quidquam ultra præſtare debeat, nec ipſi accepti & expenſi rationem reddere tenentur.

„ III. Quæſitum fuit (inquit Eminentiſs. Petra) an in his & ſimilibus „ caſibus liceat Regularibus utriuſque ſexus habere prædictos annuos redditus, „ ſeu proviſiones annuas, vel bonorum ſtabilium adminiſtrationem, *ſeu peculium non ſuperfluum, nomine Conventus ac de Superiorum ſuorum licentia, & dependenter ab eorum voluntate, ac nutu, adeo ut ſint immunes a culpa, & a pœna, de qua in Decreto cap. 2. ſeſſ. 25. de Regul. Sacr. Congregat. reſpondit negative*, videlicet in nullo ex ſupradictis caſibus licere Regularibus utriuſque ſexus prædictos annuos redditus, ſeu proviſiones „ annuas, vel bonorum ſtabilium adminiſtrationem, ſeu peculium non ſuperfluum nomine Conventus, ac de Superiorum ſuorum licentia, ac dependenter „ ab eorum voluntate, ac nutu; alioquin non eſſent immunes a pœna Decreti „ Concilii. Et nuperrime cum duæ Moniales Conventus SS. Trinitatis Neapolis obtinuiſſent a Sac. Congreg. Epiſcoporum indultum, ut poſſent recipere annuam præſtationem ſcut. 200. a Parentibus ſolvi permiſſam, ita „ tamen ut Superioriſſæ, ſeu Depoſitariæ traderetur eroganda ab iis Monialibus pro earum indigentiis ſive aliis uſibus piis ſibi bene viſis; reclamantibus contra indultum reliquis Monialibus, uti læſivum vitæ communis, & Conſtitutionum Conventus ex eo quod annua præſtatio eroganda eſſet per Abbatiſſam in uſus a præfatis duabus Monialibus deſtinan-

 „ dos:

„ dos: Sacra Congregatio die 7. Aprilis 1707. reſcripſit *ſervandas eſſe omni-* „ *no Conſtitutiones, non obſtante indulto.*

IV. Objicit ſibi Eminentiſſimus Purpuratus oppoſitam conſuetudinem præcipue apud Moniales. Reſpondet, conſuetudinem derogare minime poſſe Decretis Apoſtolicis. Nec ſuffragatur, inquit, tolerantia Superiorum Regularium, qui abuſum hunc & corruptelam extirpare aſtringuntur. Tolerantia vero Papæ præſumi non poteſt *dum potius conſtat de ejus expreſſa repugnantia.*

V. Itaque certum eſt, nullo modo licitum eſſe Regularibus retinere ſub quocumque velamine proventus annuos, etiam ex licentia Prælatorum, & ad eorum nutum, etiam ad uſus non ſuperfluos, & pios, maxime ſi ejuſmodi redditus adminiſtrentur ab ipſis privatis. Quæ ſententia non modo vera eſt, ſpectato Concilio Tridentino, & Conſtitutionibus Apoſtolicis; verum etiam juxta Capitula Generalia, quæ RR. Magiſtri opponunt. Quippe præfata Capitula nonnulla permittunt ob temporum calamitatem depoſita *ad breve tempus, in parva quantitate, & pro re determinata.* Quæ ſane conditiones præſtationibus vitalitiis repugnant.

CAPUT III.

Quodnam peculium, neceſſitate urgente, Prælati permittere, & ſubditi retinere valeant. Quæ neceſſitas voluntaria & fictitia, & quænam vera. Quidquid benignitatis, & indulgentiæ permitti in hac materia valet. Laxiſſima, & erronea Vitæ Clauſtralis *doctrina.*

I. EMinentiſſimus Cardinalis *Petra loc. cit. num.* 29. hanc ſibi proponit difficultatem. Lubet ejuſdem verbis rem expedire, ne cavillari adverſarii, aut ſuſpicari lectores valeant, me quidquam affectare rigoris in cauſa iſta. His ergo verbis laudatus Purpuratus ſibi conſuetam excuſationem opponit:

„ At, inquiunt, Concilium eatenus prohibet quodcumque peculium, qua- „ tenus ſupponit Prælatos ſingulis Religioſis concedere omnia neceſſaria, „ attentis omnibus circumſtantiis officii, temporis, imbecillitatis, ætatis, „ ſeu cujuſlibet indigentiæ: ibi: *Nihil etiam, quod ſit neceſſarium eis, de-* „ *negetur.* Prælati autem, ut plurimum, quæ neceſſaria ſunt ſingulis Reli- „ gioſis non concedunt, circumſtantiis bene attentis, vel ob Conventum

„ pauper-

„ paupertatem, & indigentias, vel ob alias cauſas. Sed primo his reſpon-
„ deat Bernardus *ſerm.* 4. *de Advent.* ibi: *Videmus pauperes aliquos, qui ſi*
„ *veram haberent paupertatem, non adeo puſillanimes invenirentur &c. Sed hi*
„ *ſunt qui pauperes eſſe volunt, & tamen eo pacto, ut nihil eis deſit, &*
„ *ſic diligunt paupertatem, ut nullam inopiam patiantur.*

„ Secundo reſpondeat eadem Sac. Congregatio, quæ conſulta, V. *An Su-*
„ *periore quantumvis invito neceſſaria ſuis Regularibus denegante, vel ſub-*
„ *trahente, liceat ipſis clam, vel invito eo, illa comparare ſeu retinere?* VI.
„ *Et quatenus liceat: An itidem cum neceſſaria ideo denegantur, vel ſubtra-*
„ *huntur, quia facultates Monaſterii non ſuppetunt?* Reſpondit *Ad V. non*
„ *licere*. Ad VI. *licere, ſi præciſa neceſſitas ſit ad individui ſuſtentationem.*
„ *Cæterum COMMUNEM PENURIAM ab omnibus perpetiendam uſque*
„ *adeo, ut ſi quid privatim alicui delatum, vel ab ipſo partum fuerit, id*
„ *omne ad Superiorem recta deferri oporteat, qui ex eo primo ſuccurrat ejus*
„ *neceſſitati, cujus intuitu illud obvenerit, ſi peculiari aliqua neceſſitate ultra*
„ *communem premeretur: reliquum Conventui incorporetur, & in commune*
„ *cedat utilitatem*, ut habetur in præfatis Decretis ejuſdem Sac. Congreg.
„ in quibus apud Murgam, & Quarant. *loc. cit.* .... Præterea hæc eadem
„ luculentius comprobantur ex Decretis pro reformatione Regularium edi-
„ tis a Clemente VIII. in ejus *Conſtitutione* 21. incip. *Quæ ad proſperam*,
„ confirmatis ab Urbano VIII. in ejus *Conſtit.* 26. incip. *Sacra*, in quibus
„ pro fideliori obſervantia præfati Decreti Concilii præcipitur, ut nullus
„ ex Fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia vel *mobilia*, aut pe-
„ cuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas ſive ex Concionibus, ſive ex Le-
„ ctionibus, aut pro Miſſis &c. etiam nomine Conventus poſſidere poſ-
„ ſit &c. Nulla quorumcumque Superiorum diſpenſatio &c.

II. Hactenus Eminentiſſimus Petra, qui plura adjicit, quæ brevitatis gratia omittuntur. Si ego ipſe propugnarem ob *communem penuriam* haud licere Clauſtralibus peculium, me ut *Ariſtarchum rigidiſſimum* traducerent RR. Magiſtri. At cum ipſa *Sac. Congreg.* Concilii interpres tolerandam communem penuriam doceat potius, quam peculii quidquam habere, non credo inuſturos illos fore eidem Sacræ Congregationi, & Eminentiſſimo Petra Rigoriſmi notam.

III. Indicata S. Congregat. Decreta integra refert Stephanus Quaranta *Verb. Caſus Reſervati pag.* 157. *& ſeq.* & Proſper Fagnanus in 2. p. Dec. Monach.

Monach. ubi *num.* 15. hæc ſcribit : *Quinimmo ex ſententia Sac. Congregat. nec neceſſitas , niſi ſit Extrema , excuſat a vitio proprietatis Regularem , qui aliquid celat Superiori , aut detinet eo invito ...... Quippe præciſa hæc ſeu extrema neceſſitas , cum ſit de jure , nullis ſubeſt legibus , & ideo excuſat a Regulæ tranſgreſſione etiam FF. Minores S. Franciſci , qui arctiſſimam profitentur paupertatem &c.*

IV. Ut Adverſariorum ora penitus obſtruam , juſtoque tangantur pudore ob *Rigoriſmi* notam Authori *Diſciplinæ Monaſticæ* affictam , quidquid benignitatis, & indulgentiæ concedi hac in materia poteſt, ipſe permittere, & propugnare volo. Fagnani , Cardinalis Petra , & communem omnium Doctorum ſententiam paucis perſtringam in eorum Regularium ſolamen , qui ſincero animo paupertatis votum obſervare ſtudent.

V. Duplex neceſſitatis genus primum omnium diſtinguendum . Altera neceſſitas ficta & voluntaria , qualis ea eſt , quam communiter , & major Clauſtralium pars obtrudit, ut peculio latebram quærat. Si major Regularium pars tum Prælatorum, tum ſubditorum ſincero animo vellet exactam ſervare communitatem, pulſo privatò peculio, hæc communitas jam invecta foret, aut confeſtim inveheretur. Nam ſole meridiano clarius eſt Cœnobia, ſaltem majori ſpectato numero, redditibus abundare congruis pro exacta communitate. Innumera ſunt Monaſteria , quæ, ſi exactam ſervarent communitatem, multitudinem Religioſorum duplo majorem ea , quam nunc parce ſuſtentant, alere commodiſſime poſſent. Quia vero peculiorum ſerpit peſtis, Patrimonia Cœnobiorum peſſime adminiſtrantur. Officiales, conſtituta mercede munia obeunt, & paucis ſaginatis, atque ditatis, communis Fraternitatis olla friget. Victus tenuis, *Veſtiarium* plus juſto exiguum. Superiores potiſſimum, & qui annonæ præſident, & qui Monaſticam rem in manus habent, grave ſubirent detrimentum, ſi pulſis peculiis in communem inferioris Fraternitatis devenire ſortem deberent. Quare iſti præcipue opere, ſin voce, communitatem reſpuunt , impedimenta & prætextus captant. Si enim, ut ſepius dictum eſt, major Regularium pars non ficto, ſed ſincero animo communitatem vellet., minori reluctantium parti prævaleret, eventuſque haberetur. Hæc omnia fuſius ſupra oſtenſa ſunt. Iſtorum omnium neceſſitas ficta eſt, quia deliberata & volita, atque adeo a crimine proprietatis haudquaquam liberat.

VI. Altera neceſſitas vera & involuntaria , quæ a culpa excuſat. Hæc quoque

quoque duplex, immo triplex: extrema, gravis, & communis. *Communem penuriam* tolerandam docet Sac. Congreg. Concilii interpres, uſque adeo ut, ſi quid privatim delatum fuerit, ad Superiorem deferatur. Hinc infert Fagnanus ſolam extremam neceſſitatem a crimine proprietatis excuſare peculium invito Prælato retentum. Hæc Sacræ Congregationis Fagnani doctrina pleno in lumine collocanda. Sacra itaque Congregatio decernit licitum eſſe peculii uſum, ſi ſit preciſa neceſſitas *individui ſuſtentandi*. Ad hanc ſuſtentationem jus habent Religioſi in ipſa profeſſione ſibi reapſe ſervatum, ut toties dictum eſt. Hæc porro ſuſtentatio latitudinem habet. Ad vitam alendam pauca ſufficiunt. Plurima haud ſufficiunt ad ſuſtentationem lautam, & ſplendidam. Suſtentatio, de qua in præſens, intra limites Religioſæ paupertatis conſiſtat neceſſum eſt. Limites iſti vix deſignari queunt. Paucis tamen rem expediam. Ea alimenta, eaque ſupellex, quæ in Religione optime inſtituta, in qua exacta viget communitas, præberi ſolent, conſiderantur ut neceſſaria Clauſtralibus. Ad ejuſmodi victum, & veſtitum jus retinere Clauſtrales palam eſt.

VII. Igitur ſi hæc alimenta, & veſtiarium de communi non præbeantur, hac poſitione facta licitum peculium eſt ob præciſam ſuſtentandæ naturæ neceſſitatem. Et quia revera aliqui reperiuntur Clauſtrales, qui ſincero deſiderio invehendæ communitatis flagrant, qui libentiſſime, pulſis peculiis, vitam communem amplecti parati ſunt; idcirco iſti abſque culpa legem communitatis, ubi collapſa eſt, violant: quia neceſſitas habendi peculii involuntaria eſt, atque adeo vera, & realis. Nulla in hac materia benignior excogitari doctrina valet. Quidquid ultra addatur, laxitas eſt manifeſta.

VIII. Heinc manifeſtum eſt, quam laxa, quam erronea ſit *Vita Clauſtralis* doctrina, quæ peculii quantitatem Mendicantibus licitam extendit ad ultimas cujuſque rei honeſtæ terminos. Tantum peculii habere Cucullati Mendicantes debent, quantum ſatis ſit, non ad victum & veſtitum modo, verum etiam ad ſolatia, ad oblectamenta intra & extra Ordinem, ad munera facienda, ad eleemoſynam diſtribuendam, ad ludos, ad argenteam ſupellectilem. De hac enormi laxitate plura dicta ſunt Differt. Præliminari.

CAPUT IV.

Conditiones, quibus circumſcribitur peculii neceſſarii uſus. Regulæ ſervandæ ab illis, qui neceſſitate cogente morantur in Cœnobiis deformatis. Difficilior eſt depoſiti, quam exactæ communitatis obſervantia.

I. DEcem aſſignari conditiones ſolent pro licito peculii uſu. Præcipuas hic breviter perſtringam. 1. Quantitatem ſpectat. Votum idem omnino eſt, nullique variationi obnoxium ſive in reformatis, ſive in deformatis Cœnobiis. Religioſi, ut indicavi, jus habent, ut ea ſibi e communi Monaſterii Patrimonio præbeantur, quæ diſtribui in Religione bene inſtituta conſuetum eſt. Si Religio deſciſcit a fide data in hac præſtanda proviſione, licite poſſunt tantumdem retinere peculii, quo ea dumtaxat, & non plura ſibi comparent, quæ a Conventu præberentur, ſi exacta vigeret communitas. Verum hic eſt lapis offenſionis: hic ſcopulus, ad quem allidunt naufragiumque patiuntur Clauſtrales plurimi. Prætextu neceſſitatis victus & veſtitus, peculium retinent ad ea ſibi comparanda, quæ in nulla bene inſtituta Religione præberentur. Hæc eſt ratio cur Patres omnes & Theologi Prælatos urgent, ut omnia de communi miniſtrent, ne proprietatis occaſionem ſubditis aperiant.

II. Altera conditio eſt, ut peculium ſit pro brevi tempore. Hoc breve tempus ſtatuta Prædicatorum unius menſis intervallo illigavit. Ut benignitate abundem, ſit aliquantiſper latius, circumſtantiarum varietate ſpectata. Omnia tamen Capitula Generalia a tempore invectæ peculii corruptelæ ſemper coarctarunt peculii uſum ad *breve tempus*, ad *parvam quantitatem*. Illi ergo, qui continue peculia retinent, ex hoc ſolo capite *Proprietarii* ſunt. Qui vero theſaurizant, pecuniaſque augere ſtudent, non *Proprietarii* modo, ſed avari quoque ſunt & fures, quod res uſurpent Monaſterii.

III. Hinc melius Sac. Congregationis Concilii declarationem percipies. Cenſus vitalitii vetiti ſunt, ut dictum eſt. Communis penuria perpetienda. Individui tamen ſuſtentatio neceſſaria eſt. Idcirco ex vitalitio cenſu *actuali* neceſſitati illius, cujus intuitu cenſus obvenit Monaſterio, primum proſpiciendum eſt. Reliquum in communem omnium utilitatem cedere debet.

IV. Tertia conditio jubet, ut pecunia nunquam penes Clauſtralem privatum remaneat, ſed in communi depoſito aſſervata pro brevi illo tem-

pore

pore deſignato, a publico Cœnobii officiali expendatur. Cæteræ conditiones, nimirum, quod depoſitum ſit ad nutum Prælati revocabile, quod concedatur ad merum uſum *facti*, quod abſque licentia non diſtrahatur, ipſam primariam voti eſſentiam ſpectant.

V. Quid itaque agendum illis, qui in Deformatis reperiuntur Cœnobiis, ut votum paupertatis obſervent? Cardinalis de Turre Cremata docet, iſtos primum omnium debere Conventum exactæ communitatis quærere, atque illuc ſeſe transferre, ſi poſſint. Tract. 94. in Regulam S. Bened. *Quid ſi Abbas, aut Conventus non vult vivere in communi, immo reſiſtunt, & Monachus ſive Religioſus aliquis vellet in communi vivere? Reſpondetur, quod talis Religioſus debet laborare pro alio Conventu, in quo Regulariter vivatur, & ſi habere poſſit talem Conventum ibi permaneat. Si vero non poſſit hujuſmodi Conventum habere, in tali caſu excuſatur, ut nec habendus ſit proprietarius nec ſuæ profeſſionis tranſgreſſor, habendo de licentia ſui Prælati uſum rerum neceſſariarum cum propoſito reſignandi ad beneplacitum ſui Superioris.* Commenta, quibus hunc eludere textum conatur Magiſter *Vitæ Clauſtralis* pag. 343. adeo ſunt vana, & inepta, ut contemptione, non confutatione, ſicuti fere omnia tanti Magiſtri inventa, refelli debeant. Qui de Cardinalis Turre Cremata dubitat, legat integros Tractatus 92. 93. & 94. in Regulam S. Benedicti. Nec enim expediens judico omnia iſthuc tranſcribere. Diſpenſationem, urgente graviſſima cauſa, ſuper uſu aliquarum rerum concedit perdoctus Cardinalis: admonet tamen ſolam neceſſitatem & infirmitatem ſpectandam eſſe. *Non ſecundum honorem*, inquit, *perſonas, & munera, ſed ſecundum indigentiam. Et quia non eſt una valetudo omnium, patet quod in Conventu aliquid interdum diſtribuendum eſt uni, quod non aliis, cum hoc requirit neceſſitas, vel infirmitas.* Ex hac diſpenſatione cauſa infirmitatis conceſſa infert Clauſtralis noſter, Cardinalem peculii corruptelam propugnare.

VI. Eadem docet Bernardinus Gauslinus in ſuis Miſcellaneis ex Turre Cremata, Nyder, S. Antonino, & Joanne Excuria. Dionyſius quoque Carthuſianus de Refor. Clauſtral. *cap. 13. Si autem rurſus quis Monachorum dicat: Neceſſitas me compellit habere peculium, quoniam Abbas, aut Superior me de neceſſariis non providet .... Si quis videt ſe non poſſe eſſe ſecurum in Clauſtro, aut Ordine, quo eſt, pergere poteſt ubi vivat ſecurius: aliquo modo poteſt ſuæ providere ſaluti.* Utitur verbo *poteſt*, non ut a debito ſolvat, ſed ut

Digitized by Google

excuſationem, qua aliqui effutiunt ſe non poſſe propriæ ſaluti conſulere, amoliatur. Ratio autem, quæ evincit tranſeundum ad Conventum exactæ communitatis, videtur luculentiſſime omnibus Theologiæ principiis conſentanea. Quoniam quiſque declinare aſtringitur occaſionem proximam violandi ſive votum, ſive præceptum exactæ communitatis. In Conventu laxioris Diſciplinæ hoc præceptum non impletur. Ergo, quoad fieri poteſt, evitanda eſt ejuſmodi occaſio.

VII. Multi reapſe reperiuntur utriuſque ſexus Regulares, qui nequeunt Conventus obſervantiæ Regularis petere vel ob aliquod miniſterium, officiumque, quod exercent, vel ob naturæ imbecillitatem, vel ob alia impedimenta. Antequam enim quis cogatur pedem e proprio Conventu referre, ut aſylum quærat exactæ communitatis, plura ſpectanda, & ad prudentiæ leges exigenda.

Hanc ſententiam de tranſitu a Religione relaxata ad obſervantem fuſo, calamo demonſtravi in Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica *Diſſ. V. cap. XI.* a pag. 233. Et quamquam rationes ibidem allatæ ſint evidentes, nihiloſecius hanc ſententiam carpere ut nimis rigidam auſi ſunt Adverſarii Antiprobabiliſtæ. Quamobrem lubet hic obiter allegare, præter citatos antiquos Theologos, alios ex Recentioribus etiam Probabiliſtis, ut iſtorum ſaltem auctoritate aliquo ſenſu afficiantur *Author Clauſtralis*, *Magiſter Vindex*, & eorum Aſſeclæ. P. Franciſcus Suarez *tom.* 4. *De Relig. lib.* 3. *cap.* 9. *n.* 19. hæc ſcribit. *Tertio modo contingit Regulam non ſervari ex abuſu, & prava conſuetudine, quæ non excuſat a culpa vel PROPRIA vel REGULARI, & tunc non ſolum licite, ſed etiam ſuo modo neceſſaria eſt illa mutatio, ſi quis expertus ſit, ſe moraliter non poſſe vivere, niſi ſecundum illam conſuetudinem; quia tunc non eſt profeſſus ſecundum regulam ſic violatam, ſed ſecundum Regulam obſervandam: & ideo quærere DEBET ſtatum & vivendi modum, in quo moraliter id facere poſſit. Tunc autem ſi in Religione ſint Monaſteria, ubi Regula ſervatur, & in eis firmiter, & ſtabiliter manere poteſt, nec ſit periculum, quod aliquando cogatur redire ad Monaſteria relaxata; tunc in eis manere TENEBITUR, nec poterit totam Religionem relinquere propter laxiorem*, (ideſt mitiorem, ſed obſervantem) *quia revera profeſſus eſt ſecundum obſervantiam talis Regulæ, quam tenere poteſt; & ſic retenta eſt perfectio ſtatus*. P. Suarez docet, *teneri* Regularem tranſire ad Cœnobia reformata, ſi Regulæ obſervantia collapſa ſit, ſolum quantum ad

fun-

puncta, quæ non obligant ad culpam *proprie* dictam, ſed ſolum ad culpam *Regularem*. Quanto diſtrictius ergo tenebitur, ſi Regula relaxata ſit in ſubſtantialibus, nempe in exactæ communitatis præcepto, quod obligat natura ſua ad culpam *proprie* dictam. Addit Doctor eximius, quod ſi in propria Religione deſint hæc Cœnobia Reformata, tunc poterit Regularis tranſire ad aliam Religionem laxiorem, ideſt mitiorem, ſed obſervantem propriæ Regulæ, ut evitet laxitatem Religionis, quam eſt profeſſus, & declinet ab occaſione violandi præceptum communitatis. Si tamen eſſet firma ſpes, quod proprium Cœnobium, aut tota Religio reformaretur, tunc tuta conſcientia poſſet permanere in propria Religione collapſa, ſed reformanda. Hæc ſunt verba Suarez, quæ ibidem ſtatim adjicit. *In hoc etiam tertio modo conſuetudinis locum habet quod Joannes Andreas addit: ſi quis habeat ſpem, quod permanendo in Religione reformabitur, non poteſt illam dimittere propter laxiorem, quod eſt quidem veriſſimum ſuppoſita prædicta ſpe, quia tunc illa conſuetudo non impedit perfectiorem vitam, imo præbet occaſionem operis perfectæ charitatis, ut eſt reformatio propriæ Religionis. Tamen illa ſpes in primo, & ſecundo modo relaxationis* NULLA PROFECTO EST *moraliter loquendo, & in poſtremo erit rara: unde ex hoc capite raro etiam privabitur quis dicta libertate*. Plus ſeveritatis hæc produnt, quam quæ ipſe docui. Plura alia hujus graviſſimi, ac piiſſimi Theologi prætereo. P. Franciſcus Rotarius mitiſſimis Probabiliſta *lib. 3. cap. 3. punct. 3. n. 6.* huic ſententiæ ſubſcribit his verbis: *Suarez addit, non ſolum poſſe, ſed etiam* TENERI *tranſire ad Conventus obſervantes, ſi videat extra illos moraliter vivere non poſſe, niſi juxta illam malam conſuetudinem, quæ obſervantiam Regulæ in ſubſtantialibus violavit*. Omnes ad unum Theologi, & Canoniſtæ docent, exactam rerum communitatem eſſe unum potiſſimum punctum ſubſtantiale propriæ Regulæ. Ubi collapſa eſt obſervantia hujus exactæ communitatis, vix aliquis moraliter vivere poteſt abſque privato peculio: ergo neceſſarius eſt tranſitus ad Cœnobia Reformata. Poſſem alios innumeros textus tranſcribere ex Thoma Sanchez, Caſtro Palao, Laymano, Buſembau, Tamburino, Reiffenſtuel, Leſſio, Felice Poteſtate, aliiſque Probabiliſtis, qui omnes ea principia tanquam certiſſima conſtituunt, e quibus neceſſario hæc ſententia conſequitur. Quæ ideo dico, ut omnes intelligant, me non aliam ſive in diſciplina Apoſtolico-Monaſtica, ſive in hoc Opere doctrinam tradere, niſi quam communiter Theologi, & Canoniſtæ, & ipſi

Q 2 beni-

benigniores Probabiliſtæ defendunt. Quia vero occurrere cauſæ valent, quæ ejuſmodi tranſitum impediant, ideo ſequentes regulas ſervandas deſigno ab iis, qui in Deformatis Cœnobiis degere coguntur.

VIII. *Regula Prima*. Leges Depoſiti adamuſſim obſervent. Pecunias nimirum numquam apud ſe retineant, ſed in communi area reponant, non aliquas, ſed omnes. Nihil ipſi expendant, ſed officiales, niſi rationabilis cauſa oppoſitum ſuadeat. Quoties opus fuerit licentiam petant.

IX. *Regula ſecunda*. Ea dumtaxat ſibi comparent, quæ ſibi a Conventu præberentur, ſi exacta vigeret communitas. A ludis, a vanis ornamentis, a veſtitu ſplendido, a lautiori victu omnino abſtineant.

X. *Regula Tertia*. Animo parati ſint oportet ad reformationem ſuſcipiendam. Debent inſuper adlaborare, quantum eorum fert conditio, ut reipſa, ablegatis peculiis, exacta rerum communitas introducatur. Qui reſiſtunt, continue peccant, Theologorum nemine diſſentiente. Hæc reluctantia opere, quam verbis frequentior eſt. Vix eſt qui ore neget, ſe velle communitatem: & tamen re major ſane pars eam reſpuit, execratur, ut evidentiſſimis argumentis oſtenſum eſt.

XI. Futuræ infirmitatis pericula, inquiunt, præ oculis habenda. In dies neceſſitates occurrunt, quæ ſine pecuniis reparari nequeunt. Officiales Conventuum privata Fratrum negotia peragere recuſant: nec ſemper prudentia ſinit eorum fidelitati, aut diligentiæ pecuniarum expenſas remittere. Quare recenſitæ conditiones executioni mandari minime poſſunt. Et reipſa communis conſuetudo obtinet, quod ſinguli Fratres ſuas pecunias expendant, & aliquas apud ſe retineant. Omnes ſtudent, ne aliquo tempore marſupium ſit omnino vacuum. Quando dumtaxat ſumma pecuniarum ſit ingens, hæc ſola in arca collocatur, parva retenta crumenula in reculas impendenda.

XIII. Nemo nunc non videt, quam difficillimum ſit depoſita ſuis circumſcripta legibus ſervare. Difficultatem inſtaurandæ communitatis ubique obtrudunt. Et tamen longe facilius eſt communitatis, quam depoſitorum leges exequi. Manus abſtinere a pecuniis: eas omnes in communi arca deponere: ſola Miniſtrorum dextera expendere: & quod potiſſimum eſt, levata propria urgente neceſſitate, quod reliquum ſupereſt confundere cum redditibus Monaſterii; quis eſt, qui hæc omnia executioni demandet? Et tamen hæ ſunt depoſitorum conditiones, quibus deficientibus, ſcelus proprie-

Digitized by Google

prietatis contrahitur. En quam verum ſit id, quod Patres, quod Theologi omnes adfirmant, videlicet, pauciores in Cœnobiis deformatis Paupertatis votum obſervare. Quid ergo depoſitorum latebra vitium proprietatis obtegere ſtudent? Quid ſibi illudunt, quaſi pauperes Chriſti eſſent, propterea quod majorem crumenam in futuros uſus ſub triplici clavi cuſtodiendam deponunt? Quid illorum proprietati ſuffragantur depoſita, ſi pauciſſimi inter eos ſunt, qui depoſitorum conditiones a legibus præſcriptas ſervent? Peccant ergo quod legem communitatis violant. Peccant, quod peculii permiſſi conditiones adjectas tranſgrediantur.

CAPUT V.

Superiores, Magiſtri, & Baccalaurei potiſſimum in cauſa ſunt, cur pulſis pecuniis exacta rerum communitas non viget.

I. SI Navis recta portum non petit, Nauclerus, qui clavum tenet, in cauſa eſt. Chori diſſonus cantus in præcentorem, exercitus confuſio in Imperatorem veluti in potiſſimam cauſam communiter revocatur. Hac ratione Patres, Theologique uno ore teſtantur omnes, diſciplinæ Monaſticæ relaxationem a Prælatorum potiſſimum vel oſcitantia, vel ineptitudine, aut malitia proficiſci. *Mihi ſæpe numero* (inquit piiſſimus Abbas Servatius Lajruelz in Optica Regul. ſpecul. 3.) *ponderanti Monaſteriorum quorumdam ſtatum depravatum, & requirenti inter quotidianas meas lectiones, atque inter fletus & lacrimas uberes Deum roganti, ut mihi hujus morbi fontem ſimul, & remedium panderet; non occurrit aliud verius, ni fallor, quam illud veridici vatis Hierem. Cap. ult.* Quia ſtulti egerunt Paſtores & Dominum non quæſierunt. Propterea omnis grex eorum diſſipatus eſt. Omne caput languidum, & omne cor mærens. Iſaj. c. 1. *Nolite mihi ſuccenſere, Patres Venerandi: Apud vos odium parere non debet, qui veritatis in terris eſtis Vicarii. Stulte egerunt plerique noſtrum, quia vitiis ſuis gregi Monaſtico ad eadem ſectanda viam fecerunt. Scitum eſt enim illud Poetæ:*

Regis ad exemplum totus componitur Orbis.

Dominum non exquiſierunt, quia rueret grex pretioſo Chriſti cruore reſperſus.

Non

Non curaverunt: quid dico non curaverunt? immo potius curarunt, ut preceps in æternam abyſſi voraginem rueret .... Quia Marſupia propria ſibi in totius Apoſtolicæ Inſtitutionis detrimentum fabricaverunt. Hinc retrorſum abjerunt, quia paupertatis votum retro projecerunt .... Radix enim omnium malorum, & Noverca Religionis eſt illa Proprietas, quam in ORDINEM hujusmodi Paſtores invexerunt.

II. Facile mihi eſſet omnium Patrum teſtimonia in hujus veritatis confirmationem allegare: at ea nunc prætereo. Unius & alterius benignioris Probabiliſtæ verba dabo. P. Bartolomæus Maſtrius *diſp.* 14. *art.* 5. *n.* 47. ex alterius ſuis Ordinis nimirum P. Fabri auctoritate hæc ſcribit: *Et quidem rationabiliter Doctores allati hanc Superiorum obligationem exagerant, quia, ut inquit Faber noſter diſp.* 45. *n.* 138. *quærens unde proveniat, quod in quibuſdam Religionibus Vita communis non ſervetur, nec introduci poſſit, quamvis hoc proveniat ex nonnullis Religioſis privatis, & ſubditis, qui parum Deum timentes, & ſuæ profeſſionis immemores, volunt pecuniis pro voluntate uti; PRINCIPALIUS tamen, & majori ex parte, ex imperfectione, & culpa Superiorum majorum provenit, ut ibi cum Navarro oſtendit. Quamvis enim extrinſece ſanctitatem, & ſermonibus publicis, ordinationibus & factis quibuſdam externis, Religionis Reformationem, & Vitæ communis reparationem prætendere videantur; intrinſecus autem ſunt Lupi rapaces, & nonniſi pecuniæ inhiantes, & munera capientes a Religioſis dignitates, & officia ambientibus, quamtumvis indignis dignioribus prætermiſſis. Et hoc quotidiana experientia demonſtrat.*

III. Rigoriſta ne Maſtrius? Rigoriſtane Faber? Qua ratione in Prælatos potiſſimum, eadem in Magiſtros & Baccalaureos relaxatio diſciplinæ refunditur. Siquidem iſti Superioribus Majoribus aſſiſtunt, Capitulis interveniunt, favore Prælatorum fruuntur, immo Præfecturis obtinendis proximi ſunt: atque adeo valent inferiorum ambitioni ſuccurrere, clientibus patrocinia locare, pecuniaſque conquirere, ut ſuas expleant appetitiones. Fuſius in diſciplina Monaſtica oſtenſum eſt, removendos ejuſmodi tum Prælatos, tum aſſiſtentes ab Ordinis regimine, ut impedimenta inſtaurandæ communitatis auferantur. Stupent omnes, cur Eccleſia duorum præcipue ſæculorum intervallo tot Conſtitutionibus, tot ſeveriſſimis pœnis reformationis opus aſſequi haud potuerit in pluribus Ordinibus. Verum evaneſcet admiratio, continuo, ac ſerio reputabimus animo, januam, per quam expelli peculia, & introduci communitas debet, eſſe Prælatos, eorumque Conſiliarios. Niſi iſti ſpiritu pauperta-

pertatis ferveant, quodlibet Reformationis ſtudium inane eſt. In Reformanda ergo Monaſtica diſciplina primum omnium videndum eſt, num Ordinum Generales eorumque aſſiſtentes ſeu ſocii pecuniis inhient: num peculiis ſint aſſueti, & exactæ rerum communitati re, ſin verbis, infeſti. Iſti omnes a Regimine repellantur, aliique Monaſticæ paupertatis cultores ſubſtituantur. Legeſis *diſciplinam Apoſtolico-Monaſticam* 2. *p. diſs.* 1.

CAPUT VI.

Quam facilis ſit exactæ communitatis Reformatio. Quam inexcuſabiles Clauſtrales, qui huic reformationi reapſe refragantur.

I. INſtaurandæ exactæ communitatis univerſæque diſciplinæ Monaſticæ facilitas fuſo calamo oſtenſa eſt in diſciplina Apoſtolico-Monaſtica, tum *prim. part. diſs.* 5. *cap.* 13. tum 2. *part. diſs.* 2. *cap.* 6. quæ latius ibidem diſputata ſunt, paucis hic perſtringam.

II. Paradoxon videtur hæc reformationis facilitas, cujus executio vigilantiam, ſtudium, ultimoſque Eccleſiæ conatus duorum ſæculorum intervallo fruſtravit, eluſitque. Facilis eſt exactæ communitatis inſtauratio, quam tot Decretis, Conſtitutionibus, pœnarumque ſeveritate aſſequi Eccleſia minime potuit? Non facilis modo, verum etiam facillima eſt, ſi quæ in hunc finem præſcripſit Eccleſia ipſa, accurate executioni demandentur. Unicum inſtaurandæ communitatis remedium, ab Eccleſia Divino perfuſa lumine præſcriptum a duobus ſæculis, eſt ſaluberrimum illud interdictum recipiendi Novitios in Cœnobiis Deformatis. Nihil facilius executione, ſi fraudes & doli tollantur: nihil ad aſſequendum finem potentius, ſi revera morbo medicina iſthæc paretur.

III. Quid ergo in cauſa fuit, cur hactenus fruſtraneum remedium hoc fuerit? Falſæ atteſtationes, quibus Sacro Purpuratorum Collegio repræſentari ſolet, exactam vigere communitatem, univerſæque Regularis Diſciplinæ obſervantiam in profeſſionis emittendæ Cœnobiis: cum alioquin in iiſdem, non communitas, ſed peculiorum peſtis graſſetur: non Regularis Diſciplinæ cultus ſincerus, ſed ſpecies quædam, & ſimulacrum Monaſticæ obſervantiæ. Ne multa. Atteſtationes, licet juramento firmatæ, factum publicitus evidenter falſum narrant.

IV. Res odii invidiæque plena eſt. Loquatur Proſper Fagnanus in 2. *p.* 3. *Decret. cap. cum virum n.* 50. „ Porro in Ordine Fratrum Minorum de „ obſervantia S. Franciſci paulo poſt initium Pontificatus Urbani VIII. or„ dinatum fuit, ut de cætero non admitterentur Novitii in Provinciis Ciſmon„ tanæ familiæ, & Fratribus ad certum numerum decedentibus illorum Con„ ventus traderentur Fratribus reformatis, ſeu ſtrictioris obſervantiæ ejuſ„ dem Ordinis, a quibus tantum reciperentur Novitii: & in hujuſmodi „ probatione multos annos perduratum eſt. *Et utinam paulo diutius perſeve*„ *ratum fuiſſet*: nam ubi numerus Fratrum reformationis multum excre„ viſſet, pauci in familia ſuperſtites, depoſita jam ſpe veſtiendi Novitios, „ & majores dignitates aſsequendi, facile ad reformationem tranſiiſſent: „ atque nulla eſſet in Religione diviſio, vel ſciſsura, ſed tota ad primum „ inſtitutum, & Regulæ puritatem redacta fuiſſent. *Verum Fratribus Re*„ *formationem pollicentibus, tandem oportuit illis ad veſtiendos Novitios adi*„ *tum aperire. Docuerunt enim Ordinariorum atteſtationibus ſe adimpleviſſe* „ *conditiones ſibi præſcriptas, & legatis annuis in Curiis Epiſcopalibus ſole*„ *mniter renunciaſſe: & ſic tributa fuit illis licentia veſtiendi uſque ad cer*„ *tum numerum in ſingulis Provinciis præfinitum. Nobis tamen, quantum* „ *per modeſtiam licuit, ſemper reluctantibus, prout hæc omnia plenius conti*„ *nentur in Decretis deſuper editis*, ut videre eſt in Bullario (tom. 4. pag. „ 333.) & notavi in Capitulo nimis prava, n. 55. infra de exceſſu Præ„ latorum. Memini etiam Regem Chriſtianiſſimum ſuperioribus annis ſup„ plicaſſe S. D. N. ut in Regno Galliæ de cætero non veſtirentur Novi„ tii, niſi in *Religionibus, in quibus vere ſervatur regularis diſciplina juxta* „ *primævum inſtitutum*. Quod tamen etſi ſanctiſſimum foret, nihilominus „ magnopere hæſitatum eſt, ne prohibitio tam generalis motus magnos ex„ citaret, ita ut poſtea ſuſtineri non poſset. Cum tamen ſatius ſit legem „ non condere, quam conditam protinus abrogare. Multo ſecurius, & „ fructuoſius hæc præſtari poſſent in Generali Concilio, quemadmodum fa„ ctum legimus in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. *ut patet cap. uni*„ *co de Relig. Dom. lib.* 6. „

V. Aliud ſaluberrimæ medicinæ impedimentum eſt, quod Novitii non ſemper in reformatis Cœnobiis, in quibus profeſſionem emittunt, commorantur. Quare ad laxioris Diſciplinæ Monaſteria tranſeuntes, crumenas ſuas recipiunt. *In ſingulis enim Religionibus* [ſubdit Fagnanus n. 48.] . . *deſigna-*

vit Clemens VIII. aliquos Conventus Regularis obſervantiæ, & initio, tanquam baſim, & fundamentum reformationis, præmiſit duo Decreta, quibus ſerio interdixit, ne quis deinceps ad habitum, & Profeſſionem reciperetur, niſi in Conventibus, uti præfertur, deſignatis, vel in poſterum deſignandis per litteras ſub forma Brevis, ſub pœna NULLITATIS receptionis, & Profeſſionis inde ſequutæ: voluitque, ut ſic recepti in eiſdem Conventibus annum probationis peragerent, & poſt profeſſionem per aliquot annos detinerentur in Profeſſoriis. Verum ex his Decretis non prodiit fructus, qui ſperabatur. Nam etſi Novitii primo in Conventibus ſic deſignatis, ac deinde in Profeſſoriis in Regulari diſciplina probe inſtituantur: tamen poſtea inde exeuntes, & ad alia Monaſteria laxioris obſervantiæ demigrantes, in communes Religioſorum abuſus, & relaxationes incidunt.

VI. Itaque, ut Decreta Pontificia plenum aſſequantur effectum, in ſolis Provinciis aut Congregationibus vere reformatis recipiantur juvenes. Ut perjuriis, & falſis atteſtationibus aditus præcludatur, ſeligantur Viſitatores ex ipſis vere reformatis Congregationibus ſeu Provinciis, qui hæc juramenta invectæ communitatis peculiorum vacuæ præbeant. Facile decipiuntur extranei, quorum plures communitatis, & obſervantiæ Monaſticæ vix primas tenent notiones. Exempla plura darem, niſi invidiæ eſſent & odii plena. Illud verum habet, illos dumtaxat, qui exactam communitatem ſervant, & in hac cauſa apprime verſati ſunt, eſſe admittendos in iſtius facti teſtes. Si eorum, quæ dico, periculum fieri velit, viſitentur Cœnobia deſignata pro *Novitiatibus*. Conferantur juramenta *Sacræ Congregationi* ſuper Diſciplina Regulari exhibita, cum Diſciplina Monaſtica eorumdem Cœnobiorum. In iſtis, pauciſſimis exceptis, peculia privata ſerpunt: non plus in iiſdem, quam in cæteris deformatis Conventibus aut communitatis, aut obſervantiæ Regularis. Quædam externa dumtaxat differentia, cætera nihil. Juvenes *Novitiatus* anno a carnibus abſtinent, pecunias in Magiſtri manu deponunt, induſia lanea induunt, nulla toto illo anno lege obligante. Profeſſione emiſſa, votis Deo nuncupatis, laneis venditis induſiis, linea comparant, carnibus frequentius veſcuntur, ſuas crumenulas lateri affigunt. Monſtroſa hæc paradoxa videntur, & tamen totius mundi oculis patent.

VII. In ſolis ergo exactæ reformationis Provinciis recipiantur Novitii. Ad collapſæ Diſciplinæ Cœnobia non tranſeant. Sed cum Numerus con-

DISSERTATIO SEXTA.

ſeu

ANIMADVERSIONES ANTICRITICÆ

In illam *Vitæ Clauſtralis* Diſſertationem, quæ ſic inſcribitur:

DISSERTATIO VII. & peculiaris.

Adverſus Carolum Antonium Plantamuram *Commentarii duplicis* perſonatum Scriptorem, qua primo ei detrahitur larva: deinde ab eo intentatæ *Raphaeli a Pornaſio* criminationes diſpelluntur: & *integro Ordini Prædicatorum peculium adſeritur, & vindicatur.*

INdictam hanc Authoris *Vitæ Clauſtralis* Diſſertationem præterirem, niſi enormis detegendæ fraudis neceſſitas pauca verba facere compelleret. Quo Clauſtralis noſter ſuos dirigat conatus, ultima Tituli periocha patefacit: *Integro Prædicatorum Ordini peculium adſeritur, & vindicatur*. Hanc peculii impoſturam Sacro huic Ordini impactam jam *Diſſert. Prælimin. cap.* XI. penitus profligavi. Fabellas plurimas, quibus conflata Diſſertatio eſt, utpote a *Plantamura* in anteceſſum labefactatas, alto pariter ſilentio obvolvam. In pauca dumtaxat puncta Animadverſiones Anticriticas adornabo, quæ mirum in modum, quis ſit Authoris pro crumena ſua tuenda fervor, & zelus, manifeſtabunt.

CAPUT I.

Magiſter Vitæ Clauſtralis *enormiter interpolavit P. Raphaelis de Pornaſio opellam, quam ſuo Operi noviter editam attexuit.*

ANIMADVERSIO I.

I. P. Raphael de Pornaſio ſcriptiunculam duorum, aut trium ad ſummum foliorum exaravit circiter medietatem ſæculi XV. pluribus fabellis, & doctrina quoque erronea conſarcinatam. Sexaginta aurea ſcuta in peculium privatum D. Thomæ affingit: rejectam aſſerit ab Ordine Prædicatorum illam Auguſtinianæ Regulæ partem, quæ exactam rerum communitatem præſcribit. Sanctam rerum communitatem a Chriſto, & ab Apoſtolis inſtitutam jurgia, diſſidia, liteſque ſcrere, ſcripturire auſus eſt, inclamans: *Qui ponit commune, ponit litem*. Quæ omnia invictis argumentis confutavit, attrivitque Carolus Antonius Plantamura. Author *Clauſtralis* Pornaſii librarius ſimul, & vindex, nec verbum fecit, quo a recenſitis erroribus Magiſtrum hunc ſuum vindicaret. Illum ut ſapientem, eruditum, juriſque Canonici peritum extollit. Scriptum vero, quod nobis reliquit, nullius litteraturæ virum illum fuiſſe luculenter evincit. Nec alicujus momenti ſunt Hiſtoricorum elogia, quando partus genuini Parentis obſcuritatem produnt. Verum hæc dicis gratia.

II. Ineditam Pornaſii opellam edi curarunt peculii Fautores, rati non parum præſidii ſe quæſituros crumenæ ſuæ. Sed fruſtra. Quoniam licet Pornaſius, qui circiter ſæculum ante Concilium Tridentinum ſcripſit, concedat Fratribus Mendicantibus ob inopiam Conventuum, ut valeant ſibi comparare veſtitum propria induſtria; tamen continuo ſubdit, graviſſimo præcepto aſtrictos Regulares eſſe exactæ rerum communitati, peculio pulſo, ſi Cœnobia redditus, & fundos poſſideant, uti reapſe poſſident poſt Tridendentinum Concilium. Quare Carolus Antonius Plantamura evidenter demonſtravit, perperam Nummiculas ad Pornaſii authoritatem confugere, ut peculium defendant. Textum Pornaſii illis objecit Plantamura *Diſſert.* 2. *cap.* XII. *pag.* 127.

III. Ut hoc ſe expediret nodo Author *Vitæ Clauſtralis*, qua uſus arte eſt? Duo præſtitit more ſuo. Primum maledictorum tempeſtate obruit Adverſarium ſuum Plantamura, quem, vix in lucem emiſſo *Commentario Hi-*

ſtorico

ſlorico &c. epiſtola, ut vocant, cœca, honeſto homine indigna, mordere cœpit. Longo ſeptennis intervallo, quod fluxit ab anno MDCCXXXVI. quo liber Plantamuræ prodiit in lucem, ad hunc currentem 1743. reſtinctam hominis iram exiſtimabam; ſed lecta *Clauſtrali vita*, ferventius deſpumare, & ardentiores in flammas erumpere conſpexi *Magiſtrum Clauſtralem*. Audi quam modeſto, pacatoque animo ſcribat vel in ipſo Diſſertationis Præloquio pag. 415. *Quum primum hæc ſenſa in Plantamura legi, ... haud temperare me valui, quominus exclamarem: Vah pervicacis ingenii imprudentem conatum! Huccine partium ſtudium adduxit obſcurum hominem .... ut patentiſſimo mendacio veritatem apertiſſimam obnubilare, tenebriſque obruere ſtuduerit? Tantam hujus hominis audaciam non feram, non ſinam, non patiar*. Obſcurus homo Plantamura. Clariſſimus vero *Magiſter Clauſtralis*. Verax hic, mendax ille. Hic modeſtus, ille audax. Pergit humaniſſimus vir extollere ſuum peculii Magiſtrum Pornaſium encomiis tranſcriptis, inquit, *ex viris Religioſis in celeberrima Tholoſana Provincia, ſine peculio viventibus Quetifio, & Echardo*. Rerum Ordinis eruditionem ubique redolet Clauſtralis Author. Quetifius & Echardus, non *Tholoſanæ*, ſed *S. Ludovici Provinciæ* alumni ſunt, in qua itidem ſine *peculio* vivitur.

IV. Alterum effugium, quo ſe recepit, ut argumentationem Plantamuræ ex authoritate Pornaſii arceſſitam eluderet, omnem fidem ſuperat. Præclariſſimus homo iſte in ſuæ *Vitæ Clauſtralis* calce denuo edidit P. Raphaelis Pornaſii *opellam* duorum aut trium filiorum. Quiſque expectabit Editionem hanc Veronenſem eruditis animadverſionibus illuſtratam prodiiſſe. Id ſcilicet. Non reformidavit Criticiſſimus homo hac noſtra ætate in totius Litterariæ Reipublicæ conſpectu *opellam Pornaſianam* a ſe editam turpiter corrumpere, interpolare, detruncare. Neque tantum verbum aliquod ex eadem expunxit, aut aliud ſubſtituit; ſed integram ſententiam, a qua totum pendet negotium, ſuppreſſit. Ut crimen enormis interpolationis evidenter appareat, ex uno latere tranſcribam genuinum Textum Pornaſianum Beneventanæ editionis anni 1725. quam nobis objicit. E regione opponam textum editionis Veronenſis, prout eſt in Vita Clauſtrali.

TEX-

TEXTUS

Genuinus Pomaſii juxta editionem Beneventanam cap.4. pag.51.

„ ADvertendum eſt, quod aliter
„ poteſt & longe aptius ſerva-
„ ri talis communitas in Monaſteriis
„ divitibus, & *reddituariis*, quam in
„ pauperibus, & Mendicantibus:
„ nam in illis cujuſmodi erant illi,
„ quibus B. Auguſtinus Regulam ſcri-
„ pſit, ſcilicet Canonicis Regulari-
„ bus, eſſet nimis vitioſum, quod
„ aliquis vellet ſibi ipſi providere,
„ & aliquid penes ſe particulariter
„ conſervare, cum Superior poſſit,
„ & velit in omnibus etiam minutis
„ neceſſitatibus providere, & onus
„ proviſionis totaliter ſibi ipſi reſer-
„ vat. *IDEO INTER ILLOS HA-*
„ *BETUR PRO PRÆCEPTO*
„ *EXPRESSO, vel PRÆSUPPO-*
„ *SITO, quod quidquid uni datur,*
„ *in COMMUNE ponatur, ut dicit*
„ *Regula*. Nimis enim eſſet inju-
„ ſtum, ut habens unam veſtem ſuf-
„ cientem ſibi a Prælato collatam,
„ ſibi retineat aliam ab extraneo da-
„ tam, quia ſibi debet ſufficere unam
„ ſufficientem proviſionem habere. „

TEXTUS

Pomaſii interpolatus a P. Magiſtro Vitæ Clauſtralis.

„ ADvertendum eſt, quod aliter
„ poteſt & longe aptius ſerva-
„ ri totalis communitas in Monaſteriis
„ divitibus * quam in pauperibus, &
„ Mendicantibus: nam in illis, qui
„ de redditibus gaudent, ſicuti erant
„ illi, quibus S. Auguſtinus Regulam
„ ſcripſit, ſcilicet Canonicis, fuiſſet,
„ & eſſet nimis vitioſum, quod ali-
„ quis voluiſſet, & vellet ſibi ipſi
„ providere, & vellet penes ſe ali-
„ quid particulariter retinere, cum
„ Superior vellet, & velit in omni-
„ bus etiam minutis neceſſitatibus
„ providere, & onus proviſionis to-
„ taliter ſibi ipſi aſſumere, & ſuum
„ retinere. Nimis enim hoc fuiſſet
„ injuſtum, ut habens unam veſtem
„ ſufficientem ſibi a Prælato colla-
„ tam, & ſibi etiam retinere ab ex-
„ traneo datam, quia ſibi debebat
„ ſufficere unam ſufficientem provi-
„ ſionem habere.

V. Si quæras a R. P. Magiſtro *Vitæ Clauſtralis*, cur integram hanc Periocham: *Ideo inter illos habetur pro Præcepto expreſſo, vel præſuppoſito, quod quidquid uni datur, in commune ponatur, ut dicit Regula*, ſi inquam quæras

cur

tur integram hanc periodum detruncatam ſuppreſſerit, reponet forte, ſe ignoraſſe alia via ſolvere argumentum factum a Plantamura. Nam poſt Concilium Tridentinum Conventus ſunt *reddituarii*, abundant fundis, & redditibus. Secundum Pornaſium hac facta hypotheſi habetur *pro Præcepto expreſſo, vel præſuppoſito*, quod Fratres aſtricti ſint exactæ communitati: ergo de medio præcidenda erat periodus illa, ut ex opella Pornaſii emolumentum, non præjudicium eruere poſſet.

VI. Abſit, ut iniquæ fraudis, malique doli Authorem *Vitæ Clauſtralis* arguam. Quin habere quippiam vellem, unde illum a tam invidioſa nota vindicarem. Verum omnia artis Criticæ argumenta adverſus illum militant. Et primum laudatum textum *Pro Præcepto expreſſo, vel præſuppoſito &c.* Nummicolis objecit Carolus Antonius Plantamura litteris grandioris characteris in *cit. Diſſ.* 2. *cap. XII. pag.* 127. ut quiſque legere poteſt. Ignorare ergo haud potuit ejuſmodi textum Author *Vitæ Clauſtralis*. Textus iſte totius controverſiæ caput eſt. Quid ergo obtrudit? Num editionis diverſitatem? At hoc effugio elabi minime valet. Siquidem pag. 416. *Vitæ Clauſtralis* ſub initium diſſertationis VII. Apologeticæ pro ſuo Pornaſio, grandioribus characteribus editionem Beneventanam peractam 1723. ovans oſtentat, opponitque. Porro in editione Beneventana *pag.* 51. habetur laudatus textus ab illo averruncatus. Quid plura Habetur idem textus in prima opellæ Pronaſianæ editione Veneta Lazari de Soardis anno 1503. Alteram editionem poſteriorem Taurinenſem indicatam ab Ekardo non vidi. Id tantum ſcio iſtius editionis Authorem titulum a Pornaſio ſuæ opellæ impreſſum variaſſe, aliumque omnino diverſum ſubſtituiſſe. Primæ editionis Venetæ an. 1503. titulus hic eſt: *Tractatus R. in Chriſto F. Raphaelis de Pornaſio O. P. S. Theol. Prof. quod Religioſi non poſſint habere proprium.* Hæc Veneta prima editio habetur in hujus SS. Roſarii Collegii Bibliotheca. Titulus Beneventanæ editionis eſt: *Tractatus de communi & proprio Religioſorum.* Editionis Taurinenſis titulus hic eſt: *Tractatus de paupertate valde utilis R. ac doctiſſimi viri Magiſtri F. Raphaelis de Pornaſio O. P. in quo evidenter oſtenditur, quod Fratres Moderni habentes libros, indumenta, ac peculium aliquod in particulari, non dicuntur Proprietarii, & quod talis modus vivendi fuit ab antiquo in Ordine de facto ſervatus etiam quando Fratres ſcientia & vita ac miraculis coruſcabant.* Hunc Titulum exſcripſit Author *Vitæ Clauſtralis*. Plantamura præfatæ editionis Authori improperavit

iſtius

iſtius tituli ſuppoſitionem, indeque collegit, qua ratione ſuppoſuit diverſam Epigraphen, eadem potuiſſe adulterare libelli textum. Et reapſe illum in pluribus corrupit. *Clauſtralis* noſter ubique criticam oſtentat artem vel in ipſa libri fronte rubris & grandioribus characteribus præferente *OPUS CRITICO-HISTORICO-THEOLOGICUM*. Critices leges poſtulabant, ut varios hos titulos expenderet: ut plures variantes lectiones inter editionem primam Venetam, & Taurinenſem conciliaret: ut Editorem ſuum ab interpolationis macula vindicaret. Sed quid aliorum poſtulo defenſionem? Utinam haberet unde ſemetipſum ab enormi Pornaſiani textus in ipſius controverſiæ capite corruptione ſe ſe purgare poſſet. Ultra non urgeo argumentationem, ut illius pudori parcam. Suam, ſi valet, criticen defendat, quod Periocham graviſſimam: *EX PRÆCEPTO EXPRESSO &c.* a Plantamura objectatam, in prima Veneta, & in ultima editione Beneventana extantem truncaverit, deleverit, expunxerit. Et hic eſt ille *P. Magiſter Clauſtralis*, qui per ſummam injuriam adverſario ſuo textuum interpolationem objicit, quin tamen vel unicum textum minus ſincere adductum in medium afferre ille potuerit?

VII. Libenter quoque ſcirem, quo jure, qua auctoritate *Commentarii Hiſtorico-Apologetici* ſub nomine *Plantamuræ* evulgati Authoris, quem ipſe verum arbitratus eſt, nomen & agnomen prodiderit? Juſta interdum occurrunt rationum momenta, cur ſuppreſſo proprio nomine Authores libros ſuos edant. Eruditi omnes pro illiberali ſcriptore habent, & honeſtatis violatore eum, qui privata auctoritate jus ſibi uſurpat occultum prodendi hominem, niſi ratio peculiaris urgeat. Quod non idcirco hæc impropero, quaſi Plantamura publicam reformidet lucem; ſed ut novum argumentum Lector teneat humoris, & genii Clauſtralis noſtri.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De Regula Auguſtiniana detruncata, & Gualvanei Flammæ narratione.

ANIMADVERSIO II.

I. PAucis expediam quæ Clauſtralis Author commentus eſt, ut evincat O. P. repudiaſſe illam Regulæ Auguſtinianæ partem, quæ exactam rerum communitatem præſcribit. Primum itaque conſtituit pag. 420. *D. Dominicum eam paupertatis formam elegiſſe, ac præſcripſiſſe, quæ viris prædicatione addictis apprime conveniret; minime vero quæ in Regula S. Auguſtini exacta rerum communione definita eſt: ac propterea Auguſtini Regulam quantum ad rerum communionem temperaſſe*. Hanc putidam fabulam, ac impoſturam univerſo Ordini injurioſam exſcripſit Clauſtralis noſter ex ſuo Magiſtro Pornaſio. Eam funditus labefactavit Plantamura. Synchronos, juratoſque Teſtes produxit, adfirmantes S. Patriarcham PLENE & INTEGRE Regulam ſervaſse, ſervandamque a Fratribus curaſſe. Lege Plantamuram *Diſſert.* 2. *pag.* 64.

II. Reſpondet Magiſter Clauſtralis pag. 422. *Fallitur* Plantamura, *ratus non aliam heic Regulam quam S. Auguſtini indigitari. Nullus ex omnibus teſtibus, quos afferet Bernardus Guidonis, Regulam S. Auguſtini nominavit.* Nullus nominavit Regulam S. Auguſtini? Quæ diſputatio eſse cum homine poteſt, qui talia ſcribit? Omnes hiſtorici Jordanus, Humbertus, Conſtantinus Urbevetanus, cæterique tum antiqui, tum recentes teſtantur, S. Patriarcham cum ſexdecim Fratribus *invocato Spiritu Sancto Regulam S. Auguſtini elegiſſe*: & quaſdam arctioris vitæ Conſtitutiones eidem Regulæ ſervandas addidiſse. Clauſtralis noſter Regulam ſervatam a S. Patriarcha non Auguſtini, ſed Prædicatorum fuiſſe. *At quænam erat Regula hæc? Regula FF. Prædicatorum .... Regulam hanc fuiſse ipſaſmet Ordinis Conſtitutiones aperte innuit Stephanus &c. ... Sed demus Ardelioni* [ita honeſte alloquitur ſuum, quem ſibi fecit adverſarium] *Auguſtini Regulam heinc intelligendam eſſe*. Hæc reſcripſi, non ut confutem, ſed ut Clauſtralis eruditionem prodam, & honeſtatem. Concilium Lateranenſe prohibuit novam aliquam condi *Regulam*. Iſtius legis violatorem traducere audet Clauſtralis noſter ſuum ipſum Pa-

triarcham S. Dominicum, quaſi novam ediderit *Regulam*, ſuiſque Fratribus ſervandam præſcripſerit.

III. Demonſtravit Plantamura Ordinem confirmatum fuiſſe a Sede Apoſtolica ſub Auguſtini Regula. Quo poſito, in poteſtate Ordinis non remanſit eam Regulam in potiſſima & principe parte truncare abſque Summi Pontificis indulto. Proferat, inquiebat Plantamura, Pornaſius ſuper hoc, privilegium. Reſpondet Author Clauſtralis pag. 423. *Privilegium, quod a Pornaſio poſtulat Plantamura, ridiculum eſt. Supervacaneum quippe erat, ut poſt Ordinis confirmationem a Romana Sede fieret indultum, quo Regulam truncaret, vel limitaret S. Pater.* Plurima alia conſarcinat, quæ me pro illo pudet tranſcribere. Concluditque pag. 424. *Limitata, & temperata per has Conſtitutiones Regula S. Auguſtini, ſequitur ſtatim ad exactam rerum communitatem, quam præſcribit Regula, non teneri Profeſsos Prædicatores.*

IV. Hæc ſcribere non reformidat in plena luce Author Clauſtralis? Limitata fuit Regula per Conſtitutiones Ordinis? Tantum malorum ſuadere potuit pecuniarum amor? At Conſtitutiones ipſæ hæc fabuloſa reiiciunt commenta. Clamant quippe *Diſt. 1. cap. 14. tex. 10. Profeſſio ſua eum* (Novitium) *obligabit ad tria vota, paupertatis ſcilicet, caſtitatis, & obedientiæ ſecundum Regulam B. Auguſtini, & Inſtitutiones FF. Prædicatorum.* Clamant vel in ipſo Prologo in Gloſsa *ad tex. 1. Ad communitatem autem rerum ex ipſius Regulæ præcepto adſtringimur.* Verum ineptirem ipſe, ſi ſingulas ineptias perſequi vellem. Relinquendus eſt *Clauſtralis* iſte Ordinis Ferulæ, ſub qua dignas luat pœnas ob intentatam univerſo Ordini maculam, dum tam ridicularia de eo commenta evulgavit.

ANIMADVERSIO III.

In Guelvaneum Flamma.

V. Qua confidentia Magiſter *Vitæ Clauſtralis* peculium conſtitutum in Apoſtolico Collegio per omnes Sacros Ordines perpetua ſæculorum ſerie ad hæc uſque tempora perduxit, eadem illud primis ſui Ordinis Patribus affinxit, & perpetuo obtinuiſſe in ordine contendit vir mirificus. Pauca ejuſdem verba tranſcribamus ex *Diſs. VII. cap. V. pag.* 445. „ Jam vero „ cum hiſtoria, & publica monumenta, privatum peculium, & non exa-

„ ctam

„ ſtam vitam communem *ea Ordinis aurea ætate* exerto veluti digito oſten-
„ dant, exploratum eſt a primordiis uſque Ordinis Majores noſtros privato
„ peculio uſos fuiſſe. Age igitur ſincera hæc hiſtoriæ monumenta profera-
„ mus. „

VI. Antequam monumenta promit, locum indicat unde eruta ſunt, & Amicum, cujus diligentia eadem aſſequutus eſt. „ Vetuſtiſſimus (ſubdit ibi-
„ dem) Ordinis noſtri Scriptor *Gualveneus Flamma* in ſuo Chronico Ordinis
„ praxim primorum Patrum exhibens ea adfert, quæ apertiſſime oſtendunt
„ peculii uſum in more poſitum fuiſſe. Extat MS. Galvanei codex Romæ
„ in *Bibliotheca Caſanatenſi, ut hujus Bibliothecæ Præfectus* DIE MDCCXL.
„ *me certiorem per Epiſtolam fecit, & monumenta quædam rem meam ſpe-*
„ *ctantia ex eo exſcripta miſit.* „

VII. Ut hæc ſua monumenta undequaque firmis roboret argumentis, Epiſtolam deſcribit P. Præfecti Bibliothecæ Caſanatenſis, qui codicem exſcripſit fidem ſumma, illumque miſit peculii Monaſtici Aſſertori jam inde ab anno 1740. Epiſtolam P. Bibliothecarii, (in qua emicat eruditio in dignoſcenda cujuſque ſæculi characterum forma) nobis exhibet Magiſter Clauſtralis cit. pag. 445. eſtque tenoris ſequentis. „ *Nella Biblioteca Caſanatenſe*
„ *avvi un codice in Pergamena di carattere del ſecolo XIV. che dice l'Autore*
„ *ſuo ſu le prime parole.* In nomine Patris &c. . . . . Librum indicantem
„ obſervare Ordinem ad unguem ſuſcipite magis devotum, quam curioſum
„ *Notiſi quel* librum indicantem obſervare Ordinem &c. „

„ *Dopo narrata la ſanta Vita, e preziosa Morte del P. S. Domenico all'*
„ *anno* 1221. *e la venuta a Bologna del P. Giordano, perchè fatto Provin-*
„ *ciale di Lombardia, così s'apre la ſtrada a raccontare l'ammirabile, e ſantiſ-*
„ *ſima Vita de' primi Figli del Santo Padre, e noſtri primi Padri.*

„ Nunc quia jam dictum eſt de Conſtitutionibus & Ordinationibus Ordinis
„ [*tutte fatte al tempo del P. S. Domenico: che l'Autore comincia dall' anno*
„ 1220. *col Capitolo Generale famoſo, nel quale il S. P. rinonziò alle poſſeſ-*
„ *ſioni, e fece altre Coſtituzioni*] locus requirit, ut modum vivendi Fra-
„ trum deſcribamus; *il che fa con* 27. §§. *dicendo coſe, che* INNAMO-
„ *RANO.* „

Scire ne aves, amice Lector, quæ ſint hæc? *Coſe che* INNAMORANO Audi quæ continuo Epiſtola Bibliothecarii prodit. *Poi ſeguita con queſte a dire.*

 „ Cir-

„Circa Fratrem, qui mutabatur de Conventu contra ſuam voluntatem, „ totus Conventus lacrimabatur. Eum uſque ad portam aſſociabant. Alius „ PECUNIAM illi dabat, alius ſatulares, alius librum, *ut ſic conſolarentur.* „ Numquam Fratres illius Conventus ab oratione ceſſabant, donec Frater „ ſuus fuiſſet in Conventu repoſitus, & reſtitutus.

„ Circa infirmos totus Conventus Prior, Lector, Clerici, Converſi in- „ defeſſe miniſtrabant, de nocte vigilabant. *Proprias pecunias, ſi quem* „ *contigiſſet habere, propinabant.* Prior potius Conventum pectantia care- „ re per unum menſem ſinebat, quam quod Frater infirmus aliquo indi- „ guiſſet, ſive converſus, ſive Clericus. *Ac poſtea aliis §§. rem hanc ab-* „ *ſolvit. Poi ſeguita immediatamente.* Poſtquam, Deo dante, complevimus „ quomodo Fratres noſtri in principio Ordinis ſervabant Conſtitutiones B. „ Dominici, nunc videamus qualiter Regulam obſervabant totis viribus. *E* „ *la ſomma dipendenza dall' autorità del Superiore è in più luoghi evidentiſ-* „ *ſima. Indi*: nunc redeamus ad hiſtoriam. *Così il Codice che dal* 1222. „ *tira brevemente al* 1233. „ Hactenus P. Bibliothecarius.

VIII. Unum, quod diſpiciendum hic occurrit, eſt conſectarium, quod in- de colligit Author *Clauſtralis* pag. 446. „ Ex hoc a Gualvanei hiſtoria de- „ prompto monumento apertiſſime dignoſcitur in primordiis Ordinis, ejuſ- „ que aurea ætate vitam communem ad Plantamuræ criterium exactam, „ quæ cujuſque peculii expers fuerit, in more non fuiſſe poſitam, ſed pri- „ vatis Fratribus permiſſam fuiſſe pecuniam.

IX. Parcendum vix eſt Authori *Clauſtrali* quod laudatum Gualvanei Flam- mæ documentum in lucem produxerit. Niſi enim ex contextu aut ante- cedenti, aut ſubſequenti aliquid boni ſenſus accipiat, ea prodit, quæ nec ſanctitati illorum Patrum, nec hiſtoricæ congruit veritati. Quid? *Quando Frater alio mittebatur, alius pecuniam illi dabat, alius ſatulares, ut ſic eum conſolarentur?* Hæccine illius primæ aureæ ætatis ſanctitatem redolent? Non obedientiæ meritum, non animarum zelus, ſed *pecuniæ* illorum Fratrum triſtitiam, moleſtiamque ob diſceſſum ab uno Cœnobio conceptam leva- bant? Sed miſſis conjecturis, penitius rem diſcutiamus. Magiſter Clauſtra- lis noſter ſcribit pag. 420. *Apoſtolos ubique terrarum diffuſos imitatus eſt Pa- ter Hiſpanus*. Apoſtoli teſte Evangeliſta Luca *cap.* 9. *neque peram, neque panem, neque pecuniam* in via ferebant. Quid, quod Fr. Stephanus Pro- vincialis Lombardiæ, qui ab ipſo Patriarcha habitum Religionis anno 1219. ſuſcepit,

ſuſcepit, fuitque VII. juratus teſtis in proceſſu Canonizationis S. P. Dominici, hæc deponit apud Ekardum tom. 1. pag. 51. *Sicut B. Dominicus amaverat paupertatem in ſe, ſic amavit eam in Fratribus ſuis: unde injunxit eis, ut vilibus veſtibus uterentur, ut in VIA numquam PECUNIAM portarent, & hoc fecit in ſua Regula, ſeu Conſtitutionibus ſcribi.* Eant nunc RR. Magiſtri eum ſuo *Gualvaneo Flamma* ad decipiendos imperitos, illis inſuſſurantes, imponenteſque primos Ordinis Santiſſimos Parentes peculiares habuiſse erumenas. Cuinam fides adhibenda? Jurato, ac oculato teſti, ſocioque Sanctiſſimi Patriarchæ: an Gualvaneo Flammæ integro & amplius poſt ſæculo ſcribenti? Quid, quod omnes Synchroni Hiſtorici peculium, quod ex *Flamma* erui contenditur, damnant, execrantur, ut oſtenſum eſt in diſſertatione Præliminari. Scripſit Gualvaneus Flamma circiter medietatem ſæculi XIV. quo tempore omnes Mendicantium Ordines ad Diſciplinæ laxitatem declinarunt. Quare non mirum, ſi pro more ſui ſæculi diſciplinam metitus ſit. Conſule quæ dicta ſunt *Diſs. I. cap. XI. & Diſs. II. cap. VI. §. IV.* Plurima adjicere poſſem, quæ codicem Flamma in diſcrimen vocarent. Sed ſatius duxi eadem præterire.

X. Hæc dicta ſint, ut R. P. Bibliothecario, & Magiſtro Clauſtrali morem geram, illorumque vano interpretamento ſermonem accomodem. Cæterum ſi textus Flammæ mente a pecuniarum præjudiciis vacua expendatur, non plus ex eo, quam ex V. Bedæ *Capſela* peculium eruitur. Illa omnia, quæ collata a Fratribus narrantur, de communi collata fuiſſe dici poteſt. Alioquin prevaricatores fuiſſent Fratres illi, ut Humbertus V. Generalis Magiſter, conceptis verbis, teſtatur locis ſupra citatis. Melioris litteraturæ commercium duobus RR. Magiſtris precor.

CAPUT III.

ANIMADVERSIO IV.

In ea, quæ de perenni traditione pecunioſa in ſuo Ord. atque de Congregationum Inſtitutione ſcribit Author Clauſtralis.

I. Clauſtralis Vitæ Magiſter capite quinto Diſſertationis ſuæ ſeptimæ Paean ſibi canit atque triumphum, quod aurea argenteaque æta-

te cru-

se crumenæ privatæ uſum Majoribus ſuis aſseruerit, & quaſi e vadis emerſa oratio eſſet, ad peculium ætatis æreæ, ferreæque, & luteæ accedit. Sic enim ſcribit pag. 453. *Aurea argenteaque noſtri Ordinis ætatibus privatum peculium Majoribus noſtris permiſſum oſtendimus: longe facilius eſt, hoc ipſum in ætatibus ærea ac ferrea.* Majoribus ſuis aureæ ætatis per ſummam injuriam peculium affinxit. Quod porro in ætate ærea, & ferrea penes Fratres propriæ immemores profeſſionis, reperierit peculium, verum habet. Propterea ne licitum? Licita hac via evincere poſſet furta, adulteria, fornicationes, cæteraque ſcelera, quæ nullo defuere ſæculo.

II. Hanc perpetuam traditionem *pecunioſam* cujuſque ſæculi manifeſtæ falſitatis evincunt omnes Provinciæ, & Congregationes, quæ nunc ad aureæ ætatis Diſciplinam reformatæ ſplendent in O. P. Dicat ſodes? Provinciæ, & Congregationes Italiæ, Poloniæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, quæ Obſervantes, ſeu Reformatæ nuncupantur, non ne exactam rerum communitatem pulſo peculio ſervant? Clauſtralis ipſe ſæpius adfirmat. Porro omnes præfatæ Provinciæ, & Congregationes teſtantur, ſe a peculio privato abhorrere, cur? Quod propriæ profeſſioni repugnet, quod D. Patriarcha Dominicus vetuit, quod aurea ætate ut peſtis exulavit ab Ordine, quod denique omnes antiquiores & Congregationes, & Provinciæ communitatem ſervarunt, peculio pulſo. Alibi diſtinxi duplicem traditionem: alteram fidei: alteram morum. Hæc perennis morum traditio omnium Reformatarum Congregationum, & Provinciarum evidentem atque ineluctabilem efficit demonſtrationem ſolos relaxatos Fratres privati peculii propugnatores fuiſſe.

III. Pag. 454. de more ex Plantamura quædam reſcribit, quæ Congregationum originem ſpectant, ſuis tamen fabulis, & dicteriis immixta. *Congregationis nomen*, inquit, *ſero in Ordine noſtro auditum eſt .... Quæ res, utpote in Ordine nova nonnullas Raymundo moleſtias intulit. Videbatur enim hac novitate Ordo, qui eatenus individuus fuerat, utcumque ſub rigidioris Diſciplinæ zelo, & perfectioris vitæ ſpecie dividi, ac diſcerpi.* Fallitur Clauſtralis noſter. Congregationes non *rigidiorem*, aut *perfectiorem* diſciplinam quampiam amplexatæ ſunt, ſed illam ipſam, quam S. Patriarcha Dominicus præſcripſit, quam omnes ejus Ordinis profitentur, & qui eamdem non ſervant, a propriæ profeſſionis debito deſciſcunt. Pergit Clauſtralis Magiſter. *Porro adeo neceſſaria viſa eſt Plantamuræ hac Congregationum Inſtitutio, ut fidenter*

denter dicat, ajatque impoſſibile prorſus, nedum difficile fuiſſe aliter collapſum Ordinem reparare, ac priſtino decori reſtituere. Hinc diſcrimen ponit inter Provincias & Congregationes, quod iſtæ rigorem Diſciplinæ cuſtodiant, laxent remittantque illæ: quaſi vero non ſint in Ordine noſtro & Provinciæ ſtrictioris obſervantiæ &c.

IV. Ut, quam ſibi Clauſtralis noſter in ſinceritate ubique conſtet, ſemper pateat evidentius, pauca verba tranſcribo ex Plantamura, qui hæc habet pag. 172. „ Quid refert antiquas Conſtitutiones Congregationum vocem „ non prodere, ſi rem ipſam, ad quam ſignificandam ſunt inſtitutæ, ubi„ que habentur . . . . . . Tempore, quo antiquæ Conſtitutiones con„ ditæ fuere, omnes Religioſi eamdem obſervantiam Regularem pro„ fitebantur. Collapſa diſciplina Regulari, Religioſi illi, qui pro„ miſſas Deo leges ſervare cupiebant, in peculiares Congregationes „ diſtribuebantur. *Quod ſi Congregationis vox non arridet, haud admo„ dum contendemus, ſi Religioſorum cœtum Regulæ, & Conſtitutionum obſer„ vatorem Provinciam, ejuſque Vicarium, Provincialem appellare velit. Nec „ enim voces, aut nomina, ſed res nos ſollicitos habent.* „ Qui hæc ſcribit, illigat ne uni Congregationis voci obſervantiæ Regularis privilegium? Vocentur Congregationes, vocentur Provinciæ illorum Societates Fratrum, qui vota Deo nuncupata, & propriæ profeſſionis leges obſervant, perinde eſt. Sola Regulæ & Conſtitutionum obſervantia argumentum eſt diſputationis; ſecus voces, & nomina. Quæ de Congregationibus S. Mariæ *Sanitatis*, & Sancti Marci de Cavottis ibidem narrat Clauſtralis Author, non arridebunt ſuo Commilitoni Magiſtro Vindici.

V. Iterum Clamat Author Clauſtralis pag.455. *Ne plura heic dicam, hoc unum ex Plantamurana deblateratione colligo: Si ex ſuggeſtu, & ubique inculcetur laxatorum contubernium vitandum eſſe: ergo Benedictus XII. qui Congregationem S. Sabinæ Provinciæ utriuſque Lombardiæ ejus Matri, a qua divulſa erat, conjunxit, ingentis criminis incuſandus eſt, atque arguendus, ut qui contra legem naturalem, Divinam, & contra ſenſum communem laxatis Obſervantes adjunxerit. Cautius Frater, cautius, & prudentius.*

VI. Audiſtin? Dum omnes prudentiæ & cautionis leges peſſundat, prudentiæ uſum inculcat. *Relaxatorum* ergo contubernium eſt Provincia ſua? Quas luere pœnas debeat apud Patres eoſdem ob hanc illis *relaxationis* dicam impa-

ctam,

ctam, non facile eſt divinare. Ut hos Fratres reformaret Benedictus XIII. Congregationem S. Sabinæ Provinciæ utriuſque Lombardiæ conjunxit. Peroptime. Et quia experientia compertum fuit dictam Provinciam, verbis Clauſtralis noſtri prudentiſſimis utor, reformari noluiſſe, Clemens XII. obſervantem Congregationem a Provincia ſeparavit, ne Reformati a Deformatis in relaxationem pertraherentur. Numquam hæc ſcriberem, niſi Adverſarii prudens ſcribendi ratio ad id me cogeret.

VII. Alterum ſuæ in rebus propriæ Provinciæ eruditionis argumentum exhibet pag. 467. *Litem hanc adverſus Provinciam NOSTRAM inſtituit ſæculo XV. Longobardica Congregatio Clauſtralis Diſciplinæ pervigil cuſtos*. Provincia iſthæc, R. Magiſter, ſæculo XV. necdum in lucem eruperat. Sæculo tantum Poſteriore, eam, extincto Congregationis nomine, in *Reformatam* Provinciam erexit Clemens Papa VII. an. 1531. ut teſtatur Capitulum Generale Romæ celebratum anno 1532. *Denuntiamus Sanct. D. N. Clementem Papam VII. Congregationem Lombardiæ erexiſſe in Provinciam utriuſque Lombardiæ Reformatam*. Initium ergo iſtius *Reformatæ* Provinciæ cœpit ſæculo non XV. ſed XVI. Quomodo ergo Congregatio Longobardica litem intentare poterat Clauſtralis Magiſtri Provinciæ, quæ nondum erat? Sæculo XV. duæ erant Provinciæ Lombardiæ, Superioris nempe, quæ nunc S. Petri Martiris dicitur, & Inferioris, quæ nunc S. Dominici Venetiarum appellatur. Titulo *Reformationis* ſeu obſervantiæ Regularis ab utraque Provincia ſeparati Conventus fuere, quibus coaluit olim Congregatio, quæ nunc Provincia *Reformata* utriuſque Lombardiæ nuncupatur. In ultimo Generali Capitulo Bononienſi anni 1726. decretum eſt, ut Conventus ab aliqua Provincia titulo Reformationis ſeparati, reſtituantur ſuis antiquis Provinciis, facta hypotheſi, quod in iiſdem obſervantia Regularis non vigeat. Via patefacienda eſſet, qua Reformatio in iſtius Provinciæ Conventus invecta fuit. Qua ratione, expulſis fratribus *laxatis*, Reformati, ſeu Obſervantes introducti fuerunt anno 1449. in iſtud, in quo degit Adverſarius, Veronenſe Cœnobium, conſule Bullarium Ordinis tom. 3. pag. 271. Heinc colligat quanta ego ſileo, quæ illi negotium faceſſere poſſent: & quantum ſit de ſua Provincia male mentis, eorum movendo mentionem, quæ tenebris ſepelienda erant. Silentii mei cauſa non ille, ſed perampla Provincia laudata de me optime meritus, a qua plura ſuſcepi beneficia, & in qua plurimi Patres peculiari amicitiæ fœdere juncti mihi ſunt. Quare tuis verbis huic animadverſioni finem impono.

pono: *Cautius Frater, cautius, & prudentius*, pluſque in rebus Ord. ſtudii atque peritiæ.

CAPUT IV.

De Comitiis Generalibus, aliiſque documentis in favorem peculii allatis.

ANIMADVERSIO V.

I. Clauſtralis Magiſter cap. III. Diſſert. VII. a pag. 430. tranſcribit textus omnes, quos ſuus Magiſter Pornaſius eruit ex Comitiis Generalibus, ut peculii corruptelam licitam oſtenderet. Carolus Antonius Plantamura *in ſuo Commentario Hiſtorico-Apologetico Diſſert. II.* penitus contrivit, atque in fumum amandavit quæ hic opponuntur. Diſpendium operæ facerem, ſi iterum laudatos textus ſub examen inducerem. Legatur citata Diſſertatio Plantamuræ, & ea quæ dicta ſunt ſupra *Diſſert. I. cap. XI. & Diſſert. II. cap. VI.* §. *IV.*

II. Inſtrumenta Notariorum, quæ adjicit Clauſtralis *loc. cit. cap. IV. a pag.* 447. tranſcripta ex vita B. Benedicti XI. ab Erudito Cl. Viro Canonico Scotto in lucem edita, non plus corruptelam peculii evincunt, quam *Capſela* Venerabilis *Bedæ*. Et ut novum prodamus eruditionis Clauſtralis noſtri argumentum, pauca ejuſdem verba tranſcribo ex cit. pag. 447. ubi reſcripto Caſtellani Novitii teſtamento, hæc ſubdit: *En Frater Dominicanus, Profeſſum fuiſſe nullus dubito, Bononiæ Studiorum cauſa morabatur, qui Ordinem ingreſſus bona ſua communia non fecerat, ſed SERVATO SIBI TESTANDI JURE, tale per nuncupationem condidit teſtamentum.* Regularis profeſſus ſua bona communia non facit? Quin *jus ſibi teſtandi* reſervat, & *viginti quinque* (pergit Clauſtralis) *libras parvorum Venetorum Nicolao Bocaſſino ſexenni adhuc popello Ordinem ingreſſuro ex aſſe relinquit?*

III. Non minus perperam, & inepte obtruduntur alia inſtrumenta Notariorum, in quibus quædam exigua bona, ut cappa, veſtis, & ſimilia huic, vel illi Fratri legata fuere. Ex eleemoſynis vivebant Fratres a fidelium piorum liberalitate collatis. Probandum erat hæc bona intuitu hujus, aut alterius Fratris relicta, non fuiſſe in rem communem collata.

IV. De donatione quorumdam librorum facta Conventui Tarviſino a Ma-

giſtro Generali Nicolao Bocaſſino, nihil dicendum occurrit. Libros, quos ante aſſumptionem ad Generalatum habuit ex eadem Provincia, & forte ex eodem Conventu, quorumque partem ille ipſe lucubraverat, dedit ſuæ Civitatis Conventui. Quis inficiatur totius Ordinis Magiſtrum id præſtare poſſe? Heinc peculium colligis? B. Umbertus V. Generalis Magiſter ab Alexandro IV. impetravit Decretum, quo cavetur, ne Fratres ad Epiſcopatum promoti ſecum ferant libros, & alia illorum uſibus applicata. *Lubens audirem*, inquit pag. 452. *a dilecto Plantamura, quid præter libros habuerint tunc ad proprios & peculiares uſus privati Prædicatores?* Habebant eam ſupellectilem proprio ſtatui congruam, quæ præter libros alia comprehendit. Decretum Alexandrinum latum eſt in eos Fratres, qui, ut Pontifex loquitur, in *ſuarum præjudicium animarum* ſecum ferebant quæ propriis uſibus de communi tributa erant. Sed adæquatum reſponſum præbet Humbertus ipſe ſupra Diſſert. 2. cap. VI. §. IV. relatum.

C A P U T V.

De aliis Conſtitutionum textibus.

A N I M A D V E R S I O VI.

Sole meridiano clarius patet, vi ipſorum textuum, quos allegant Adverſarii, ſcelere proprietatis plena eſſe peculia, quæ hodie penes ipſos obtinent. Ineluctabili Demonſtratione urgentur, arctantur ſuiſmet textibus Magiſter Vindex, & Magiſter Clauſtralis *ad exterminandam, diriſque devovendam tum VITAM CLAUSTRALEM, tum Vindicias Regularium.*

I. MAgiſter Clauſtralis obtrudit *cap. V. pag.* 453. textum *BONA Fratris defuncti*, & ſophiſmata penitus convulſa recoquit. Hic plus ſolito excandeſcit, detonat, improperat, & maledicta plenis buccis jaculatur. Adverſarium ſuum Carolum Antonium Plantamura appellat *Plantatorem nugarum* pag. 465. *Hominem nugacem* pag. 467. *Ardelionem* pag. 423. Dignus tamen venia eſt Clauſtralis noſter ſubiratus, quoniam textum, quem favere crumenæ ſuæ exiſtimabat, penitus labefactatum vidit. Siquidem Plantamura palam fecit, objectum textum, *Bona Fratris defuncti* a primævo

Con-

Conſtitutionum textu toto cœlo diſcrepare. Obſequii tamen cauſa ſano in ſenſu interpretari eumdem ſtuduit: inquit enim, Conſtitutionem illam non permittere ut licitum dictorum bonorum uſum; ſed poſitione facta, quod Fratres ejuſmodi bona habeant, hæredes legitimos deſignat, formamque diviſionis præſcribit.

Adverſus hanc interpretationem furit Magiſter Clauſtralis pag. 467. his verbis: *Popelli fidem huc advoco, qui mihi candide dicat: num ſenſus laudati textus hypotheticus ſit ..... & nugaci homini aſſurgo ſtatim, doque dexteram.* Bona verba quæſo. Ad tunicati Popelli judicium confugit? An dignum ſit Tribunal iſtud, ipſe judex ſit, quoniam illud elegit. Non ſapit ad ſalivam laudata interpretatio? Sit, per me licet, falſa. At ſi falſa eſt, textum illum improbatum eſſe a Tridentino, a Clemente VIII. & cæteris Summis Pontificibus propugno. Et ſuper hoc, non cum Adverſario qui ad tunicatum Popellum ſe recepit, ſed cum quocumque Theologo, qui honeſtatis, & ratiocinii leges calleat, conferre pedem non recuſo; immo certiſſimam, quod præter morem meum dico, mihi, ſeu melius, veritati victoriam ſpondeo. Plurima alia commenta prætereo, ne alieno vitio in vitium ipſe pertrahar, atque errabundum perſequi cogar. Legeſis citatum Plantamura *Diſſert.* 2. *pag.* 85. *& ſeqq.* Piget quippe actum reagere.

II. Ne itaque tempus teramus, paucis ad incitas redigere Adverſarios lubet. Diſputandi gratia miſſa facio Decreta Concilii Tridentini, aliorum Conciliorum, Clementis VIII. Innocentii XII. aliorumque Pontificum Conſtitutiones, Regulas Monachales, & primas Ordinis ſeveriſſimas leges arctiſſimam præſcribentes paupertatem. Ad ſola Comitia Generalia, poſt laxatam anno 1348. diſciplinam edita, cauſam appello. P. Vincentius Fontana in ſuo Conſtitutionum, Declarationum, & Capitulorum Generalium volumine, *Verbo Depoſitum*, ſeu peculium Fratrum, in unum colligit omnes textus, qui depoſito, ſeu peculio privato Fratrum favere videntur. Omnes ejuſmodi Capitulorum, & Conſtitutionum textus permittunt depoſita ſive *ad duritiem cordis*, ut alias ex P. Magiſtro *Pencino* adnotavi, ſive ad majora præcavenda mala. Utut ſeſe res iſta habeat: permittunt inquam depoſitum, ſeu peculium his tribus adjectis clauſulis. Depoſita pecunia ſit *IN MODICA QUANTITATE. AD BREVE TEMPUS. AD MENSEM ET AD CERTUM USUM. NULLI DENTUR VESTES IN PECUNIA NUMERATA.* Hæc omnia præſcribunt ſub pœnis *proprie-*

tariis Fratribus debitis. Peculia, quæ hodie ſerpunt penes Clauſtrales, non ſunt ad *Breve tempus*, juxta videlicet aliquam indigentiam peculiarem, ſed ſunt *vitalitia*; ideſt ad mortem uſque, qua imminente, fit ludicrum illud & perridiculum *ſpolium*. Non ſunt ad *Uſum determinatum*, nempe pro tali libro, pro hac neceſſitate levanda; ſed ad uſus incertos, indefinitoſque, qui occurrere poſſunt. Non ſunt *in Modica quantitate*; ſed majora vel minora, prout quiſquis majori aut minori induſtria valet. Denique *Pecunias undequaque habitas infra terminum* 24. *horarum in depoſito reponant. Nullus Frater audeat tenere apud ſe pecunias ſub pœnis proprietariis debitis*.

III. Omnia Comitia Generalia recenſitis dumtaxat conditionibus depoſita peculia permittunt, declarantque, proprietarios eſſe Fratres illos, qui, his conditionibus neglectis, peculia retinent. Hæc *prima propoſitio* certa, inconcuſſaque eſt. Legatur Fontana Verbo *Depoſitum*, Verbo *Bona Fratrum*, Verbo *Pecunia*.

IV. *Secunda Propoſitio*. Univerſo Orbi compertum eſt, Clauſtrales plures perpetua habere peculia, niſi neceſſaria miſeria, & voluntaria paupertas impediat. Pecuniæ iſtæ ſunt ad uſus incertos, & quiſque crumenas incluſas lateri affixas habet, & ad ſummum magnum marſupium in arca communi deponitur. Quiſque propria, non Officialium, dextera ſuas pecunias expendit. Hæc quoque propoſitio manifeſta eſt, aliquibus Fratribus exceptis, qui memores æternæ ſalutis, præfatas conditiones ſervare ſtudent.

V. *Tertia Propoſitio*. Ergo peculia, quæ hodie ſerpunt apud nonnullos Clauſtrales, communiter ſacrilegæ proprietatis labe infecta ſunt.

VI. Non provoco Authorem *Vitæ Clauſtralis*, ut huic luculentiſſimæ Demonſtrationi, e ſuiſmet Capitulorum textibus erutæ, reſponſum præbeat. Sed oro, obteſtorque omnes honeſtos peculiorum fautores, ut præfatam Demonſtrationem ſerio animo reputent. Si peculia ſervarent terminis ab eorum legibus præfinitis, brevi fierent exactæ communitatis obſervatores. Difficilius quippe eſt, peculia iis circumſcripta terminis, quam communitatem, ſervare. Ex alia parte, ſi præſcriptas tranſiliunt conditiones, proprietatis inquinantur vitio. Nullum heinc evadendi effigium.

VII. Hæc dicta ſunt ad inſtructionem eorum, qui Votum paupertatis adimplere vellent. Quo autem excipiendi ſermone ſint Magiſtri *Clauſtralis Vitæ*, & *Vindiciarum*, penitus ignoro. An leges indicatæ peculia permittunt

ad

ad ludos, ad ſolatia intra, & extra Ordinem, ad horologia Genevenſia, & Pariſienſia, ad munera, ad oblectamenta, ad ſupellectilem argenteam? Hæc ſunt theoremata, quæ Antiprobabiliſtæ ejuſmodi ſanioris doctrinæ præfervidi buccinatores evulgant? Hi ſunt illi doctores, qui, elato ſupercilio, Probabiliſtis laxitatem improperant, laxones Caſuiſtas inſectantur? Hi ſane non argumentatione, neque ratiociniis, quibus obducto calo obſurduerunt, ſed objurgatione increpandi, juxta Apoſtoli mandatum: *Argue, obſecra, increpa in omni patientia & doctrina: erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros prurientes auribus. Et a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.* 2. *ad Timoth.* 4. Nulli porro ſeverius increpandi, duriuſque perſtringendi, quam illi, qui ſcandala ſerere, corruptelas propagare, legum obſervantiam in contemptionem adducere, plenis buccis geniſque inflatis non reformidant. In hos invehitur Propheta Ezechiel, quod propriis ſceleribus minime contenti, imperitos decipere, imbecillos pervertere, & devios a veritate in errore confirmare pertentant. *Sufficiant vobis omnia ſcelera veſtra. Eo quod inducitis filios alienos ... ut polluant domum meam .... Diſſolvitis pactum meum, &c.* cap. 44.

VIII. Abſit, ut hæc in animis habuiſſe adverſarios Authores ſuſpicemur; ſed eorum libros inſcriptos *Vita Clauſtralis*, & *Vindiciæ Regularium* præfata mala parere compertum eſt. Aut ergo ejuſmodi libros retractent, exterminentque: aut dictorum malorum Authores ſe produnt. Conſultores vero, adjutores, codicumque tranſcriptores, uno verbo, omnes qui opem ad hos libros conſarcinandos tulerunt, nullum non movere lapidem debent, ut hæc mala, quæ in Eccleſiæ proprii Ordinis dedecus cedunt, de medio auferantur. Si honeſti, eruditique homines in diſputationem revocare iterum velint, ſint ne peculia, quæ hodie communiter ſerpunt in eorum Clauſtris, crimine proprietatis infecta vi ipſorum Capitulorum, & Conſtitutionum ſuarum, manus cum ipſis conſerere non recuſo, ſpondeoque luculentiſſimis Demonſtrationibus oſtenſurum me fore, præfata peculia vi earundem Conſtitutionum proprietatis ſcelere pleniſſima.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

NONNULLÆ ALIÆ ANIMADVERSIONES IN VITAM CLAUSTRALEM.

ANIMADVERSIO VII.

Author Vitæ Clauſtralis Diſser. VIII. cap. 2. pag. 481. carpit eruditum Virum Presbyterum Venetum *Ventura* I. V. Doctorem Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Epiſcopi Veronenſis Auditorem, quod paupertatem Monaſticam ſuis juſtis terminis circumſcripſit. Eidem aurium ſurditatem exprobrare non erubuit contra Domini mandatum: *Non maledices ſurdo*. Lev. 19. Verba *Clauſtralis* exſcribenda.

„ Presbyter quidam Venetus Ventura nomine I. V. Doctor, qui quam-
„ vis aurium ſurditate non modice laboraret, Epiſcopi paucis ante annis
„ agebat Auditorem, in ſuis Tractatibus Theologicis, quos Clericis Veronenſis
„ Seminarii legebat, Clauſtralium paupertatem ad eas reduxit anguſtias, ut
„ inter Fratris cellam, & coenaculum, quod Sunamitis mulier Eliſæo Prophetæ
„ conſtrui fecerat, diſcrimen nullum, nullamque poſuerit diverſitatem;
„ ut idem prorſus, ejus ſententia, eſſet & prætereuntis peregrini hoſpi-
„ tium, & manentis Monachi habitaculum, in quo ſcilicet parvum & durum
„ quoque lectulum, menſa, ſella, & candelabrum tantummodo reperiantur,
„ & ad plus, quia Clauſtrales Chriſtiani, & Orthodoxi ſunt, nonnullæ Jeſu
„ noſtri, B. Virginis, aut alterius Sancti chartaceæ Imagines. Ita utriuſque
„ juris Doctor Ventura ignarus Monaſticarum rerum, & imperitus, cujus
„ egregiam didaſcaliam quum quidem ex ejus auditoribus erudito ac pio
„ Clauſtrali aliquando objeciſſet, perbreve hoc & ſcitum accepit a viro
„ naſuto reſponſum: *Dite a codeſto voſtro Maeſtro, che noi Regolari faccia-*
„ *mo bensì voto di povertà, ma non di miſeria*. Dic huic tuo Præceptori,
„ facere equidem nos Clauſtrales paupertatis votum, at neutiquam miſe-
„ riarum. „

Hæc eſt Fratris Mendicantis in Epiſcopum, a quo facultas mendicandi poſtulatur, ejuſque Auditorem modeſtia, officiumque? Surdum ne Auditorem ſibi delegit Epiſcopus? *Juris utriuſque Doctor Ventura Monaſticarum rerum ignarus, & imperitus*. Cur ſodes? Quod vellet Monachi *habitaculum*

in quo

in quo parvum, & durum lectulum, menſa, ſella, candelabrum tuntummodo reperiantur, & ad plus nonnullæ Imagines chartaceæ. Quid, ſi Sanctiſſimus Patriarcha Dominicus pauperiorem adhuc cellam præſcriberet? Inverecundam propriæ paupertatis Deo ab ipſo votæ irriſionem quammaxime opportune verberant omnes S. P. Dominici Biographi, quos inter celeberrimus Flaminius in ejuſdem S. Patriarchæ Actis hæc ſcribens: *In extruendo Toloſano S. Romani Cœnobio, quod primum fuiſſe Prædicatorum Ordinis Monaſterium diximus, diligentiam adhibuit, ut ad illius tanquam propoſitam OMNIBUS formam cætera extruerentur. In quo digna memoria quædam non tacebimus. CUBICULA ſingulorum [cellas vocant] ſex tantum ut eſſent pedum inſtituit, ubi fulcra lectuli ex cratibus fierent, cum ſcamno ubi legere, ſcribere, ac ſtudere poſſent. Sed OMNIA VILIA, & humilitatem, ac paupertatem indicantia. Ipſa vero cubicula eſse aperta juſſit, ut qui intus eſſent a prætereuntibus conſpici poſſent. Locum præterea eſſe voluit, in quo veſtes OMNIUM reponerentur, quæ ut VILES admodum, & COMMUNES omnibus eſſe JUSSIT: ſic & libros, & reliquia OMNIA utenſilia, ne cui proprium quidquam foret diceretur ve: HOC MEUM EST, ſed noſtrum.*

Quis nunc rerum Monaſticarum imperitus, & ignarus? Presbyter *Ventura*, aut Magiſter *Clauſtralis*? Quis nunc ferat *Clauſtralem noſtrum* ſibilis, & cachinnis excipientem paupertatis formam ab ipſo ſuo Sanctiſſimo Patriarcha præſcriptam? Quis ſurda aure pertranſibit tam immania paradoxa in ſui Ordinis, & Eccleſiæ dedecus evulgata? Vereor ego, ne Epiſcopi talia audientes, & legentes, adimant emendicandi ſtipem illis, qui tanto abundant, præter communes redditus, peculio, quo valeant inſtrumentis argenteis & cibos & tabacum ſumere, & ludos pecuniarios exercere, & munera pendere, & oblectamenta, deliciaſque captare. In pravos quæſtus invigilare Epiſcopos jubet Tridentina Synodus *ſeſs.* 25. *cap.* 21. Cui muneri haud deeſt Veronenſis Præſul præſtantiſſimus, qui tanta dexteritate, prudentia, zeloque ſuam regit Diœceſim, quam, hoc ipſo tempore, non ſudori, non periculis, aut laboribus parcens, ceu amantiſſimus Paſtor integram viſitat, ultimoſque montium receſſus, & præruptiſſima loca penetrat incredibili gregis ſui lætitia, animarumque proventu uberrimo, ut a viris fide dignis accepi, quodque non tam in obſequii teſtimonium, quam in veritatis argumentum ediſſero.

ANI-

Digitized by Google

ANIMADVERSIO

ULTIMA.

Plurima ſilentio obvolvo, quæ cum prudentiæ ſuæ diſpendio Clauſtralis Magiſter evulgavit. Ingens conficerem volumen, ſi ſingula illius errata recenſere vellem. Accedit, quod omnia in anteceſſum præoccupavit Plantamura, Pornaſiana commenta refellendo. Unum animadvertere juvat, & alterum, videlicet, *Clauſtralem* noſtrum omnes errores Pornaſii adoptaſse. Mirum, quod fabellam peculii affićti D. Thomæ Aquinati ſexaginta aureorum non exſcripſerit. Alterum gravi animadverſione dignum eſt, quod ea omnia, quæ ſanam doćtrinam redolent in Pornaſio, contempſerit *Eruditus Clauſtralis*. Teſtatus Pornaſius eſt, illis dumtaxat Regularibus licitum eſſe propria induſtria comparare veſtes, & neceſſaria ad vićtum, & veſtitum, quibus ob Conventuum penuriam, vel ob Prælatorum negligentiam de communi non providetur. Quid, quod nec iſtis concedit, aut cenſus vitalitios aut peculia pro ludis, ſolatiis, cæteriſque alibi commemoratis. Conventus vero *reddituarios*, quales ſunt modo omnes, exceptis Capuccinis, Reformatis, & Obſervantibus S. Franciſci, *expreſso præcepto* ad vitam communem aſtringit, ut *mandatur*, inquit, *in Regula*. Auguſtini Regula, Pornaſio teſte, ſub *expreſso præcepto* præſcribit exaćtam rerum communitatem. Hæc omnia ſiluit *Clauſtralis Magiſter:* & quod incredibile eſt, ex codice Pornaſii delevit, expunxitque graviſſimum iſtius Doćtrinæ punćtum. Quod in illius dedecus cedere nemo eſt, qui non videat, niſi & errores corrigat, & textum priſtinæ integritati ſuæ reſtituat. Verum de his pluſquam ſatis.

DIS-

DISSERTATIO SEPTIMA.

Adverſus VINDICIAS in cauſa Paupertatis Monaſticæ editas Neapoli MDCCXL.

CAPUT I.

Synopſis Doctrinæ, quam in Vindiciis Regularium Regius Profeſſor defendit.

I. Cum primum *Vindicias Regularium in cauſa Paupertatis Monaſticæ* legere licuit, ſi immotum me negem, mentiar. Quin neminem eorum, quibus ſana Doctrina cordi eſt, illas ſine faſtidio legiſſe inaudivi. Earumdem errores cum ſuis cenſuris univerſo Operi præmittere veluti prolegomena decreveram. At lecta *Vita Clauſtrali* expedientius reputavi iſtius Operis errata, utpote graviora, & perniencioſiora, in una diſſertatione Præliminari collecta, primum omnium lectorum oculis objicere, rejecta in hunc locum præſenti Diſſertatione. In hac enim, quemadmodum in illa, peculiares *Magiſtri Vindicis* aberrationes, & errores refutabo, ut nihil indiſſolutum remaneat; minime vero, ut eumdem recriminer, remordeamque. Quin, ut illius, quatenus fieri poteſt, lapſus excuſem, non tam ei illos culpæ verto, quam breviſſimo temporis intervallo, quo lucubratiunculam ſuam ad lucernæ lumen effuſam, atque extempore Notariis dictatam in publicum emiſiſſe, ille ipſe fatetur, hæc ſcribens pag. 246. „ Finem operi impono, quod *tam celeri manu* fuit conſcriptum, *di-* „ *ctatumque*, ut de eo dicere poſſim, quod olim de alio *id genus* opuſcu- „ lo abs ſe compoſito S. Hieronymus inquit. „ *Extemporalis eſt dictatio*, „ *& tanta ad lumen lucernulæ facilitate profuſa, ut Notariorum manus lingua* „ *præcurreret, & ſigna, ac furta verborum volubilitas ſermonum obrueret: quod* „ *iccirco dixi, ut qui non ignoſcit ingenio, ignoſcat vel tempori*. „ Quid plura? Non modo ut Hieronymum cucurriſſe, ſed ut aquilam in ſcribendo, ſe volitaſſe teſtatur pag. 165. *Currente nedum, ſed VOLANTE calamo*

ſcribo, ut citius vendicem STIGMATIZATOS Monachorum Ordines. Heus tu! Siccine prodis cauſam tuam? Controverſiam graviſſimam, aleæque plenam *volante calamo* ſcripſiſti? Qui hæc legunt, ſuſpicantur, illum talia effari, non ut *ſtigmatizatis* ſuis Monachis balſamum porrigat, ſed ut animo ſuo exiſtimationis acquirendæ acri thyrſo *ſtigmatizato* oleum infundat. Subdunt. Volavit calamus? Volavit ergo & cerebrum. Volanti quippe calamo prævolare cerebrum debet. Verum derelinquamus hominem, inquit Marcus Tullius in Piſonem, *volitantem gloriæ cupiditate, ut volitet vivus per ora virum*. Parcamus ergo ei, ut ipſe poſtulat. Parcat utinam & Chriſtus, a cujus paupertatis ſtudio Monachos abducere pertentavit. Id ſibi in votis fuiſſe pernegabit ille. Et ego ipſe repugnare nolim. Quin adjiciam, nullo illum rixandi cacoethe, nullo retinendæ crumenulæ ardore peruſtum in arenam unum pro omnibus, non læſum, non provocatum, deſcendiſſe ad laxiſſimam peculii opinationem propugnandam. Quis illi ſcribendi finis fuerit, quodve conſilium, ipſe judex ſit. Ad me quod attinet, ſanctum illius animo inſediſſe propoſitum, ultro concedere velim. Illius mores integerrimos, cæteraſque animi dotes colo, ſuſpicioque. Nullum ſuper his mihi verbum excidere patiar unquam. Quod, ut ejus ſit alta mente repoſitum, enixe rogo, obteſtorque, ne quæ contra *Vindiciarum* errores, atroceſque accuſationes dicturus ſum; in illum ipſum jactata detorqueat. Abſit enim, ut vel unicum verbum noſtrum minus honeſtum in illum impingamus. Nec enim quæ ipſum audire, ſed quæ me ſcribere deceat, ſpectanda ſunt. Occaſione data, nonnullas *Magiſtri Vindicis* lepidas jactantis animi phraſes, gravioreſque ſcribendi formulas indicabo, non ut ſui ipſius verbis veluti attico ſale eaſdem perfricem, ſed ut inde diſcat, quam ſit neceſſaria in ſcribendo modeſtia, pudor: maturum, non *currens* non *volans* judicium. Ex hoc quippe celerrimo calamo profecta eſt ſumma illa rerum confuſio, ſalebroſa, & implicatiſſima ſcribendi ratio. Nulla in toto *Vindiciarum* Opuſculo capitum diſtinctio, nulla diſputationi ſubjecta materies certa, & præciſa: oratio ubique hjulca, & ſtrigoſa: nunquam ſibi conſtans, in qua nec pes, nec caput apparet. Quid adprobare, quid rejicere Magiſter Theologus velit, non omnibus pervium. Modo præcepta conſiliorum loco habet: modo conſilia ſpernit. Tanta porro immenſa verborum farragine omnia circum ſæpit, occluditque, ut difficillimum mihi fuerit illius ſenſa tenere, & reſerare. Quandoquidem, ut inquit Marcus Tul-

lius

lius *de Orat. lib. 3. Ita confuſa eſt oratio, ita perturbata, nihil ut ſit primum, nihil ut ſecundum: tantaque inſolentia, & turba verborum, ut oratio, quæ lumen adhibere rebus debet, ea obſcuritatem & tenebras afferat*. Poſitis tamen larvis, ad hæc revocatur capita univerſa Vindiciarum doctrina.

II. Duplicem crumenam Regius Profeſſor, ſeu duplex peculium in Cœnobia Mendicantium Fratrum invehit. Alterum *depoſitum* vocitat: cenſum *vitalitium* alterum. Tantum ne pecuniarum iis, qui ſolemni voto Evangelicæ paupertatis conſilium profitentur? Scilicet. Eccur amabo te? Fortaſſe, ut vitam alant, ut veſtitum ſibi comparent? Minime gentium. Hæc ex communi Cœnobii penu conferenda docet emeritus Theologiæ Magiſter: peculia vero privata regia liberalitate impertitur, ut ſuaviſſimo cocolatæ potu fauces refocillare ſummo mane, & exquiſitiore nicotiana pulvere nares oblectare Mendicantes Fratres valeant: ut licitis diverticulis, honeſtis ſolatiis indulgere: ut itinera exhilarandi animi cauſa arripere religioſiſſime queant. Cujuſque rei dominio ſpoliatos Regulares confitetur. Ad pecuniarum vero uſum quod attinet, in eo ſolum a laicis diſcrepare contendit, quod hi abſolute, illi non niſi accedente Prælati licentia, uti pecuniis ſuis valeant in honeſtis ludis, in lautis ferculis, in recreationibus animi, corporiſque. Paupertatem Mendicantium ab Apoſtolis originem ducere in fabulis habet, quoniam, inquit, ſi id verum eſſet, laici non ſecus ac Regulares huic paupertati devincti forent. Præceptum communionis bonorum impoſitum ab Eccleſia Regularibus conſtanter pernegat: propugnatque, hanc bonorum communionem *ſupererogatoriam* abſolute eſſe Regularibus omnibus, niſi peculiari Sacramento aliqui eidem ſe adſtrinxiſſent. Ut vero tam inſolentia paradoxa aliquo fuco obtegat, laxam quorumdam Caſuiſtarum interpretamenta, nullo examine, nulloque delectu imperitis divendit. His inſtructus præſidiis Regulas Monachales, Conciliorum Canones, Pontificum Conſtitutiones nullo negotio eludit. Peculia iſthæc, e quibus infinita profluxere in Cœnobia mala, & in quæ Patres, Theologi, Concilia, Pontifices, nulla interciſa Sæculorum ſerie, invecti ſunt, diriſque devoverunt, ſummis effert encomiis Profeſſor Regius. Bona ex iiſdem profluere magna deprædicat: reciprocam Fratrum pacem fovere: caritatem accendere: ad bonum, quod perfectius, quod divinius eſt cuſtodiendum, promovendumque, invecta ſancte aſſerit. Ampliorem pecuniarum ſummam ſacratis in Theologia Magiſtris, & Cathedrarum Moderatoribus in ſcrinio ſervandam præſcribit, non

tam ad levandam egeſtatem, quam ad ſolatia, & oblectamenta, quibus ſuſtinere ſcientiarum acquirendarum labores improbos ſtrenue valeant. Quapropter, ut animos adjiciat Fratribus ad litterarum ſtudia capeſſenda, peculiorum mercedem meditandam proponit, illiſque quam ſæpiſſime recordatur marſupia concedenda pro qualitate, gradu, & dignitate perſonarum. Olim, inquit, ſub Religionum initia, dum fervebat caritas, ad ſcientias comparandas perurgebat divinus amor, proprii inſtituti profeſſio, æternæque ſalutis præmium. Verum, deſervente nunc caritate, niſi ſpes pecuniarum alliceret animos, ſilerent Cathedræ, Gymnaſia vacua remanerent. Heinc Religioſis Laurea Theologica deſtitutis nullum privatum peculium concedit, conceptiſque verbis ſubdens, congruum haud eſſe, ut *aſinæ paſcantur, dum boves arant*. Hæc eſt totius edificii facies, hæc nativa imago. Nullus dubito, quin omnes docti hæc legentes exclamaturi ſint: Ecquid hominis, quæſo, nedum Theologi, tam abſona commenta in ſcholam Monaſticæ paupertatis invehere auſus eſt? Author *Vindiciarum* præfata omnia diviſim, quæ ſub unica oculorum acie propoſui, edocet: & niſi propriis Vindicis Magiſtri verbis eadem probavero, ſponte cadere cauſa velim.

CAPUT II.

ERROR PRIMUS.

Author Vindiciarum negat præceptum vitæ communis privati peculii vacuæ.

I. DOctor Theologus in calce Vindiciarum (*a*) hæc fatur „ Quia Apologeticum ſcripſi, ex quo faciliter potuit lædi Amicus, & Frater „ noſter, ſciat dilectiſſimus Sodales, quod non ad vindictam, ſed ad *vindiciam* ſcripſi... *Errores*, quos in eo carpſi, quia *errores* hominum ſunt, „ & *menda* ſcriptorum, non ad confuſionem ejus, ſed ad veritatis notitiam „ detexi. „ Homo verax, antequam errorum cenſuras inureret adverſario ſuo,

(a) *Pag.* 247.

ſuo, debuiſſet errores, quos exprobrat, perſpicue in lucem prodere. Ne in eumdem ego Scopulum incidam, illius errores propriis ipſius verbis exſeribere decrevi. Et primum omnium, quæ adverſus communis vitæ exploratum, compertumque præceptum evulgavit, ſub oculos reducam. Negat igitur, atque pernegat Regius Profeſſor dari præceptum, quo teneantur Regulares ad vitam communem a peculii privati labe integram ſervandam. Et quoniam incredibile videtur, virum Theologum potuiſſe præceptum, communi, & unanimi Theologorum conſenſu munitum, de medio tollere; illius propria verba referenda ſunt. Porro hæc ſcribit adverſus Authorem Diſciplinæ Monaſticæ *pag.* 29. „ Ut Apoſtolico-Monaſticam Diſciplinam a „ Monachis omnibus *ex præcepto* ſervandam Eccleſiaſtes oſtendat, plura in „ medium producit ...... Primo igitur S. P. Auguſtino adjudicat Regu- „ lam .... ut inde non ignobile formet argumentum ad evincendam ne- „ ceſſitatem præcepti .... idemque pariter *præceptum* ex Regula S. Benedi- „ ƈti probare conatur. Sed *utrumque procul a vero*. pag. 29. Cur ergo in „ præſentiarum amicus adigere cogit Monachos ad obſervandam *ex præce-* „ *pto*. pag. 112. N. Eccleſiaſtes adſeveranter, & pluſquam cenſoria poteſta- „ te adſtruit .... omnes, qui S. P. Auguſtini Regulam profitentur, vel ſe- „ cundum ejus Regulam ad ſtatuta proprii Ordinis ſe adſtringunt, teneri „ *ex præcepto* ad eam bonorum communionem ſervandam, quam ipſe pro- „ pugnat. Verum .... *Rigide nimis* amicus ſentit. pag. 33. Grave nimis „ *Præceptum* indixiſſet, & oneroſum procul dubio jugum ſuper earumdem „ colla impoſuiſſet M. Pater, ſi fœminis jam Deo per vota obſtrictis, hanc „ exactam communem vitam *præcepiſſet*. pag. 35. Reponet fortaſſe exactam „ communionem bonorum eſſe ſervandam. Concluſio utique etſi ratione „ materiæ ſancta, ſed *SUPEREROGATORIA*, inlegitima tamen eſt „ ex vi formæ. pag. 106. Peccant quidem id genus Regulares, & inexcuſa- „ biles ſunt. *Non quidem ex præcepto Eccleſiæ obſtricti.*' „ pag. 242. *Vita communis commendatur a nobis, ſed non adſeritur præcepta. In ind. Verb. vit. com. pag.* 29. *&* 113. Quid plura. Negat Theologorum aliquem docere vi præcepti ad communem vitam Regulares adſtringi: ſi (inquit) *unum aut alterum, nimirum Dionyſium Carthuſianum, & Joannem Gerſonium excipias. Reliquos vere numerare non potes, nec tibi adſciſcere in ſocios: quum vel ii loquuntur de communi in poſteriori ſenſu accepto, ut ſub initium expendimus, vel dumtaxat obſervantiam inculcent, non præceptum adſtruant*. pag. 90. Eamdem doƈtri-

doctrinam repetit pag. 211. ubi duplicem de more diſtinguit bonorum communionem: alteram *Regularem* peculii privati fœcundam: alteram *Apoſtolicam* peculii expertem; deinde ſic loquitur: *Illa ex neceſſitate; hæc ex conſilio. Præcepta prior: ſupererogatoria poſterior, ut ſub initium adnotavimus, & non ſemel repetendo inſinuavimus. De Regulari communi vita illi loquuntur, ſecus vero de peculiari Apoſtolica diſciplina.*

II. Hactenus Regius Profeſſor, qui ſingulis fere paginis negat abſolute, præceptum vitæ communis impoſitum Regularibus eſſe. Porro ne ulla pateat ad effugium rima, duo ſummopere præ oculis ſunt habenda. Primum, nunc ſermonem eſſe de ea bonorum communione, quæ videlicet omnia ex communi patrimonio ſubminiſtrat Fratribus, quæque quodlibet peculium privatum rejicit. Secundo, ſecernenda ſunt hæc duo. Sit ne latum ab Eccleſia præceptum vitæ communis peculium excludentis. Deinde videndum, utrum aliqua occurrere cauſa valeat, quæ aliquando ab obſervatione ejuſmodi præcepti excuſet. De poſteriore puncto nullum diſſidium. Patet enim, neceſſitate urgente, præceptum non obligare. Ad primum tota reducitur cauſa noſtra. Negat Magiſter Vindex in ſuis *Vindiciis* latum ab Eccleſia hoc præceptum. Negat abſolute Regulares vi præcepti aſtrictos eſſe præfatæ vitæ communi quodlibet privatum peculium excludenti.

III. En ergo ERROREM ſcandali plenum a Regulis Monachalibus, a Conciliis, a Pontificibus duobus abhinc fere ſæculis potiſſimum improbatum. Hoc invictis, atque luculentiſſimis demonſtrationibus, quas nec aggredi auſus eſt *Vindiciarum* Scriptor, oſtenſum eſt in *diſciplina Apoſtolico-Monaſtica*, iterumque in hoc Opere confirmatum, & ab ineptis commentis vindicatum. In præſens dumtaxat ſolum expendo doctrinam, qua Regius Profeſſor negat *abſolute*, omnique ſublata hypotheſi, latum eſſe ab Eccleſia præceptum præfatæ vitæ communis. Porro, ſalvo meliori judicio, & pace Magiſtri Theologi, iterum iterumque dico, hanc doctrinam *errorem* continere manifeſtiſſimum jam ab Eccleſia improbatum. Si enim nullum eſt communis vitæ præceptum, in vanum Eccleſia a duobus potiſſimum ſæculis laboravit, laboratque in dies, ut in illa Monachorum Cœnobia revocet communis vitæ obſervantiam, in quibus collapſa eſt. Quin per ſummam injuſtitiam ſevero tremendoque interdicto recipiendi ad profeſſionem Monaſticam juvenes, ſacros Ordines mulctavit, mulctatque in dies. Injuſte eos adigit, ut ſacro jurejurando teſtentur, in Cœnobiis inſtituendorum juvenum

venum ad Religionem profitendam vigere *exactam* bonorum *communitatem*, ſi hæc *ſupererogatoria*, ut ille contendit, ſit, nulloque præcepto ad eamdem aſtringuntur Regulares. Nullus hic evadendi exitus. Aut errat Romana Sedes, injuriaque agit, dum Regulares ad exactam vitam communem adigit: Aut Liber *Vindiciarum* errorem docet manifeſtiſſimum. Tanta ne ſeveritate præciperet Tridentina Synodus communem vitam? Tot ne Conſtitutiones edidiſſent Pontifices, Congregationem peculiarem inſtituiſſent in hunc potiſſimum finem ſervandæ communis vitæ? Tot pœnas conſtituiſſent, tot turbas, rumoreſque concitaſſent, ſi *ſupererogatoria* eſſet vita communis privati peculii vacua? *ERROR* itaque *primus* exitioſus eſt Romanæ Sedi, quod eam deridendam propinet tum Hæreticis, tum Catholicis: perniciofus eſt Regularibus, quod eoſdem a vitæ communis obſervantia abducat. Hæc omnia fuſius ſupra demonſtrata ſunt.

CAPUT III.

ERROR SECUNDUS, TERTIUS, & QUARTUS.

Vindiciarum Author Regularibus peculium duplex concedendum docet. Hoc duplicatum peculium ad charitatem accendendam, bonum divinius ſervandum, ſovendamque mutuam Regularium pacem neceſſarium aſſerit.

I. PEculium, neceſſitate victus, & veſtitus urgente, Author diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ licitum Regularibus eſſe docuit omnium Theologorum conceſſione. Quoniam jus naturæ, quo jubemur vitam alere, votum antecedit paupertatis, nec eo adveniente extinguitur. Profeſſor Regius hanc doctrinam cachinnis, & ſibilo excipit, eamque ut *Rigoriſmi* fuligine, ac *Janſeniana lue* tinctam execratur. In ſola, inquit, hypotheſi neceſſarii victus, honeſtique indumenti peculium Monachis permittis? Non ergo habere duplex peculium poterunt illi, ut exquiſitiore nicotiana pulvere nares oblectent, cum non niſi minoris pretii de communi penu ſubminiſtratur? Non ut potu indico fauces demulceant, ut ſolatiis, honeſtiſque recreationibus navent operam, potiſſimum ſacrati in Theologia Magiſtri? *Vah*, inquit ille, *Zelotem declamatorem? Vah ludicrum tetricæ ſeverita-*

tis

tis buccinatorem? Sic mitiſſime effatur Regularium Vindex acerrimus. Et quoniam incredibilia doctis omnibus hæc videri poſſunt, Authoris verba de more tranſcribo.

II. Pag. 27. hæc ſcribit. „ Verum quod Religioſæ paupertati, & huicce „ abdicationi haud repugnet uſus facti, clarum eſt ..... ut nempe eidem „ Monacho, ex ſuo labore, *ſuoque peculio*, ſeu ut rectius loquar, *ad ſui* „ *uſum* deſtinato *peculio* ſuppeditetur quod Monaſterium præſtare non po- „ teſt: & NEDUM AD MERE NECESSITATI ſubveniendum, *verum* „ *etiam* ad occurrendum honeſtæ COMMODITATI, & religioſæ UTI- „ LITATI ejuſdem. Quis enim ignorat, quod librorum copia ſtudioſis di- „ gniſque Monachis ſit *jure ſummo* præſtanda, ut nobile munus exequan- „ tur, quod alter ignavus aut indoctus exequi non poterat? Quis unquam „ inficias ire poterit, eiſdem pro qualitate laboris, ad *refocillationem ſpiri-* „ *tuum*, *ad virium robur*, *&* *ad* ALIA ID GENUS, *ſubminiſtranda eſſe* „ *aut cocolatæ potionem*, *aut aliam honeſtam recreationem?* „ De librorum copia in loco dicam.

III. Pag. 65. „ Dum vero honeſtum expoſco finem, cujus gratia; ſeu „ propter quem licitum redditur depoſitum, *non ſolum omne id ſtatuo*, quod „ in commune aut proximorum, aut Conventus bonum immediate influit, „ *ſed etiam*, (ut nuper indicavi) *quod mediate in utrumque*, *aut* UTRUM- „ LIBET *cedere poteſt*. NIMIRUM *vel neceſſitatem*, *vel* UTILITATEM „ *Monachi reſervantis* ..... Execror quidem, nec ſemel, ſæpius, & ſem- „ per avaritiæ faſtum, & exceſſum eorum, qui pecunias inaniter cumulant, „ vel ut ſine debito fine, & in caſſum ſervent, velut ſuperbiant de collectis „ divitiis. „ Papæ? Ad ejuſmodi execranda opus nec eſt Paupertatis Monaſticæ voto. Illius ergo Antiprobabiliſmus ea tantum deteſtatur in Monachis, quod Chriſti Evangelium, ne dixerim jus naturæ, Chriſtianis omnibus interdicit? Sed ultra pergamus.

IV. Pag. 103. „ Ut vero quod intimius eſt non omittatur, id velim „ obſervet, qui contra nos ſtat: nimirum eam fuiſſe cauſam permittendi „ peculium, ut nempe *æquitas*, *charitas*, *juſtitia*, *&* *quies Monachorum ſer-* „ *ventur*. Pag. 104. Cauſa certe multiplex, eaque attente ponderanda, ad „ peculium ex Superiorum licentia ſervandum præſto adeſt. I. Quæ ex Va- „ neſpio adſignatur. II. Ut ſtudioſi poſſent ex labore obtinere *ſolatium*... „ Ut ergo poſſent hi incæptum cum laude perficere opus, fuit eis permiſ-

„ ſum

„ ſum depoſitum, ex quo poſſent ſibi providere nedum de libris.... Ve-
„ rum etiam in tabacco, cujus uſus hodie ad *alimoniam* pertinet, & inter
„ neceſſaria computatur: nec certe a Conventibus charitative ſuppedita-
„ tur; quia etſi aliquando alicubi detur, certe ad parſimoniam ſervandam
„ ob paupertatem Conventuum *non niſi infimæ conditionis nicoſiana diſtribui-*
„ *tur*. Quare ad capitis robur, veluti opportuno medicamine, meliori *ma-*
„ *jorisque pretii* ſalubri pulvere eget qui ſtudio incumbit: *ſicut etiam in*
„ *COCOLATÆ potione*, quæ inter *PHARMACA laborantibus NECES-*
„ *SARIA non ſemel* (Regiis ergo Profeſſoribus ter, quaterque) *reputatur a*
„ *viris charitate præditis, & vere ſapientibus*. (Quid tibi concederent, niſi
„ caritate, & ſapientia vere fulgerent!) *quia nimirum, qui nimium labo-*
„ *rant, & ſtudio ſedulam navant operam, levamine iſto egent, præcipue quia*
„ *in communi menſa parce comedunt, ne graventur, poſſintque LEVIORI*
„ *VENTRE diutius in ſtudio protrahere moras*. (Pergo porro ad reliqua)
„ *Nec non in alia QUACUMQUE HONESTA RECREATIONE* intra
„ cancellos Religioſæ obſervantiæ.. III. Ne occaſio præſtaretur *diſcolis*,
„ ſocordibus, ignavis, & otioſis inſordeſcendi in propria ſegnitie, *& de-*
„ *liciandi ex ſcelere*, juſtiſſime factum eſt, ut eis non denegarentur neceſ-
„ ſaria ad victum, & veſtitum, ſed eis carerent *commoditatibus*, quæ JU-
„ RE SUMMO non otioſis, ſed laborantibus reſpondere debent: Dum
„ enim in Conventibus jactatur illud Jobi, alio quippe ex momento ſcri-
„ ptum: *Boves arabant, & aſinæ paſcebantur*. IV. Quia revera univerſim
„ in Conventibus ea non poſſunt omnia ſuppeditari, quibus Monachi
„ egent. Et quamvis nimium ſtrepat ex adverſo ſentiens Frater noſter,
„ revera contra lunam latrat. Pag. 106. „ Sit quidem ex vitio, ex tepore
„ inductum peculium; elumbe tamen non eſt argumentum, nec ficulneum
„ momentum indulgendi peculium, quum ad bono communi providendum,
„ & ad cuſtodiendum *quod ſanctius QUOD DIVINIUS EST*, *permiſſum*
„ *fuerit peculium, & ad ſubveniendum humanæ miſeriæ fuerit depoſitum Indul-*
„ *tum*: *Verbo dicam, ex caritatis fonte licentia profluxit*. *Et non ne, ut com-*
„ *muni bono provideretur, nimirum ut virtutis aſpera ſemita teratur, ut ab om-*
„ *nibus arduum ſtudii, & laboris opus adſumatur, præmium fuit adpoſitum a*
„ *Viris ſanctis, quo adlecti facillime ad Scholaſticam Paleſtram invitarentur*
„ *Clerici Monaſticen profeſſi?*

V. Hactenus Regius Profeſſor expoſuit ſolatia, oblectamenta, recreatio-

Digitized by Google

nes, aliaque id genus momenta, ob quæ permittendum Monachis peculium ſit. Nunc ad quantitatem peculii præſcribendam amplificandamque gradum facit. Non unum, ſed duplex privati peculii genus Regularibus Mendicantibus Monachiſque impertitur. Sic enim ſcribit pag. 58. „ Ut „ vero propius ad paleſtram accedamus, citiuſque in arenam deſcendamus; „ ad incudem revocandum eſt *UTRUMQUE peculium Monachorum*, quod „ debitis explicatum terminis, moderamineque ſervato, propugnandum ag„ gredior: & primo quidem de depoſito agendo. „

VI. Antequam vero in arenam deſcendit, calamum convertit in Authorem Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ, illumque convitiis proſcindit, quia depoſitum Regularibus non concedit, ut ſolatiis, oblectamentis, aliiſque diverticulis ſeſe dedant; ſed tantum neceſſitate urgente, aut communis boni utilitate quandoque exigente. Adverſus hanc doctrinam nimium ſuæ duplici crumenæ infeſtam, hac ratione invehitur pag. 59. „ Non inficior „ quidem *amicum noſtrum* aliquod depoſitum concedere, illudque innoxium „ declarare. Verum rem hanc ipſe *ita dolabra lævigat, ad runcinam mittit*, „ *extenuatque, ut vel umbratilem tandem præſeferat depoſiti imaginem*. Pag. „ 64. & 65. „ Depoſitum ſeu peculium primi generis ultro libenterque „ permitto... quum ad bonum honeſtumque finem ſervatur nedum, ve„ rum & juxta cauſa adeſt, nimirum Religioſæ neceſſitatis, & HONE„ STÆ COMMODITATIS, quæ vel in publicum, vel in PRIVATUM „ COMMODUM cedit „. Hoc depoſiti genus defendit a pag. 65. ad „ pag. 134.

VII. Accedit tandem ad alterum peculii Monaſtici genus explicandum, propugnandumque. Iſtius defenſionem auſpicatur his verbis pag. 135. „ Sed tempus eſt, ut ad alteram diſſertationis noſtræ partem ſerio labore „ perficiendam tranſeamus, nimirum ad explicandam, vindicandamque „ alteram peculii ſpeciem, quam Monachis omnino interdictam Amicus „ adſerit, livellum videlicet, ſeu annuum cenſum, vel vitalitium proven„ tum: ſive vitalitius hic cenſus ſit ex diſpoſitione Monachi, qui ante „ profeſſionem eum ſibi reſervavit: ſive ſit ex hæreditate, vel quocumque „ alio modo etiam poſt profeſſionem ei advenerit „. In iſtius ſecundi peculii defenſione reliquam inſumit diſſertationis ſuæ partem. Duplicem ergo crumenam Fratribus Mendicantibus aſſerit. Alteram ſub depoſiti nomine: alteram cenſum vitalitium, ſeu livellum appellat. Illa pecunias excepit

incer-

incertas, quæ ex induſtria, labore, & concionibus acquiruntur: hæc penſionem, ſeu cenſum, quem *vitalitium* vocant, ſeu vitæ fratris reſervantis cenſum reſpondentem, comprehendit. Aliis verbis: prima crumena colligit pecunias, ſeu bona mobilia: altera pecunias ex bonis immobilibus perceptas conſervat. Ex his habemus Regulares, & potiſſimum Mendicantes, qui vel hanc ſua nomenclatura ſummam præferunt paupertatem, per totam vitam duplici marſupio munitos.

VIII. Porro, ſi ingentem iſtarum crumenarum ſummam deprehendere quis avet, audiat elogia, quæ in Monaſticum peculium pangit Profeſſor Regius pag. 97. „ Optarem tamen, & ſummopere quidem, ut noſter Ami„ cus ſerio perpenderet ... innumera nempe bona ex Monachorum pecu„ lio, ſeu depoſito in dies Ordini provenientia, eaque *univerſim*, aut ſal„ tem univerſim ex benignitate Superiorum permittentium Monaſticum de„ poſitum. Ab antiquis retro temporibus ad hanc uſque diem eſt obſer„ vare, *ex reſervato* a Monachis *peculio* fuiſſe ornatas, perpolitas, adau„ ctas, optimiſque libris decoratas pauperum Conventuum bibliothecas ... „ *Ex Fratrum depoſitis erectæ conſpiciuntur, vel perpolitæ marmoreæ Aræ,* „ *nobileſque Capellæ, Eccleſiæ itidem aut ornatæ, aut ædificatæ ... Ex per*„ *miſſo peculio eſt in præſentiarum obſervare Sacriſtias perpolitas, optima ſacra* „ *ſuppellectili ornatas, argenteiſque vaſis redundantes.*

IX. Hæc eſt bonorum deſcriptio, quæ ex peculiis Fratrum proficiſci docet Magiſter Theologus. Momenta nunc, quæ Fratribus calcaria addere, eorumque animos urgere ad conquirendas, cumulandaſque pecunias recenſet Vindiciarum Author, exſcribenda ſunt.

X. pag. 99. „. Hæc inquam omnia ex depoſitis Monachorum veluti „ *ex proprio limpidoque fonte* ſaluberimi rivuli, prodierunt. Quandoquidem „ eo ex momento *collecta, ſervata, adauctaque* pecuniarum ſumma fuit „ non ſine magna œconomia in præfata opera expenſa: *quæ pecunia ſi* „ *fuiſſet in rem communem redacta, certo certius fuiſſet diviſa, vel in alios* „ *uſus diſpoſita*: præſertim ubi Superiores aut non pollent induſtria, aut „ redundant imprudentia: aliove ex capite neſciunt bonum commune „ promovere. *Adde itidem & primiorem hujuſce rei cauſam, veluti fontalem* „ *originem tanti boni, nimirum peculiare ſtudium colligendi ex momento pro*„ *videndi; quia nimirum permititur id agere Monacho adquirenti, quod in* „ *communem commodum vergit. Quare, ſi hæc licentia denegaretur, aut NUL*-

Digitized by Google

„ *LATENUS ita inſudarent, aut certe non ita improbum exercerent laborem,*
„ *quo videlicet tantæ neceſſitati occurratur.*

XI. Non ergo deſudarent Monachi comparandis pecuniis, ſi hæ in rem communem redigerentur? Amor pecuniarum cumulandarum eſt illa altiſſima caritas, quæ allicit Fratres Mendicantes ad comparandas augendaſque pecunias. *Si hæc licentia denegaretur* (ſibi reſervandi pecunias) *aut NULLATENUS ita inſudarent, aut certe non ita improbum exercerent laborem?* Hæc ſane optime quadrant iis, quæ Auguſtinus ſcribit in ſua Regula, quam ille profeſſus eſt: *Nullus ſibi aliquid operetur, ſed omnia opera veſtra in unum fiant majori ſtudio, & frequentiori alacritate, quam ſi vobis ſinguli propria faceretis. Charitas enim, de qua ſcriptum eſt, quod non quærit quæ ſua ſunt, ſic intelligitur, quia communia propriis, non propria communibus anteponit. Et ideo quanto amplius rem communem, quam propria veſtra curaveritis, tanto vos amplius proficere noveritis, ut in omnibus, quibus utitur tranſitoria neceſſitas, ſupereminat quæ permanet charitas.* Verum opponit Regius Profeſſor, quod ſi pecuniæ privatorum Fratrum in rem communem redigerentur, in nihilum diperſæ evaneſcerent. Cur? quia, inquit, *refriguit charitas*, & extincto charitatis ardore, Nummorum igniculi accendere Fratrum Mendicantium animos debent ad cumulandum aurum, & argentum: Alioquin *NULLATENUS ita inſudarent.* Næ hæc eximia Clauſtralium laus, & ferventiſſima charitas, in qua Monaſtici ſtatus ſita perfectio eſt? Iſthuc ne pertinent Monachorum, ac Fratrum Mendicantium vota? Ideo ne Mundo, Parentibus, divitiis ſolemni votorum profeſſione nuntium remiſere, ut in Cœnobiis *NULLATENUS* Deo inſervirent, niſi mammonæ ſtimulis premerentur? Næ Tu egregius Regularium Vindex! *NULLATENUS* ne Monachorum Sanctitati hæc tua ſcribendi ratio detrahit? An non vides quam infamiæ labem aſpergas Regularibus omnibus?

XII. Bona, quæ peculia conſequi comminiſcitur, aut fictitia ſunt, aut frequenter plurium flagitiorum proventus. Hanc rancidulam cantinelam, quam ex aliis peculii defenſoribus nunc, ceu recoctam crambem, obtrudit Adverſarius, penitus profligavit Author *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ diſſ. 4. cap.* 10. Ex plurimis, quæ ibi allata ſunt, monumentis, tum ex ſcripturis, tum ex Patribus, & ab ipſa experientia arceſſitis, lubet unicum textum iſthuc tranſcribere ex Cl. V. P. Joanne Nyder Ordinis Prædicatorum, qui *in tract. de refor. Clauſtralium cap.* 15. hæc ſcribit. „ Ad quartam decimam obje-

„ ctionem

„ ctionem jam reſpondendum eſt, ubi reformari recuſant, eo quod per di-
„ ſpenſationes, & modos vivendi hactenus a longinquo tentos, facilius, ut
„ dicunt, procurantes res Religioni neceſsarias, ut puta, potiſſimum in Or-
„ dine Mendicantium, libri plurimi, & in omnibus Conventibus, & Mo-
„ naſteriis multæ ad habitandum domunculæ, quinimmo aulæ plerumque
„ magnæ, quæ vix aut nunquam procuratæ fuiſsent de communibus, ſed
„ facilius ædificatæ appropriatis Monachorum aut Fratrum pecuniis. Simi-
„ liter de multis picturis, & de multis Sanctorum tabulis, & ſimilibus.
„ Reſpondetur ſimpliciter negando totum. Quia olim ante lapſum Ordi-
„ nem, & hodie apud reformata loca talia, pro quanto ſaltem Religioni
„ congruunt, copioſius procurata ſunt, & hodie procurantur facilius. Qui
„ videt, teſtimonium perhibet de iis, quoad omnia pene, quæ ſunt in Ale-
„ mania reformata Monaſteria, ubi quotidie librorum coacervatur numerus,
„ ædificia reficiuntur ruinoſa, quæ apud deformata corruunt Monaſteria;
„ & favor accreſcit populi, augetur perſonarum valens numerus, & decor
„ multiplicatur ſacrarum veſtium. Qui autem domunculas ad inhabitandum
„ ſe erexiſſe gloriantur, ſi de hoc tacuiſſent, fortaſſis Philoſophi fuiſſent,
„ quia per hæc omnis Religionis deſtructio ſuborta eſt. Nam in talibus
„ privatis habitaculis fiunt commeſſationes, ebrietates, & rerum commu-
„ nitatis diſpendia, ubi quilibet non communia propriis, ſed propria com-
„ munibus anteponit. Ibi inepta ſolatia, chori neglectus, ibi detrectatio-
„ nes, & contra Prælatum murmura. Seminaria ibi inchoantur diſcordiæ,
„ & conſpirationum vitia. Et utinam non plerumque ibi forent [ſi pa-
„ ries fodi deberet] fornicationes, & voti caſtitatis præjudicia. Hæ ſunt
„ Camerulæ, quæ in Monaſteriis nonnullis jam commune deſtruxerunt dor-
„ mitorium, & regulare refectorium, cellas evacuant, & quod deterius
„ eſt, deſtruunt Oratorium, quia omnes ibi, quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ
„ Jeſu Chriſti. Ad nihilum ergo valent ſpeluncæ iſtæ latronum, niſi ut
„ mittantur foras, & conculcentur per eos, ad quos ſpectat. Audiatur præ-
„ terea Patrum ſanctorum ſententia de materia propoſita. Dicit enim ex
„ ore Iſaac Caſſianus in Collationibus Patrum: Quidquid neceſſitatem victus
„ quotidiani, & inevitabilem uſum carnis excedit, ad ſæcularem definierunt
„ curam, & ſollicitudinem pertinere, ut V. G. cum duarum ſufficiat ve-
„ lamen tunicarum, trium, aut quatuor fieri procuramus. Cumque unius,
„ ſive duarum ſufficiat habitatio cellularum, ambitione ſæculari, atque am-

„ plitu-

„ plitudine delectati, quatuor, ſive quinque cellas, & has eaſdem exquiſiti
„ ornatus, & capaciores, quam uſus deſiderat, extruimus: quod non ſine
„ inſtinctu dæmonum fieri manifeſtiſſima nos experimenta docuerunt. Et
„ ponit ibi exemplum de Sanctiſſimo Patre, qui vidit fratrem pro curioſæ
„ cellæ extructione lapidem duriſſimum dæmonis aſtantis inſtigatione do-
„ lare: & cum ceſſare vellet Frater, dæmon ignitis facibus eum reaggre-
„ di opus perſuaſit inviſibiliter. Tandem admiratus Pater cellam intravit,
„ eique dixit: Quid operatus es? Reſpondit ille: Laboravimus contra du-
„ riſſimum lapidem, vixque potuimus illum aliquando conterere. Ad hæc
„ Senex: Bene dixiſti, potuimus; non enim ſolus eras, quando illum cæde-
„ bas, ſed fuit alius tecum, quem non vidiſti, dæmon tuus ad hoc vio-
„ lentus impulſor.

XIII. Quæ latius diſputata ſunt, in pauca contrahamus. Tria, alia inter, docet Regius Profeſſor, quæ nedum Theologorum ſpongia delenda, ſed, ut mea tenuis præfert opinio, ſevera cenſura mulctanda ſunt. ERROR PRIMUS eſt, quod relaxanda ſit paupertatis Monaſticæ lex, peculiumque concedendum, non modo ob vel privatam neceſſitatem, aut publicam utilitatem, verum etiam ob privatam commoditatem. Primum docent omnes tum Patres, tum Theologi. Auguſtinus (*a*) *Rogo vos, Fratres chariſſimi, ad vigilias matutinas ſurgite, ad tertiam, ad ſextam, ad nonam ante omnia convenite. Nullus a S. Opere ſe ſubtrahat, niſi quem infirmitas, aut publica utilitas, aut forte certa, & grandis neceſſitas tenuerit occupatum.* D. Bernardus loquens de utilitate, quæ ſit juſta diſpenſandi cauſa, inquit: *Ubi neceſſitas urget, excuſabilis diſpenſatio eſt: ubi utilitas provocat, diſpenſatio laudabilis eſt. Utilitas dico COMMUNIS, non PROPRIA. Nam cum nihil horum eſt, non plane fidelis diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.* (*b*) Qui plura cupit, legat D. Thomam, (*c*) omneſque graviores Theologos. Si nec ab ipſa chori frequentia quempiam eximit Auguſtinus, niſi propter aut publicam utilitatem, aut privatam grandem neceſſitatem; relaxabit ne ſolemne paupertatis votum ob privatam utilitatem? Regius autem Profeſſor duplicem crumenam concedendam Mendicantibus contendit ob PRI-

VATAM

(a.) *Serm. 4. in cap. jejun. fer. 1. alias fer. 18. de Verb. Dom.*
(b) *Lib. 2. cap. 4. de Conſ. ad Eug.* (c) 1. 2. *q. 96. 97.*

VATAM COMMODITATEM. Si ſubditorum commoditas privata juſta relaxandæ legis cauſa foret, actum conclamatumque eſſet de legibus, votiſque omnibus. Quænam lex, quodnam votum, quod homini non incommodet? Hic ergo *ſecundus error*, cui potiſſimum innititur *Vindiciarum* doctrina, ſevera, niſi me omnia fallunt, proſcriptione de medio tollatur oportet.

XIV. Tertius ERROR in eo eſt ſitus, quod congeminatum marſupium invectum aſſerit Profeſſor Regius ad bonum, quod ſanctius, quod divinius eſt, cuſtodiendum promovendumque. Bonum hoc ſanctius, atque divinius quodnam eſt? Commoditates, oblectamenta & recreationes honeſtæ Fratrum, inquit Regularium Vindex. Hoc eſt peculium illud, quod *e caritatis vena profluxit*. Hoc eſt illud peculium, quod Fratrum caritatem, mutuam pacem, concordiamque reciprocam fovet. Theologi omnes permiſſum peculium quandoque docent, aut ob veram neceſſitatem alendæ vitæ, publicamque utilitatem, nunquam vero ob privatam commoditatem, ut indicatum eſt. Docent peculium permitti vel ob vitanda ſcandala, & majora mala. Clamant omnes, rem eſſe periculi plenam, atque Regularis obſervantiæ relaxatæ diſſidiorum, ſimultatum, invidiæ, odiique præcipuam cauſam. Idque evidens, & diuturna experientia teſtatur.

XV. Quartum ERROREM illum exiſtimamus, qui in tertia, quam obtrudit, permittendi peculii cauſa, continetur. Revocanda ſub oculos ſunt ejuſdem verba. Tertio inquit: *Ne occaſio daretur diſcolis, ſocordibus, ignavis, & otioſis inſordeſcendi in propria ſegnitie, &* deliciandi *ex ſcelere*, juſtiſſime *factum eſt, ut eis non denegarentur neceſſaria ad victum, & veſtitum; ſed eis carerent commoditatibus, quæ* JURE SUMMO *non otioſis, ſed laborantibus reſpondere debent. Dum enim in Conventibus jactatur illud Jobi, alio quippe ex momento ſcriptum*: Boves arabant, & aſinæ paſcebantur; *non ne deſides permanent in otio reportantes commodum ex delicto? Ut ergo reſiliant a torpore, ut reſipiſcant otioſi, eis debet Religio denegare commodum, quod* SUMMO JURE *præſtatur ſtudioſis*. Heu ubi ſunt Baſilii, Auguſtini, Benedicti, Dominici, Franciſci, omneſque Patriarchæ Sanctiſſimi, qui Regulas, vel Conſtitutiones Monachales ediderunt? Audiant nunc Regularum ſuarum peregrinum commentum. *Juſtiſſime*, inquit Theologus Neapolitanus, conſtitutum ab illis eſt, ut *diſcoli*, ſocordes, ignavi, otioſi, *inſordeſcentes* teneantur ſervare ſanctiſſimam illam Apoſtolicæ communitatis legem,

quæ

Digitized by Google

quæ neceſſarium victum, atque veſtitum ſubminiſtrat. Quid Apoſtolus Paulus dixit 1. *ad Tim. 6. Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti ſumus?* Pro *diſcolis*, & *inſordeſcentibus*, atque *ocioſis* hæc Sanctum Apoſtolum dixiſse docere debet Doctor Theologus, qui præter victum, & indumenta, crumenas duas concedit omnibus ſtrenue laborantibus, quamvis ſolemni paupertatis voto aſtricti ſunt. A communi quippe vita, victum & veſtitum neceſsarium dumtaxat ſubminiſtrante, exemptos contendit Regulares omnes, qui improbum laborem ſuſtinent aut in excipiendis fidelium confeſſionibus, aut in concionibus ad populum habendis, ſed potiſſimum Laureatos Magiſtros, verbo dicam, omnes, qui non ſint *diſcoli*, *ignavi*, *ocioſi*, & *inſordeſcentes* in ſegnitie. Non me latet, Regium Profeſſorem reſponſurum fore, ſe a lege Apoſtolicæ communitatis eximere dumtaxat *ſtudioſos*: Iſti enim [inquit ille] ſunt *Boves arantes*: Cæteri vero Fratres, alia Religionis munia obeuntes, ſunt *Aſinæ*, *quæ paſcuntur* in campis Magiſtrorum, & Concionatorum. Ridicularia hæc ſunt, & publica indigna luce. Et tamen hi ſunt cardines, hæc fundamenta *Vindiciarum*. An non videt Profeſsor doctiſſimus, quam inducat in Cœnobia confuſionem, perturbationem, invidentiæ, ambitionis, faſtus, luxus, vitiorumque omnium fontem? Apoſtolica communitas a *diſcolis*, ab *inſordeſcentibus*, *ab ocioſis* dumtaxat ſervanda? Quorſum hoc? Ut vitam aſſequantur æternam? Minime gentium. Quid ergo? *Ut reſiliant a torpore*, *ut reſipiſcant ocioſi*, *eis debet Religio denegare commodum*, *quod SUMMO JURE præſtatur ſtudioſis*. Tum experrecti, factique *ſtudioſi*, ſtudere totis lacertis poterunt pecuniæ, ſtudere gloriæ, ſtudere dignitatibus comparandis. Tum JURE SUMMO debetur eis crumena duplex, *depoſitum*, & *vitalitium*, ut tunc valeant *deliciare*, ut inquit Magiſter noſter, non ex *ſcelere*, ſed *ſummo jure* ex laboribus, *ex agonibus ſcholaſticis*. Nomine quippe ſtudioſorum, non omnes ille comprehendit, qui ſtrenue diligenterque munia ſua obeunt, ut qui chorum frequentant, negotia geſtiunt Conventuum; ſed Magiſtros, Baccalaureos, Lectores, quorum tantum Laureis, & Cathedris appendit peculia duplicata, ut in loco ſui ipſius verbis dicturi ſumus, & ex recenſitis textibus exploratum eſt. Quartus hic ERROR jam ſatis ſuperque compertus eſt, quin plura addere opus ſit. Illud dumtaxat obiter indicamus, in Regulis, & Conſtitutionibus cujuſque Religionis pœnas, quibus plectendi ſunt ignavi, ſocordes, torpidique, conſtitutas eſse. Præcipitur quoque, *ut diſtribuatur*, inquit Auguſti-

nus

Digitized by Google

nus in Regula, *unicuique veſtrum a Præpoſito veſtro victus, & tegumentum, non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, ſed potius unicuique, ſicut cuique opus fuerit : ſic enim legitis in actibus Apoſtolorum, quia erant illis omnia communia, & diſtribuebatur unicuique, ſicut cuique opus fuerat*. Proviſio inæqualis ſecundum inæqualem valetudinem facienda eſt. *Quia non æqualiter valetis omnes*. Non a gradu, vel perſonæ dignitate, ſed a diſpari valetudine, debilitate, & neceſſitate arceſſenda eſt proviſionis diverſitas. Sit infirmus Clericus, ſit emeritus Magiſter, ſi plus aliis eget, plus aliis illi providendum. Et quoniam qui ſcientiarum ſtudiis vacant, non ſolent ſicut cæteri valere; ideo ſi reapſe minus valent, juxta majorem, aut minorem indigentiam providendum eſt illis, ſecus ſi fortes ſint, minimeque indigentes. Hæc porro inæqualis proviſio ex communi patrimonio præſtanda eſt: *Quia ſic legitis in actibus Apoſtolorum*. Verum plura de hoc infra.

XVI. Alios errores in allatis textibus ſerpentes prætereo, alibi excutiendos. Illud dumtaxat obiter addo, non in doctrinæ ſanæ integritatem modo, verum etiam in prudentiæ regulas graviter Doctorem Theologum deliquiſſe. Dicat quæſo quantum prudentiæ, judicii, & maturitatis emicet in his paucis, quæ ex ipſo hactenus recenſuimus? Prudentis ne viri eſt, publicis typis prodere, concedenda Regularibus duplicata pecula, ut deliciis, commoditatibus, & recreationibus fruantur? Prudentis ne viri eſt, paginis fere ſingulis ventris, & faucium cauſam promovere, atque pro afferendis Mendicantibus deliciis, & ſolatiis, quam maxime ſollicitum, acerrimumque bellatorem ſeſe habere? Fervet animus, piumque comprimere dolorem nequit: Quoniam nemo ignorat, quantum anſæ hæc ſcribendi ratio Hæreticis porrigat calumniandi Monaſtica vota. Cæterum, quod ipſis etiam Regularibus, qui aut in litterarum ſtudium ſedulo incumbunt, aut in commune bonum magnopere defatigantur, concedenda ſint congrua ſolamina: quod cum iiſdem remittenda ſit legis ſeveritas, habita ſemper propriæ profeſſionis & ſtatus ratione, nemo prudens repugnaverit. Quin addo, Regulas ipſas Monachales, & Regularium Conſtitutiones præſcribere, ut non Magiſtris modo, & Jubilatis, verum etiam omnibus Fratribus, qui aut ſtomachi debilitate gravati, vel ob inſolitos labores congruo ſolamine indigent, juxta cujuſque neceſſitatem provideatur. Illud nos in Vindiciarum Authore improbamus, quod litteris pubblicis prodiderit enarrata commenta: quod pro lege conſtituerit duo peculiorum genera, alterum vitali-

tium, alterum adventitium, quibus Fratres valeant ſibi ſolatia, & commoda comparare.

CAPUT IV.

ERROR QUINTUS, SEXTUS, & SEPTIMUS.

Profeſſor Regius in titulum diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ invehitur. Negat communitatem Regularium ab Apoſtolis originem ducere. Duplicem diſtinguit communitatem: alteram Apoſtolicam, alteram Regularem.

I. ET ut a levioribus incipiam, hæc ſcribit Adverſarius pag. 20. „ His ergo prænotatis, ut propius ad palæſtram accedam, & citius in arenam deſcendam, oportet. Verum .... prius *criterium* Tituli ſeu Epigraphis adhibere lubet, ut ad lydium lapidem plene probatum, cujus ſit pretii dignoſcatur „. Quodnam *criterium* quæſo ſecum defert titulus, ut illud adhiberi valeat in palæſtra, & in arena? Fortaſſe ſenſus illius animi eſt, ſe velle ad critices leges libri titulum exigere. Ejuſmodi autem titulus eſt:

II. DISCIPLINA APOSTOLICO-MONASTICA. Vox illa ſola *Apoſtolica* materiam illi præbet tam prolixæ diſputationis, ut viginti præter propter ſui parvuli opuſculi paginas in ejuſdem inſumat examine, ſeu *criterio*. Omnes, quas infarcit animadverſiones, referre piget. Quaſdam levi manu delibabo, ut intelligat lector, quibuſcum nobis conſerendæ manus ſint. His itaque verbis ſuum auſpicatur *criterium*. „ Specioſam certe Epigraphen! „ At quæſo cur *Apoſtolicam* dixit hanc Monaſticam diſciplinam? Fortaſſe, „ ut inde inferret neceſſitatem obſervandi exactam communem vitam, quam „ pro aris, & focis ipſe propugnat, & neceſſaria Monachis adſtruat ad ſalu- „ tem? Numquid ne, ut *indiſpenſabile* præceptum vel in ipſo Operis ti- „ tulo indigitet? Toto oſtio errat Amicus, ſi ita contendit. „

III. Nec oſtio, nec via Amicus errat, quia nec præceptum *indiſpenſabile*, nec neceſſitatem obſervandi exactam communem vitam vi illius vocis infert. Quid itaque ſui libri titulo illam inſeruit? Pigere illum deberet talem inſtituere quæſtionem, cum id notum compertumque ſit vel his, qui primori-

bus

bus labris res Theologicas delibarunt? Quapropter nolo nunc illius ſatisfacere interrogationi. Sed alia, quæ ſubdit, tranſcribere juvat.

„ IV. Fuiſſe quidem Monaſticem fundatam (perſequitur ibidem pag. 10.) „ & Monachos ab Apoſtolis inſtitutos contenderunt non pauci veteres „ Theologi Hiſtoricique, vel ex Philonis monumento non bene penſato, „ vel ex teſtimonio vulgati Dionyſii Areopagitæ: aliique nimirum præju- „ dicati adſeruerunt, etiam ſub initium Eccleſiæ floruiſſe Monachos &c. „ Verum gerras ..... nemo eſt in præſentiarum, qui inficias eat, cum „ longe poſt Apoſtolorum exceſſum IV. circiter labente ſæculo Monachi „ florere cœperunt, & diu poſt per vota ſe obſtrinxerunt ad *Regularem* „ *& communem vitam*, quæ in Cœnobiis obſervatur ..... *Nulla igitur eſt* Apoſtolica inſtitutio. Nullum eorum præceptum circa exactam communem vitam, quam noſter Sodalis *Apoſtolicam* dicit.

V. Næ ille emunctæ naris Criticus? Quid hæc, amabo te, ad tituli criticen? Iſtorum ne in titulo mentio? *Si tituli criterium ſe adhibere jactat*, in tituli examine ſuſtinere gradum debuiſſet. Præterquam quod, aſſeruit ne Author *diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ* vel in toto Opere, nedum in ejuſdem epigraphe, ab Apoſtolis inſtitutos Monachos? Quin cap. VI. paucis verbis explicat, qua via ab Apoſtolico Collegio ſequentibus Sæculis in Cœnobia immigraverit bonorum communitas. Extraria ergo eſt hæc illius eruditio, & nimium inopportuna. Sed illatio, quam hinc colligit, ſub examen veniat. *Nulla igitur*, inquit, *eſt Apoſtolica Inſtitutio*. Error hic eſt manifeſtus, utpote Dei verbo aperte contrarius. In Apoſtolico quippe Collegio inſtitutam, ſervatamque fuiſſe bonorum communionem teſtatur Lucas *Act.* 4. & ille ipſe concedit pag. 12. Cur ergo aſſerit, nullam eſſe Apoſtolicam Inſtitutionem? At ſubdit, nullum fuiſſe ab Apoſtolis impoſitum præceptum. Quis hoc aſſeruit? Non certe Author diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ? Cur ergo *Apoſtolicam* dixit bonorum communionem?

VI. Priuſquam ſatisfacio interrogationi, alterum illius textum tranſcribere lubet ex *pag.* 20. „ At quæſo, ſi *Apoſtolica*, cur non obſtringit etiam laicos, „ quibus fuit indicta? Si *Apoſtolica*, cur non obligat Clericos, quibus ex præ- „ fato Actorum monumento fuit injuncta? .... Concluſio legitima eſt, nec „ poteſt ei obſiſtere qui vel ſolas *ſummuliſticas* Regulas didicit.

VII. Argutiſſime, & ad *Regulas ſummuliſticas* exactum ratiocinium. Audiat tandem reſponſum. Non tenentur laici, nec Clerici ſervare bonorum

communionem, quia paupertatis votum non ediderunt. Eidem communitati aſtricti ſunt Monachi, & Regulares, quia voverunt paupertatem, non ethnicam, non phantaſticam, ſeu hominum opinione invectam; ſed evangelicam, ſed Apoſtolicam, quam ſcilicet Chriſtus non præcipit, ſed conſuluit, quæque primitus in Sancto Apoſtolorum Collegio viguit. Apoſtolica ergo nuncupatur, quia Apoſtoli omnium primi illam ſervarunt, *quam*, inquit Angelicus 2. 2. quæſt. 188. art. 7. *Chriſtus docuit ſuo exemplo. Sed etiam Diſcipuli poſt Reſurrectionem, a quibus omnis Religio ſumpſit exordium, pretia prædiorum conſervabant, & diſtribuebant illa, prout cuique opus erat.* Intra aſylum ſuarum *ſummuliſticarum Regularium* illum hoc adorior dilemmate. Aut concedit votum paupertatis Monaſticæ, bonorumque communitatem deſcriptam in Regulis Sanctorum Patriarcharum ab Apoſtolis originem ducere, aut ſecus? Si negat: ad Novatores declinare videtur. Si concedit, ergo jure *Apoſtolica* in libri fronte inſcripta fuit. Quid ne ſuppetiarum illi afferunt Regulæ ſuæ *ſummuliſticæ*, ut elabatur? Inquiet, ne non fuiſſe ſub præcepto impoſitam fidelibus? Jam reſponſum eſt, neque in libri titulo, nec in univerſo Opere Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ errorem hunc contineri. Soli Hæretici, Apoſtolici nuncupati, quos tempore Auguſtini ſecutus eſt Pelagius, ut animadvertit Cornelius a Lapide in *cap.* 4. *Act.* & poſtea Anabaptiſtæ, hanc hæreſim docuere, conſilium Evangelicæ paupertatis loco præcepti obtrudentes. Catholicorum autem nemo hactenus docuit, communem vitam præceptam ab Apoſtolis fuiſſe Chriſtianis. Docent Patres, primævos fideles, & potiſſimum Apoſtolos, paupertatem, quam Jeroſolymis ſervabant, voviſſe. *Apoſtoli* (inquit D. Thomas 2. 2. quæſt. 88. a. 4. ad 3.) *intelliguntur voviſſe pertinentia ad perfectionis ſtatum, quando Chriſtum relictis omnibus ſunt ſecuti.* Si plura cupit, legat Cornelium a Lapide *cap.* 5. *Act.* Cardinalem Bellarminum de Monach. *lib.* 2. *cap.* 20. ubi fuſe evincunt, unanimi Patrum conſenſione, primævos Jeruſalem Chriſtianos una cum Apoſtolis paupertatem voviſſe, ſoloſque Lutheranos, & Calvinianos, Monaſticæ profeſſionis, votorumque oſores id pernegare. Quis porro hinc deduxerit, cæteros poſteriores fideles voto paupertatis aſtrictos eſſe? Si enim vota ediderunt, ſpontanea, & ut dicitur, *perſonalia* fuere, quæ nullo modo ad poſteros deſcenderunt. Ut ut autem res ita ſeſe habeat, ſcito, nos paupertatem Monaſticam appellare *Apoſtolicam*, non quia Chriſtus, aut Apoſtoli eam præceperint; ſed quia Regulares non vovent paupertatem proprio cujuſque

marte

marte confictam, ſed paupertatem Evangelicam, quam Chriſtus conſuluit, quam Apoſtoli ſervarunt. Non ſunt communioni bonorum adſtricti vi præcepti lati aut a Chriſto, aut ab Apoſtolis; ſed vi profeſſionis Monaſticæ, quo Deo ſolemni ritu ſpondent paupertatem ſecundum Regulas Auguſtini, Benedicti &c. Regulæ autem iſtæ clamant: *Sint vobis omnia communia; ſic enim legitis in actibus Apoſtolorum.*

VIII. Audiamus iterum Theologum Neapolitanum, qui eo devenit, ut neget paupertatem Monaſticam vel originem ipſam trahere ab Apoſtolis. Sic enim loquitur *pag.* 15. „ Quod ſi vero Amicus ex eo *Apoſtolicam* hanc diſciplinam adſerat, quia ab Apoſtolis primum adinventam, ex quorum magiſterio ea vivendi forma fuit Monachis præſcripta, etiam ab ſcopo aberrabit „ Ita ne vero? Paupertas Monaſtica nequit dici Apoſtolica, quod Apoſtoli eam præceperint, ut fatemur omnes: Neque quod ad eorum imitationem a Monachis voveatur. Ergo eſt humanum commentum. Ergo Profeſſor Regius eorum incurrit errorem, qui aſſerunt, Monaſticam diſciplinam eſſe vanam ſuperſtitionem. Alterutrum ergo confiteatur oportet: videlicet, aut paupertatem Monachorum originem ſuam ducere ab Apoſtolis, aut eſſe humanum inventum, ab hominibus ſcilicet excogitatum, & confictum. Si primum concedit: Ergo titulus iſte, *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica* legitimus eſt. Si ſecundum: Ergo ejus opinio Luthero, Calvino, cæteriſque Hæreticis Monaſticæ profeſſionis oſoribus blaterantibus vota Monaſtica nequaquam Apoſtolicæ Perfectionis imaginem referre, ſed hominum eſſe inventa, & præſtigia, accedere videtur.

IX. Quæret fortaſſe aliquis, cur viginti circiter paginas impleat Theologus Regius, ut deneget diſciplinam Monaſticam nuncupandam *Apoſtolicam*? Quia, reſpondet ipſe pag. 26. communitas Apoſtolica exigit, ut *ex communi cellario paſcantur, ex uno Veſtiario induantur Monachi, omniaque bona quomodolibet ad eoſdem pervenientia in rem communem redacta, cui neceſſe fuerint, præbeantur, & ita quidem exacte, ut nec depoſitum ullum, eſto debitis cancellis reſtrictum, nec peculium aliquod, quovis moderamine adhibito, nec vitalitius proventus, quolibet temperamento moderatus, indulgeatur. Verbo dicam, ita eſt ſervanda hæc bonorum communitas; ſicut olim fuit Jeroſolymis cuſtodita, & a FRATRE NOSTRO PROPUGNATA*. Fatetur ergo *Fratrem ſuum* propugnaſſe communitatem Apoſtolicam? Scilicet inquit. Quid itaque illum carpit, quod Diſciplinam Monaſticam vocaverit

caverit *Apoſtolicam?* Quia, reponit, Regulares non voveni *paupertatem Apoſtoli cam*, *& Evangelicam* duplicis peculii expertem: ſed promittunt ſervare paupertatem ſeu *communitatem Regularem* utrumque peculium habentem. Ergo, ſubdo ego, communitas Monaſtica eſt humanum inventum Apoſtolicæ communitati diſſentaneum, & repugnans. Eſt ne aliquod in *ſummuliſticis* regulis effugium, quo ſe recipiat?

X. Quin, ut evidentius palam faciam, Magiſtrum Theologum a Catholicorum doctrina recedere, dum negat communem vitam Regularium originem ſuam ducere ab ipſo conſilio Evangelico: *Vade, vende omnia*, & a communitate, quæ Hieroſolymis floruit in Apoſtolico Collegio, lubet nonnulla ex ipſo Calvino iſthuc tranſcribere. Porro Hæreſiarcha ipſe fatetur, Theologos Catholicos monaſticam paupertatem arceſſere ab Evangelico laudato conſilio. „ Verum, (inquit Calvinus *Lib.* 4. *inſt. cap.* 13. §. 13.) aliud ſuæ „ perfectionis argumentum afferunt, quod ſibi firmiſſimum eſſe putant. „ Dixit enim Dominus adoleſcenti de perfectione juſtitiæ interroganti: *ſi* „ *vis perfectus eſſe, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.* „ Et poſtquam tenebras huic textui offundere inepto ſuo commento niſus eſt, ſubdit. „ Fateor hunc locum fuiſſe a quibuſdam Patribus male intellectum, „ atque hinc natam eſſe voluntariæ paupertatis affectationem .... Quam„ quam nihil minus cogitarunt Patres, quam ſtabilire ejuſmodi perfectio„ nem, quæ poſtea a Cucullatis ſophiſtis fabrefacta fuit. „ Fatetur ergo vel ipſe Calvinus, paupertatem Monaſticam Catholicorum ſententia illam ipſam eſſe, quam Chriſtus conſuluit, quam Apoſtoli ſervarunt. Et quamquam argumentationibus non paucis in alium contorquere ſenſum Evangelicum conſilium adnitatur, tamen frons tanta ei haud eſt, ut valeat negare, antiquos extitiſſe Monachos Apoſtolicæ paupertatis, & perfectionis divinæ æmulatores. Quin id aperte fatetur, eoque ſe recipit, ut in recentiores Monachos ſuam evomat bilem, quod neget eamdem iſtorum eſſe, ac illorum paupertatem, modeſtiam, profeſſionemque. Hinc colligit, paupertatem Recentiorum Regularium humanum eſſe inventum: primos vero Monachos Apoſtolicam cuſtodiſſe paupertatem: quæ videtur ipſiſſima doctrina *Vindiciarum*. Primum exſcribam encomia, quæ Calvinus pangit Vetuſtis Monachis ex duobus libris D. Auguſtini decerpta. Inquit ergo *loco cit.* §. 8. „ „ Principio, ne quis longi temporis præſcriptione defendat Monachiſmum, „ qualis hodie eſt, notandum eſt, fuiſſe olim in Monaſteriis longe aliud

„ vi-

„ vivendi inſtitutum. Qui ſe ad ſummam auſteritatem, & patientiam vo-
„ lebant exercere, eo concedebant. (Item §. 9.) Duobus tamen præci-
„ pue locis veteris Monaſtices formam nobis depingit (Auguſtinus.)
„ libro de Moribus Eccleſiæ Catholicæ, ubi adverſus Manicheorum calu-
„ mnias ejus profeſſionis ſanctimoniam opponit : & altero, cui titulum fe-
„ cit : de opere Monachorum, ubi in *degeneres quoſdam Monachos*, qui
„ inſtitutum illud corrumpere cœperant, invehitur. Ego hic eorum, quæ
„ tradit ſummam, ita colligam, ut verbis quoque ejus, quoad licebit,
„ utar. Contemptis, inquit, mundi hujus illecebris, in *communem vitam*,
„ caſtiſſimam, ſanctiſſimamque congregati, ſimul ætatem agunt, viventes
„ in orationibus, lectionibus, diſputationibus. Nulla ſuperbia tumidi,
„ nulla pervicacia turbulenti, nulla invidentia lividi. *Nemo quidquam*
„ *poſſidet proprium*, nemo cuiquam oneroſus eſt. Operantur manibus ea,
„ quibus & corpus paſci poſſit, & mens a Deo impediri non poſſit.
„ Opus autem ſuum tradunt eis, quos Decanos vocant. Illi autem Decani,
„ cum magna ſollicitudine, omnia *diſponentes*, rationem ei reddunt, quem
„ *Patrem* vocant. Hi vero Patres non ſolum ſanctiſſimi moribus, ſed etiam
„ divina excellentiſſimi, omnibus rebus excelſi, nulla ſuperbia conſulunt
„ iis, quos filios vocant, magna ſua in jubendo authoritate, magna ipſo-
„ rum in obtemperando voluntate. Conveniunt autem diei tempore extre-
„ mo de ſuis quiſque habitaculis, dum adhuc jejuni ſunt, ad audiendum
„ illum Patrem : & conveniunt ad ſingulos Patres terna, ut minimum,
„ hominum millia. Corpus deinde reficitur quantum ſaluti, & ſalubrita-
„ ti ſat eſt, coercente unoquoque concupiſcentiam, ne ſe profundat . . .
„ *Quicquid neceſſario victui redundat*, tanta cura egentibus diſtribuitur, quan-
„ ta non ab ipſis, qui diſtribuunt, comparatum eſt. Nullo enim modo
„ ſatagunt, ut hæc ſibi abundent : ſed omni modo agunt, ut non apud
„ ſe remaneat quod abundaverit . . . . Charitas præcipue cuſtoditur. Chari-
„ tati victus, charitati ſermo, charitati vultus aptatur. Coitur in unam
„ conſpiraturque charitatem. . . .

„ §. 10. Hic autem mihi propoſitum non eſt totum iſtud argumentum
„ perſequi, ſed obiter tantum indicare, non modo quales habuerit vetus
„ Eccleſia Monachos, ſed qualis tunc fuerit Monaſtica profeſſio : ut ex
„ comparatione judicare poſſint ſani lectores, quid frontis habeant, qui ad
„ ſuſtinendum præſentem Monachiſmum antiquitatem allegant. „ Tandem
exage-

exageratis Monachorum plurium corruptelis, ſic concludit §. 16. *Hac veteris, & hodierni Monachiſmi comparatione, effeciſſe me quid volui, confido ut appareat Cucullatos noſtros ad profeſſionis ſua defenſionem prima Eccleſia exemplum falſo pratexere: quandoquidem ab illis non minus differunt, quam ſimia ab hominibus*. Miſſis nunc dicteriis, & putidis Hæreſiarchæ mendaciis, id quod mihi propoſui probandum, colligo: videlicet, doctrinam Calvini, & *Vindiciarum*, ad hoc quod attinet, non valde differre. Fatetur Magiſter Vindex *pag.* 26. Apoſtolicam communitatem, quæ in Apoſtolico Collegio, & in primævis Monachorum cœtibus viguit, cujuſque privati peculii vacuam fuiſſe. Subdit, ab Apoſtolica paupertate diverſam omnino eſſe, quam profitentur recentiores Regulares. Hanc redditibus, & pecuniis abundare in ipſis privatis Religioſis contendit. Ergo, inquit, communitas Regularium haud eſt Apoſtolico-Monaſtica nuncupanda, cum illa ab hac differat. Ultro ergo impertimur *Vindicatori* Regularium paupertatem, quam ille propugnat, redditibus, & marſupiis privatorum Fratrum in arca concluſis affluentem, haud eſſe Apoſtolicam, ſed Pſeudo-Apoſtolicam. Hac ex parte non injuria Epigraphen *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica* vellicat, carpitque. At ſciat ille, nos eam paupertatem aſſerere Apoſtolicam, quam omnes ad unam Regulæ Monachales præcipiunt. Hæ autem Regulæ eam præſcribunt paupertatem ſervandam, quæ in Actis Apoſtolorum cap. 4. legitur.

XI. Verum quid Regulas Monachales in medium affero? Illas ore rotundo rejicit Regius Profeſſor. Si meæ fidei haud credis, en illius verba *pag.* 228. *Objicit iterum Adverſarius Regulas Monaſticas*. (Quid reſponſi exhibet? Audi,) *Dato quod in Veterum Patrum Regulis expreſſe ſine ambage, & luculentiſſime pracipiatur exacta vita communis, QUID NOBIS in praſentiarum CUM ILLIS?* pag. 230. Si nihil VOBIS cum illis, nihil quoque illis vobiſcum eſt. Quid ergo, ſe Regularem virum prodit, ſi nihil ſibi cum Regulis Monachalibus, quarum princeps eſt Auguſtiniana, ad cujus amuſſim profeſſionem emiſit, commercii intercedit? At ſub hoc aſpectu alibi opportunius urgebimus argumentationem hanc noſtram. In præſentia, eo tantum fine laudatam ſententiam adduxi, ut evidentius compertum fiat, Magiſtrum Vindicem in errorem lapſum eſſe doctrinæ Hæreticorum affinem. Idque ut adhuc clarius pateant, tranſcribo id, quod pagina citata 230. ſubdit Regius Profeſſor. *Quia primitus illi hanc ſervarunt*

Apoſto-

Apoſtolico-Monaſticam diſciplinam, ideo ne ex præcepto hodie nos illam ſervare debemus, ETIAMSI NULLA FORET ADMITTENDA EXPLICATIO, *& gloſſa Regularum illarum? Certe nihil ad fides*. Scilicet lira non bene auribus ſonat, ſi pecunia deſit. Si igitur, eo fatente, diverſæ ſunt recentes Regularium leges a veterum Patrum Regulis: ſi antiqui Monachi, & Regulares ſervabant Apoſtolicam communitatem: & moderni Monachi & Regulares, illo Judice, pecunioſi ſunt; verum erit, quod ſcribillat Calvinus, *tantum diſtare recentiores Clauſtrales ab antiquis Monachis, quantum ſimiæ diſtant ab hominibus*. Ad hos allidunt ſcopulos, qui paupertatem Evangelicam, quam omnium Catholicorum conſenſu profitentur Regulares, pecunioſam cenſibus, depoſitis, deliciiſque affluentem, in privatis Fratribus propugnare contendunt.

XII. Verum ut clarius pateat, quorſum peculii defendendi libido Regium Profeſſorem impulit, nonnulla tranſcribere præſtat. Contendit in peculii uſu ejuſdem conditionis eſſe Monachos, & laicos, nec in alio differre, niſi, quod laicus abſolute, Monachus vero non niſi ex licentia Superioris pecunias diſtrahat, dummodo tamen uterque affectum a pecuniis abſtractum ſervet. Poſtulat Phariſaici ſupercilii, atque crudelis immanitatis eos, qui Monachos profitentes Regulas Benedicti, Auguſtini, aliorumque Patriarcharum, bonorum communioni aſtringit. Illius textum quamtumvis prolixum adducam *pag. 16.* „ Quin immo, ut rem penitius ſcrutemur, quamvis Chriſtus hanc exactæ abnegationis formam ad perfectionem ſartam „ tectam cuſtodiendam præſcripſerit, numquid ne æmulantibus chariſmata „ meliora peculium omne, etſi leve, quamvis ad honeſtum finem, reſervare prohibuit? *Apage commentum. Alioquin, nec in commune illud retinere, quum* „ *in communi etiam perfectio ſit a Monachis retinenda*: & occaſio præſtaretur criminandi converſationem ejuſdem Redemptoris, *qui loculos habebat*, ut ex Evangelio conſtat. Liberrime ſervandum peculium etiam Sanctis permiſit, modo removeatur affectus, & ad honeſtum finem loculos „ indulſit, qui ita ſanctioris ethices tradidit normam. Ne autem huic doctrinæ obſiſtat Eccleſiaſtes, hujuſce patronum inſignem dabo, quo vel „ ſolo in medium producto, quælibet cavillandi occaſio eliminatur. Venerabilem Bedam nimirum, cujus vel nomen ſolum laxitatis præjudicium „ evertit. Laudatus inquam Pater, dum Chriſti conſilium expendit, & normam tenendæ perfectionis ediſſerit, ita loquitur: *Ubi non hoc præce-*

„ *ptum putandum eſt, ut nihil pecuniæ reſervetur a Sanctis, vel ſuis ſcilicet,*
„ *vel pauperum uſibus ſuggerendæ, ſed ne Deo propter iſta ſerviatur, & ob*
„ *inopiæ timorem juſtitia deſeratur*. Quo nimirum ex momento, ut nuper
„ ex Beato Humberto adnotavi, primigenii credentes Jeroſolymis com-
„ munem vitam colere ſtatuerunt. At cum id Chriſtus indulgeat, non ne
„ a Monachis eliminare etiam in communi arca ſervatum, nec expenden-
„ dum ſine licentia Superioris, & non niſi in finem, & uſus hone-
„ ſtos, eſt imponere jugum Evangelio gravius, & ſævire in Monachos,
„ eoſque Phariſaico furore detrudere in gehennam? Qui in meridie non
„ cæcutit, perfecte dignoſcit Evangelicum conſilium non obeſſe pecu-
„ lio Monachorum, quos idcirco Concionator, etſi ex *zelo*, *carpit*, *vel-*
„ *licat*, *ſtigmatizat*. Non officit quidem Evangelicæ perfectioni pecu-
„ lium ad honeſtum finem ſervatum. Neque ergo officit paupertati Re-
„ ligioſæ idipſum ex licentia cuſtoditum: quum ea ſtante licentia præ-
„ poſiti Regularis, eidemque facta manifeſtatione peculii, *in pari cauſa ſit*
„ *Monachus, & laicus perfectioni addictus. Uterque Evangelicum conſilium*
„ *tenebit, modo uterque adſectum a peculio diſtrahat: & Monachus ex momen-*
„ *to paupertatis Deo per votum ſacratæ in manu Superioris illud reponat, ex*
„ *illiuſque licentia retineat*. „

XIII. In hoc verborum acervo tria dumtaxat menda notare lubet. Et ab ultimo initium capiam. *In pari cauſa*, inquit, *ſunt Monachi, & Laici in peculii uſu*, dummodo Prælati Regularis accedat licentia. *Uterque Evangecum conſilium tenebit, modo uterque adſectum a peculio diſtrahat*. Qui talia ſcribit, legit ne Evangelium? aut ſi legit, illud ne percepit? Chriſtus dicit: *ſi vis perfectus eſſe, vade & vende omnia, & da pauperibus*. Quid vendere debet? Adfectum, reſpondere ille cogitur, non divitias, non agros, quos pro cenſu *vitalitio* ſervare *jure ſummo* poteſt. *Adfectum* diſtribuere pauperibus debent Fratres Mendicantes, dum conſilium Evangelicum vovent: ſibi vero pecunias, cenſuſque in communi arca cuſtoditos ad commoditates retinere privatas? Præpoſiti accedat licentia, & omnia in tuto ſunt? Si bona fide cauſam egiſſet, illius erat prius reſpondere luculentiſſimis Conciliorum, & Pontificum documentis, quibus in diſciplina Apoſtolico-Monaſtica probatum eſt, nulla Prælatos Regulares facultate præditos eſſe ad peculium permittendum ſubditis, neceſſitate vera ſublata. Loculos, inquit, habuit vel ipſe Redemptor noſter. Loculos, repono ego, habuit & Judas: *Quia*

loculos

loculos habebat Judas, inquit, *Joan.* 13. *v.* 29. Habuit loculos Chriſtus Dominus, quibus ſui Collegii alumnis provideret, ut docent Patres omnes; & D. Thomas opuſc. 19. *c.* 6. adverſus vituperatores vitæ Monaſticæ. Cedo. Apoſtoli habuere ne loculos peculiares privatoſque? Quid ad hæc? Habuit unicus Judas. Habuit Ananias, habuit Saphira morte mulctati. En quo illum præcipitem egit argumentum a Chriſti loculis arceſſitum. Fateatur enim oportet, loculos ſuos, quos propugnat, neceſſitate ſublata, ſimiles eſſe loculis Judæ Ananiæ, & Saphiræ. Suffugiet ne ad ſuum conſuetum Abbatialis licentiæ cuniculum? Sed hoc velamen, quo tegere proprietatem nititur, jam millies a Conciliis, & Pontificibus diſciſſum eſt. ERROR alter horrorem incutit: Sub oculos revocanda ſunt propria Magiſtri Theologi verba. *Numquidne æmulantibus chariſmata meliora peculium omne, etſi leve, quamvis ad honeſtum finem reſervare prohibuit? Apage commentum. Alioquin nec in communi illud retinere fas eſſet, quum in communi etiam perfectio ſit a Monachis retinenda; & occaſio daretur criminandi converſationem ejuſdemmet Redemptoris, qui loculos habebat, ut ex Evangelio conſtat.* Ut erroris deformitatem clarius percipias, memineris oportet, nomine *peculii*, *etſi levis*, Regium Profeſſorem intelligere duas crumenas, nempe *depoſitum*, & cenſum *vitalitium*. Sub *honeſto vero fine* comprehendit *privatas commoditates*, *Religioſas recreationes*, & cetera id genus intra *cancellos honeſtatis Religioſæ*. Si dicas, hoc peculium repugnare profeſſioni Fratrum Mendicantium, qui de communi penu accipiunt victum & indumentum neceſſarium, continuo clamat: *Apage Commentum.* Inclamat, peculium iſtud neceſſarium eſſe *æmulantibus chariſmata meliora*. Si derides, vociferatur: *Si non liceret privatum, neque licitum foret commune.* Soli Hæretici, Sacrorumque Ordinum oſores blaterarunt, pecunias, aut prædia in communi repugnare perfectioni Monaſticæ. Hæc ergo argumentatio. Licitum eſt peculium ſervatum pro communitate *Cucullatorum*, ut illius voce utar: ergo licitum eſt ſingulis Cucullatis. Aut contra: Niſi liceret peculium privatum, non liceret commune. Hanc doctrinam Theologi omnes explodunt ceu manifeſtum ERROREM. Quoniam certum eſt divitias moderatas in communi licitas Regularibus eſſe. De privato peculio ſaltem ſub Judice lis eſt: Quia omnes, vera neceſſitate ſublata, illud execrantur ut voto paupertatis infeſtum.

XIV. Mira ſunt quæ ex V. Beda obtrudit Doctor Theologus. Non advertit ille, ibi Bedam non Monachos, ſed fideles alloqui omnes, qui nullo ur-

Z 2 gentur

gentur præcepto dimittendi pecunias, ſed eas & pro ſe, & pro pauperum uſibus ſervare licite poſſe? Non percipit, Venerabilem virum hortari Chriſtianos, ne ita ſolliciti ſint in conquirendis divitiis, ut ob inopiæ, & egeſtatis timorem juſtitiam deſerant, violentque? Non videtur vel primoribus labris, unquam Sanctiſſimi Patriarchæ Benedicti Regulam delibaſſe, in qua adeo hoſtiliter inſectatur ille quodcumque privatum peculium Monaſticum, ut rimulas omnes illud habendi occludat? *Ut hoc vitium*, inquit, *peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quæ ſunt neceſſaria, ideſt cuculla, tunica, pedules, caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mapula, tabula, ut omnis auferatur neceſſitatis excuſatio*... *Parentes ejus* [juvenis Monachi] *promittant ſub jure jurando, quia nunquam per ſe, nunquam per ſuffectam perſonam, aut quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occaſionem habendi*. Legat alios plures ejuſdem Regulæ textus *diſs.* 1. *c.* 7. *n.* 9. *diſcipl. Apoſt. Monaſt.* allatos. Hanc Regulam profeſſus eſt V. Beda anno præter propter 687. dum exacta ejus obſervantia mirum in modum vigens primævum ſanctitatis ſuaviſſimum odorem redolebat. Porro ſi Venerabilis Beda docuiſſet, Monachos ſuos nullo aſtringi præcepto, nulla lege dimittendi pecunias, quin illis ſuaſiſſet eaſdem retinendas tum pro propriis, tum pro pauperum neceſſitatibus levandis; nemo non videt illum extitiſſe Benedictinæ Regulæ violatorem, atque contemptorem ſacrilegum.

XV. Opponit Regius Profeſsor. Impediet ne paupertatis votum miſericordiæ, & caritatis officia in pauperes? Virtus una alterius exitium non molitur. Habeant ergo Monachi, opus eſt, pecunias, quibus non propriis modo indulgere commodis, & ſolatiis, verum etiam pauperum egeſtati ſuccurrere valeant. Id quippe exigit & gloriæ Divinæ incrementum, & fidelium ædificatio, & Regularis diſciplinæ ſplendor, præter privata eorumdem Fratrum commoda. Ne ironica quadam exageratione quidpiam affingere videamur Doctori Theologo, en ejuſdem verba pag. 99. „ Quid ultra? Ne in„ de citius removeamus pedem, ubi moras protrahere oportet. Quod ſum„ mopere adnotare debebat *Amicus*, ſed libenter omiſit, (*lege integrum caput* „ 10. *diſs.* 4. *& tu ipſe judica, quam ſis ſincerus*) prætereundum non eſt, „ quum res ſit magni momenti, cedatque in Dei gloriam, Eccleſiæ deco„ rem, fidelium ædificationem, & Regularis obſervantiæ nedum, *verum* „ *etiam in Divinæ legis cuſtodiam*. Non ne Monachi, quibus a Prælatis „ Regularibus conceditur licentia ſervandi in depoſito pecuniam ad hone-

„ ſtum

„ ſtum religioſumque uſum; ex eadem, nec ſine permiſſu eorumdem Su„ periorum, *in copioſam ſtipem* pauperibus erogant reſervatum peculium, „ quod quidem a primoribus Eccleſiæ Patribus, etiam divenditis ſacris Eccleſiæ „ vaſis, ad alimoniam pauperum jam factum novimus, & ab illuſtrioribus itidem „ Monachis Sanctorum albo adſcriptis peractum legimus, nec ſine commenda„ tione percenſetur?.. Quotve itidem agunt clam, quorum opera Mundum „ latent; ſed bene novit ille, qui in die judicii Monachis iis, quibus fortaſſe & „ indiſcreto zelo Eccleſiaſtes anathema dicit, præmium redditurus ajet: „ *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum paratum vobis ab origine* „ *Mundi. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare: ſitivi, & dediſtis mihi* „ *bibere: nudus eram, & coöperuiſtis me.* Hæc, inquam, miſericordiæ ope„ ra, eaque ita communius, atque frequentius patrarentur ne, ſi ea com„ munis exacta vita coleretur, pro qua ille decertat? Si inquam hæc Mo„ nachorum peculia actutum phyſice incorporata Conventibus in rem com„ munem redigerentur. Credat vel Judæus apella, ſed non EGO. „

XVI. Hanc doctrinam Profeſſoris Regii confutat Hieronymus in Epiſtola adverſus Vigilantium, quin immo Evangelicus ipſe textus ab eo laudatus. *Quod autem aſſeris, eos melius facere, qui utuntur rebus ſuis, & paulatim fructus poſſeſſionum ſuarum pauperibus dividunt, quam illos, qui poſſeſſionibus venundatis ſemel omnia largiuntur, non a me ei, ſed a Domino reſpondebitur: Si vis perfectus eſſe vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni ſequere me. Ad eum loquitur, qui vult eſſe perfectus, qui cum Apoſtolis Patrem, Naviculam, rete dimittit..... Nec a ſuo ſtudio Monachi deterrendi ſunt a te lingua viperea, & morſu ſæviſſimo.* D. Thomas pluribus in locis hanc eamdem opinionem refellit: quam familiarem ſemper fuiſse omnibus vitæ Monaſticæ oſoribus ſcire utique deberet Theologiæ Magiſter. Audiat Sanctum ſuum Præceptorem opuſc. 19. *cap. 6.* adverſus vituperatores vitæ Monaſticæ. *Non ſolum contentus fuit* [Vigilantius] *Jovinianum imitari conſilium de Virginitate evacuans, ſed ſuperaddere auſus eſt etiam, ut conſilium de paupertate ſervanda deſtrueret omnino.* Quo argumento impetebat Vigilantius paupertatem? Non alio, quam quo Vindiciarum Author nunc, eam inceſſit, eleemoſynarum videlicet prætextu. Si quidem D. Thomas non aliud Vigilantii argumentum refert, quam quòd narratur a D. Hieronymo. Sic enim perſequitur Aquinas. *Unde Hieronymus de eo dicit: Quod autem aſſeris, eos melius facere, qui utuntur rebus ſuis,*

& pau-

& paulatim fructus pauperibus &c. Et relato integro a nobis deſcripto Hieronymi textu, hæc continuo ſubdit. *Hic autem error per ſucceſſionem errantium uſque ad hodierna tempora pervenit: & in hæreticis quibuſdam, qui Cathari nominantur, permanſit, & adhuc permanet, ſicut patet in quodam tractatu cujuſdam deſiderii Hæreſiarchæ Lombardi noſtri temporis, quem edidit contra Catholicam veritatem, in quo inter cætera condemnat ſtatum eorum, qui relictis omnibus egere volunt cum Chriſto. Nuper autem, quod eſt horribilius, antiquus error renovatus eſt ab his, qui fidem defendere videbantur* (nihil opportunius) *qui more errantium in pejus procedentes, non ſunt contenti divitias paupertati æquare, ut Jovinianus, vel divitias paupertati præferre ut Vigilantius: ſed . . . . . . aſſerunt etiam paupertatem laudari in Scriptura non ACTUALEM, qua aliquis ſe rebus temporalibus expoliat, ſed HABITUALEM, qua aliquis rem temporalem contemnit corde, etſi re poſſideat.* Hæc eſt doctrina Magiſtri Theologi, qui, ut vidimus illius verba referentes, docet, ſatis eſſe ad pauperpatem Monaſticam, ſi *adfectu* pecuniæ contemnantur. Sed audiamus reſponſum D. Thomæ. *Ad oſtendendum autem paupertatem ACTUALEM ad Evangelicam perfectionem pertinere, aſſumatur primo illud, quod dicitur Matt. 19. Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia &c.* Quid ad hæc *Vindiciarum* Magiſter? Quid? *Suis ſummuliſticis Regulis* nullo negotio eludit tum Angelicam, tum Evangelicam Doctrinam hac ſimplici diſtinctione. Vende *omnia*, diſtinguo, inquit: Tò *omnia*, reſervato cenſu vitalitio in communi arca cuſtodiendo pro Monacho reſervante, & cum debita licentia expendendo, concedo. Tò *omnia* abſolute, & abſque ulla reſervatione *depoſiti*, & *cenſus vitalitii*, nego. Si eidem objicias omnes Regulas Monachales, & Pontificum Bullas, quæ omnia præſcribunt communia habenda; duplicem ille commentus eſt communitatem. Alteram *Apoſtolicam*, quæ peculium quodlibet rejicit, quamque ſervandam omnes Regulæ Monachales præcipiunt. Alteram, quam vocat *Regularem* duplici decoratam crumena. En illius verba pag. 28. „ In eo „ igitur dumtaxat poſterior communitas a priori diſcrepat; quod hæc peculium, debitis tamen modis, ad honeſtum finem, nec ſine licentia Superioris reſervat ad uſum. Prior vero *omnimode* ab eo abſtinet „. Fuſius hanc duplicem communitatem explicat pag. 26. Prior communitas ab Apoſtolica, poſterior a ſola ſubtilitate noſtri Magiſtri Theologi ſuam arceſſit originem. Lamentatur? Unde ergo ſua trahit primordia hæc *communitas*

Regula-

Digitized by Google

Regularis oppoſita *communitati Apoſtolicæ?* Unde? Ediſſerat: aut excogitatam duplicis communitatis chimeram deteſtetur.

XVII. Paucis exagitare iterum lubet ERROREM iſtum. Cauſæ magnitudo, ac dignitas, & gravia, quæ ex Vindiciarum doctrina proficiſcuntur ſcandala, preſſe, ut in votis eſset, nos loqui minime permittunt. Alteram igitur argumentationem audiat Adverſarius ſuis verbis paullulum inverſis confectam. Chriſtus itaque Monachos pecunioſos, qui ſuos theſauros erogant in pauperes ad Empireum invitabit? *Venite benedicti Patris mei, percipite Regnum &c. Eſurivi enim, & dediſtis manducare: ſitivi, & dediſtis mihi bibere.* Ad argumenti vim intendat animum. Si qui furarentur, ut eleemoſynas erogarent, audirent ne Chriſtum ſe invitantem: *Venite benedicti &c.* Quid furtum comminiſceris? Utique Monachi vi voti paupertatis privant ſe omnium rerum dominio, eorumque bona communia evadunt communitate dominii, ſecus communitate uſus. Nolo nunc hac illum fugientem via inſequi, ut in ſemitam propoſitæ argumentationis revocem, & ad incitas adigam. Non ne ille ipſe commendavit exactam omnium bonorum communitatem ſaltem ut quid perfectius? Nunc vero peculium præfert exactæ bonorum communitati? Error eſt ab ipſa Scriptura, & ab Eccleſia millies proſcriptus, aſſerere, quod perfectius operentur Monachi retinentes pecunias in eleemoſinas paulatim decurſu temporis erogandas, ut contenderunt Vigilantius, & ſequentes hæretici; quam eas in communi collocare. Hoc aſſerit *Vindiciarum* Author. Ergo errori accedit Vigilantii. Quod ille hoc aſſerat, ſub oculos reducamus ipſius verba. *Hæc inquam miſericordiæ Opera, eaque ita communius, ac frequentius paterenturne, ſi ea communis exacta vita coleretur, pro qua ille decertat? Si inquam omnia Monachorum peculia actutum phyſice incorporata Conventibus in rem communem redigerentur? Credat vel Judæus apella, ſed non ego.* Ne ergo opera miſericordiæ impediantur, retinere Monachi peculia ſua debent, Prælatique impertiant licentiam, opus eſt, ut in eleemoſinas eadem diſtrahant. Patet itaque, Magiſtrum Theologum vitam pecunioſam Apoſtolicæ præferre communitati. Compertum eſt, ipſum non valde a Vigilantio, Catharis, Lombardis, cæteriſque hæreticis indicatis a S. Thoma, & recentioribus Lutheranis Calvinianiſque recedere, dum eum ipſis edocet, retinenda eſſe peculia privata pro eleemoſinis erogandis. Quoniam, inquit, ſi communia fierent, *opera miſericordiæ non paterentur*: Addiderim, doctrinam Vindiciarum ultra pro-

gredi,

gredi. Vigilantius ejuſque aſſeclæ docent, non eſſe vovendam paupertatem, ut ad obeunda miſericordiæ, & charitatis erga pauperes officia, pecuniæ conſerventur. *Vindiciarum* vero Author plus aſſerit, dum poſt votam paupertatem, poſt oblatum Deo omnium rerum holocauſtum, ut inquit Angelicus, loculos eleemoſynarum pretextu retinendos docet. Securius quippe eſt, non edere, quam edita vota violare. Etiam Judas hunc ipſum prætextum eleemoſynarum allegavit, ut balſamum oblatum a Magdalena, vendendum muſſitaverit in levamen pauperum. *Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis? Dixit autem hoc, quia fur erat, & loculos habens & cæt.* Joan. 12. v. 6.

CAPUT IV.

CALUMNIA PRIMA.

Magnum plagii crimen a Regio Profeſſore Theologo afflictum Authori Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ. *Quam ſit, ſemperque fuerit quibuſque græculis hoc accuſationis genus familiare.*

I. IN medium breviter expoſitis aliquibus gravioribus mendis, quibus ſcatent *Vindiciæ Regularium*, nunc accedo ad propulſandas graviſſimas accuſationes, criminationeſque, quas nimia correptus iracundia laudatus Magiſter Regius in *diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ* Authorem contorſit. Si cauſa tractanda quampiam ſpectaret controverſiam a morum ſanctitate alienam, modeſto ſilentio contempſiſſem tum errores, tum maledicta. Verum quia iis, quæ ad mores ſpectant, Theologi fama, probitas, ſcientia, aliæque dotes non leve adjiciunt probabilitatis argumentum; idcirco operæ pretium exiſtimavi me facturum, poſt patefactos errores adverſus ſanæ doctrinæ Regulas, ea referare, quæ ad labefactandam proximi famam duplicati peculii Monaſtici *Vindex* evulgavit. Ne quis vero ſuſpicetur quidpiam per exaggerationem dictum, verba, quibus Magiſter Theologus plagii reum ſuum, quem ſibi effinxit adverſarium, poſtulat primum tranſcribo.

II. Pag. 6. „ Heinc *amicabiliter inſinuo Magnum Plagii Crimen*, Quod „ de eo *poſſem* licite ſuſpicari, quum omnia, quæ in opere ſuo continen-

„ tur,

„ tur, ſive argumenta ea ſint, ſive Scripturarum, Patrum, & Concilio-
„ rum monumenta, ſive etiam objectiones eæ ſint, ſive reſponſiones, re-
„ periantur quidem ab alio ſcripta, eaque omnia offendantur in libro
„ Anonymi cujuſdam ſcriptoris, qui anno partæ ſalutis *1696.* ejuſdem
„ argumenti librum, ſed magna moderatione conſcriptum, edidit Romæ,
„ & Innocentio XII. nuncupavit, tantaque eſt in eo, & noſtri Fratris
„ Opere conformitas, ſi ea dumtaxat excipias, quæ hic vel ad parer-
„ gon, vel *ad acumen*, & augmentum quoddam ex Vaneſpeſio, & N.
„ Natale præſertim adjecit, ut *ovum ovo* ſimilius non erit adinvenire :
„ ſed quum uterque liber ad manus ſit omnium, comparet utrumque, &
„ judicium formet qui ſapit, quum nobis ſuſpicionem indicaſſe ſufficiat,
„ aliis judicio reſervato „ . Non eſt auſus crimen aperte imponere, ſed *nobis* (inquit) *ſuſpicionem plagii indicaſſe ſufficiat*. Illi projeciſſe furti ſemen ſat eſt, ut ſuapte natura poſtea fructificet. Hæc initio ſcriptionis ſuæ: cæterum ſub libelli finem abſolute, nulloque adjecto fuco, *magnum plagii crimen* evulgat; ſiquidem in indiculo rerum notabilium, tanquam dictum præcipuum ſub litera P. hoc recenſet. „ *Plagium in Authore diſſert. de Apoſtolico-Monaſtica Diſciplina detectum*. Adeo illi cordi eſt, ut hoc *magnum plagii crimen detectum* altius lectorum mentibus ſit impreſſum, & omnibus pervium, atque exploratum, ut tanquam egregium ſui operis facinus expoſuerit meditandum, recordandumque vel in ipſo rerum verborumque indice. Ad rem.

III. Libellus circiter duodecim foliis conſtans, & vernacula lingua exaratus, cujus plagiarius poſtulatur a Regio Profeſſore Author *diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ*, hanc præfert Epigraphen. *Trattato della vita comune de' Religioſi*. Author opuſculi eſt Michael Hercole, qui illud in lucem dedit Romæ anno *1671.* P. Hiacyntho Libello adprobante. Anno *1695.* iterum Romæ tractatus iſte novis decretis ſacræ Congregationis auctus, ſummoque Pontifici dicatus, editus fuit. Ut quanta ſit *Magiſtri Vindicis* ingenuitas, atque acumen, illud ſummopere animadvertendum, libellum hunc a duodecim Regularium Ordinibus ſuorum Prælatorum calculis fuiſſe approbatum: E re mea eſſet integra cenſorum vota in doctrinæ præfati libri commendationem edita, & in ejuſdem libri fronte impreſſa, tranſcribere; ſed brevitatis gratia nomina tantum, & gradus cenſorum e vulgari lingua latine reddita indicabo. Cenſores itaque, ordine ibidem ſervato, ſunt ſequentes.

Primus eſt Dominus *LE DROU'* Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, olim Provincialis Flandriæ, Doctor Regens ſtrictioris facultatis Theologicæ Lovanienſis, ſacræ Scripturæ Lector, in Romano Sapientiæ Collegio ſtudiorum Præfectus, in Collegio Vrbano de propaganda fide, nunc Epiſcopus Porphirienſis, & Summi Pontificis Sacriſta.

Secundus, Dominus *Marozzi* Congregationis Reformatæ D. Bernardi Ordinis Ciſtercienſis olim Provincialis Pedemontenſis, Viſitator Generalis, Procurator Generalis, & poſtea Abbas Generalis dictæ Congregationis, hodie Epiſcopus Bobienſis.

Tertius, *Reverendiſſimus P. Tyrſus Gonzalez* olim Lector Primarius Theologiæ in Salmantina Univerſitate, hodie Præpoſitus Generalis Societatis Jesu.

Quartus, *P. D. Maurus Stephanozius* Procurator Generalis Romæ pro Congregatione S. Mauri Galliarum Ordinis S. Benedicti.

Quintus, *P. Magiſter Paulus a S. Ignatio* olim Provincialis Lombardiæ, poſtea Procurator Generalis, ac tandem univerſæ Religionis Carmelitarum Generalis.

Sextus, *P. Magiſter Ricci Ordinis Prædicatorum*, olim bis Romanæ Provinciæ Præfectus, Comitiorum Generalium definitor, ſacræ Congregationis Indicis a Secretis, Cleri Romani Examinator, Publicus in Romanæ Sapientiæ Collegio Theologiæ Profeſſor, ac totius Ordinis S. Dominici Procurator Generalis.

Septimus, *P. Magiſter Petrus Antonius de Rubis* Ordinis Servorum B. M. V. olim Regens in Collegio Romano S. Marcelli, & Lector Publicus in Univerſitate Piſana, hodie Procurator Generalis ſuæ Religionis.

Octavus, *P. Zacharias Roshet*, olim Provincialis, & poſtea aſſiſtens Generalis Ordinis Minimorum, hodie Procurator Generalis ejuſdem Ordinis.

Nonus eſt *Pater Antonius Palermitanus* Magiſter in Theologia, olim in Patria ac Mediolani Regens Provincialis, Siciliæ examinator Synodalis, & ſecunda vice Procurator Generalis totius Ordinis S. Franciſci.

Decimus eſt *P. Onorius ab Aſſumptione* Carmelita Excalceatus, Lector Philoſophiæ, & Theologiæ in Collegio Bononienſi, Prior Mediolani, definitor, & Vicarius Generalis, & poſtea Generalis ſuæ Religionis, Rituum, & Indicis Congregationis Conſultor.

Unde-

Undecimus eſt P. Carolus Vareſius Ordinis S. Franciſci ex Reformatis, olim Provincialis, Procurator Generalis, deinceps Commiſſarius Generalis Ordinis.

Duodenarium Cenſorum numerum claudit *P. Magiſter Fabri* Ordinis S. Franciſci ex Conventualibus, olim Regens in Collegiis Pragenſi, Bononienſi, Romano, publicus Metaphyſicæ Lector in Univerſitate Bononienſi, Provincialis, poſtea Procurator Generalis, & hodie Romanæ Inquiſitionis Conſultor.

IV. Omnium iſtorum vota impreſſa ſunt in limine Opuſculi. Omnes uno ore ejuſdem doctrinam commendant, præceptum vitæ communis luculentis munitum monumentis teſtantur. Ne multa. Iſtius Libelli doctrinam unanimi conſenſione approbant, exaltant, ſuadent tanquam veritatem certiſſimam nulli obnoxiam difficultati. Libellus tantorum virorum calculis munitus, ſapientiſſimo P. Thoma Ferrari Ord. Præd. Magiſtro Sac. Apoſt. & poſtea S. Romanæ Eccleſiæ Cardinali adprobante, Romæ ſecunda vice, ut dixi, editus eſt anno 1695. & Summo Pontifici Innocentio XII. dicatus. Summopere gratum habuit Pontifex Opuſculum, in quo Decreta, & Conſtitutiones Pontificiæ, & Canones Conciliorum pro inſtauranda communi vita, & penitus exterminando peculio, defenduntur, & propugnantur. Circiter ducentos Theologos citati Tractatus ſcriptor in ſuæ doctrinæ confirmationem allegat. Hos inter ſunt celebriores Probabiliſtæ, qui licet ad benignitatem compoſiti, præceptum communis vitæ non tam probant, quam ut certum, & extra diſcrimen poſitum habent.

V. His conſtitutis, nunc advoco *Regium Profeſſorem*, ut pedem invicem conferamus. Ille aſſerit, hos duos libros *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica*, *&* *Tractatus de vita communi* non minus ac *ovum ovo* ſimiles, & primum plagium eſſe ſecundi. Ita, per me licet, res ſe habeat. Audiat nunc quæ ſubdo. Doctrinam *Tractatus vitæ communis*, ut ex allatis textibus vidimus, omnium fere Regularium doctiſſimi atque ſupremi Præfecti Generales, & Procuratores Generales, Sapientiſſimus Cardinalis Ferrari Reformationis Monaſticæ Propugnator celeberrimus, de quo infra, & ſummus Pontifex Innocentius XII. qua ſuffragiis, votiſque editis, qua acceptatione, & commendatione adprobant, confirmant, extollunt. Iiſdem ergo encomiis, iiſdem votis gaudet *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica*, cum ſit tanquam *ovum ovo* ſimillima Tractatui *vitæ communis*. Ergo liber *Vindi-*

ciarum duo per ſummam injuriam imponit Adverſario, nimirum & plagii crimen, & quod obnubilaverit Regularium ſplendorem, illorum detraxerit famæ, eoſque ad tartareas flammas detrudere, Monachoſque omnes tentaverit *ſtigmatizare*. Audiat iterum ille, qui *ſummuliſticas* regulas in deliciis habet. Aut doctrina *Diſciplinæ Monaſticæ* eadem eſt, ac Doctrina *Tractatus vitæ communis*: aut ſecus? Si eadem: Ergo falſitas eſt, quod Regularibus detrahat, quod eos infamet, quod eos *ſtigmatizet*, quod eos *ſcommatizet*, ut ille aſſerit: cum ſit eorumdem Regularium ſaltem præcipuorum calculis confirmata. Et hac in poſitione *liber Vindiciarum eſt libellus famoſus*. Si doctrina eſt diverſa: Ergo calumnia eſt, quod Author Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ ſit *Plagiarius*. Quo referendus illi ſit pes, meditetur. Intcrim ego aliud promo impactæ falſitatis argumentum.

VI. Si Opus *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ* plagium eſt *Tractatus de vita communi*, ut quid, amabo, tot rumores ferere, tot concitare turbas? Cur Cælum Terramque miſcere, cur læſam Monachorum famam vociferari, cur calamos ſtringere, ne dixerim enſes? Medium jam, & amplius elapſum eſt ſæculum, a quo editus bis Romæ fuit *Tractatus vitæ communis*. In tanto annorum intervallo ex immenſo Monachorum Cœtu nemo unus in illum calamum acuit? Si doctrina iſtius libri infamiæ labem aſpergeret Regularibus, ſi plus juſto eos gravaret, fieri ne potuiſſet, ut ex tanta Monachorum multitudine nullus inſurrexiſſet ad redimendas animas, ad propulſandam conflatam invidiam? Dumtaxat poſt ſeptuaginta annos Theologus Neapolitanus erupit, qui exagitatis Monachis tabulam præberet, & anchoram: qui *Tractatum vitæ communis* confutaret, & Monachorum famæ detrahentem oſtenderet, evinceretque? Quid mihi, inquis, *Tractatum vitæ communis* objicis? Ego non in hunc, ſed *in Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica* Doctrinam ſtrinxi calamum. Ita ne vero? Non eſt ergo eadem utriuſque Operis vis, neque eadem ratiocinandi forma? Non eſt ergo utrumque Opus tanquam *ovo ovum ſimillimum?* Eſt igitur ex propria confeſſione argumentorum vi extorta, manifeſta, explorataque falſitas, quod Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica ſit *Plagium* ex Tractatu vitæ communis conflatum. Et ſane niſi Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ Doctrina ad incitas redegiſſet: niſi omnia ſophiſmata, fucos, ſtrumaſque, quibus tegi *proprietatis* vitium ſolet, penitius contriviſſet: ſi nihil fortius, nihil urgentius, quam *opuſculum vitæ communis* produxiſſet; nunquam tantum

irarum

irarum clamorumque in adverſariis excitaſſet, nunquam illis fuiſſet in cauſſa, ut fœdera ad defenſionem, & offenſionem mutua inirent, ut Apologeticos libros ederent . Sed quemadmodum medio & amplius ſæculo Monachorum nemo bellum indixit *Tractatui vitæ communis* ; ita & iſti alto ſilentio prætcriiſſent librum *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ* . Sed quia fortius punxit, atque profundius ulcus penetravit ; iccirco vociferati ſunt.

VII. Hactenus argumentis extrinſecis arceſſitis plagii criminationem propulſavi : rem ipſam nunc ingredi lubet . Sed primum omnium quid ſit *plagium* recorder oportet Regio Profeſſori . Sciat ergo velim, plagium, ſeu furtum rei litterariæ tunc perpetrari , quando quis aliorum Authorum Opera expilat, & de libro in quinternum , ut communi fertur proverbio, tranſcribit, nullo immutato ordine , nullo delectu , nulla adjecta illuſtratione, ſed iis verbis omnia , ut jacent , furatur . Duplicis generis plagium diſtinguere poſſumus . Alterum , quod integrum ſive in totum vocare poſſumus, illudque eſt, quod deſcripſimus . Alterum ex parte, ſive ex dimidio, cujus illi rei ſunt, qui aliorum dicta , & ſententias ſerviliter exſcribunt , illaſque ſub verborum congerie veluti fuco larvatas obtrudunt, quin eas aut majori perſpicuitate, aut meliori ordine, & ſubtiliori acumine illuſtrent. Qui vero ſive veterum , ſive recentiorum controverſias ad critices leges revocant, eaſdem authoritate, & ratione confirmant, ſingulari perſpicuitate digerunt in capita, aliis monumentis illuſtrant, & plurium rerum acceſſione augent, & quæ probanda ſunt , ſuſcipiunt, oppugnant vero falſa; non plagiarii, ſed partuum novorum legitimi parentes omnium conſenſione jure ac merito nuncupantur, ut opportune ſcribit *Melchior Cano* „ . Nam & rerum inventoribus nos debere „ multum, negare non poſſumus: & debemus certe iis multum, qui ra„ tione, atque arte res inventas ad communem uſum accomodarunt.... „ Atque hac una in re , quantum animi mei conjectura colligere poſſum, „ juniores, vel pares antiquis, vel etiam ſuperiores reperientur „. Similia jam diu antea ſcripſerat Theodoretus *Præfat. in cant. Hoc non furtum appellari debet , ſed paterna hæreditas. Ad illa, quæ a Patribus accepimus , adjunximus quæ noſtra ſunt : & quod latius erat , contraximus. Laborem ſuſcepimus lectoribus arbitror haud inutilem , qui ſine labore laborum noſtrorum fructum percipient.* Lege præ cæteris hoc de argumento utrumque commonitorium *Vincentii Lirinenſis*.

VIII.

VIII. Porro Author *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ* non modo meliori in lumine collocavit argumentum paupertatis Monaſticæ, non modo nova methodo digeſſit, efficacioribus rationibus munivit, & plurium monumentorum acceſſione auxit, & ad principia certiſſima revocavit, atque hinc luculentiſſimas demonſtrationes collegit; verum etiam integras diſſertationes ſuperaddidit. Cum D. Paulo dicam, *inſipiens factus ſum vobis, vos me coegiſtis*. Sola præfatio, & prolegomena, ſive doctrinam, & eruditionem ſpectes, ſive foliorum multitudinem, excedit *Tractatum vitæ communis*, in quo nec verbum de his habetur. Stili autem, idiomatis, elocutionis diverſitatem nec memoro. Tantum quippe diſtat *Opuſculum vitæ communis a Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica*, quantum a Terra Cœlum. Quid plura. Opus diſciplinæ Monaſticæ tomus eſt in 4. grandioris molis, & ſpiſſi caracteris in duas tributum partes, & octo diſſertationes. In quatuor poſterioribus diſſertationibus, quæ Operis medietatem præter propter conſtituunt, neceſſitas explicatur reformandæ collapſæ diſciplinæ, & ſelectæ controverſiæ ad Monaſticam profeſſionem attinentes diſpiciuntur. De his omnibus nec per tranſennam ſermo habetur ſive in Tractatu vitæ communis, ſive in Vaneſpenio, ſive in Natali, de quibus jam jam. Itaque Operis medietas vel in ipſa materia diſcrepat ab indicatis Authoribus. Ex primis quatuor diſſertationibus, quid in ſecunda verſatur? Ad critices leges omnium Theologorum opinationes revocantur. Tres in claſſes tribuuntur. Alii nimiæ laxitatis, alii nimiæ ſeveritatis poſtulantur: alios ſibi non conſtare, ſed a principiis, quæ ut certa admittunt, deſciſcere, alios confuſe loquutos ibidem evincitur. Et illum, qui hac libertate ſcribit, *Profeſſor Regius*, audet traducere ut plagiarium? Quod ſi hæc audet, quid non audebit?

IX. At inquit *Doctor Theologus*: Author *Diſciplinæ Monaſticæ* eaſdem confutat Clauſtralium excuſationes, quas Author Tractatus vitæ communis. Verum habet. Eaſdem pariter refutarunt Nyder, Carthuſianus, Alvarus Pelagius, Hieronymus Gratiani, Hyacinthus a Caſali, & quotquot adverſus peculia ſcripſerunt. Si eadem ſemper inepta commenta obtrudunt Nummicolæ, eadem, & non alia confutare debuit Author Diſciplinæ Monaſticæ peculiari via, & ratione, atque præ cæteris, niſi me omnia fallunt, efficaciori ratiocinio, & uberiori eruditione, ut cuique legenti ejuſdem Opus conſtare poteſt. Porro, ut evidentius conſtet, quanta illi inſit libertas imponendi,

enarret

enarret velim P. Magiſter, quo in Opere *Natalis Alexander* vitæ communis argumentum verſet? Num in hiſtoria Eccleſiaſtica? Num in commentariis in Evangelia, Epiſtolaſque Paulinas? Num in Theologia dogmatica? In hac ſcilicet. Sed quo in libro? Totum evolvi: & niſi oculus me fefellit, nullibi vel unicum verbum habet. In unica ex adjectis ad primum volumen Epiſtolis, numero ſeptuageſima prima, quæ vix folii medietatem implet, adverſus Monaſticum peculium nonnulla Conciliorum, & Pontificum Decreta allegat, nulla addita interpretatione, nulloque examine. Votum vero, ſive præceptum communis vitæ, nec extremis labiis delibat. Duo alii Authores verſant utique communis vitæ argumentum. Quid inde? Theologi omnes eaſdem omnino diſpiciunt controverſias de Trinitate, de Incarnatione, de Prædeſtinatione: quid ſingulas recenſeo? eaſdem cujuſque Tractatus Theologi quæſtiones ſub examen inducunt. Idem præſtant omnium aliarum ſcientiarum, artiumque Profeſſores. Omnes ergo Theologi, omnes Philoſophi, Mathematici, Antiquarii, eruditi omnes plagiarii dicendi erunt? Nemo ſane cujuſque facultatis Author a plagii labe intaminatus eſſet, ſi iſtius criminis reus poſtulari Author *Diſciplinæ Monaſticæ* poſſet. Imo eo eſt prefatus Author a plagii ſuſpicione remotior, ut potius in aliud extremum declinare videatur. Non ne Magiſter Vindex illi improperat, quod cenſoriam virgam extendere in alios quoſque Theologos tum in laudata diſciplina, tum in aliis ſuis Operibus nimia audeat libertate? Hæc ſiquidem ille de Authore Diſciplinæ Monaſticæ ſcribit pag. 9. *Eſto hic, pro ut ſibi arridet, eumdem non ſemel Theologum commendet, & traducat, ut infra oſtendetur.* Qui hac libertate præditus ſcribit, plagii ne reus eſt? Commendat utique ille Theologos in iis, quæ vera ſcribunt: non traducit, ſed modeſte, & valide eoſdem confutat, dum falſa pro veris divendunt. Laudat Petrum cum Thoma Cantuarienſi Chriſtum confitentem, reprobat Petrum negantem Chriſtum. *Petri Paſſerini* viri, revera doctiſſimi, interpretamenta fuſo calamo exploſit. Magiſtri Vindicis erat illum defendere. Caſuiſtarum laxitates propulſavit, & omnium celebriorum Theologorum ſententias ad ſeverioris critices leges revocavit: falſas omni argumentorum genere rejecit, & veras adprobavit, confirmavitque. Votum paupertatis præ cæteris omnibus Theologis, abſit verbo invidia, diſcutere aggreſſus eſt diſſertatione prima. Quæ ad ejuſdem naturam pertinent, quæ illi extima ſunt, perſpicue declarat. Theologos arguit, quod paupertatem generatim acceptam cum pau-

paupertate monaſtica confundant: quod non diſtinguant a paupertate generica, quæ natura ſua plures excipit gradus, Paupertatem Monaſticam, quæ in Regulis Monachalibus, definitis communionis omnium bonorum cancellis, quolibet privato peculio vetito, vovenda Regularibus præſcribitur. Adverſus communem Theologorum ſententiam diſputandi gratia, invictis tamen rationum momentis, quæ Magiſter vindex indicta reliquit, ut cætera omnia gravioris ponderis, evicit, communitatem bonorum eſſentiam voti paupertatis Monaſticæ ingredi. Poſt, omnium Theologorum conſenſione, vi ſaltem præcepti graviſſimi Eccleſiaſtici, Regulares omnes communitati bonorum ſervandæ aſtrictos demonſtrat. Cedo. Omnium iſtorum, quæ ſunt Cardines, & fundamenta totius Operis, eſt ne vel in Tractatu vitæ communis, vel in Vaneſpenio, vel in Natali Alexandro, vel in quopiam Theologorum aut vola, aut veſtigium, aut verbulum quidem? Cauſa cadere ſponte volo, ſi in quoquam Theologorum, qui haſtenus ſcripſere hoc de argumento, hæc reperiantur. Tandem cur quæſo tres tantum recenſitos Authores adverſario ſuo objicit, ut eum plagii reum poſtulet, cum plurimi alii ſint, qui fuſius tribus recenſitis idem verſent argumentum, eaſdemque refellant vetuſtas rancidulaſque objectiones? Cur non objecit Trithemium, qui integrum Opus de peculio edidit, Joannem Nyderium, Joannem Gerſonem, Dionyſium Carthuſianum, Joannem Exeuriam, Fagnanum, alioſque innumeros: ſed potiſſimum P. Hiacynthum a Caſali inclyti Capuccinorum Ordinis, qui anno 1631. Mantuæ tractatum edidit hoc de argumento Italica lingua; & oppido efficacius, quam laudatus *vitæ communis Tractatus*, communis vitæ præceptum confirmat, privatumque peculium Monaſticum, neceſſitate vera ſublata, diris devovit. Quem tamen librum certum eſt, nec unquam legiſſe, nec vidiſſe Adverſarium priuſquam in lucem emiſit ſuam doctrinam Apoſtolico-Monaſticam. Sed quia veritas una eſt, eadem quoque luce diſſitas, ſeparataſque mentes illuminat.

X. Poſtquam ab omni cujuſque plagii vel leviſſima ſuſpicione, tum intimis, tum extrinſecus petitis luculentiſſimis argumentis, immunem oſtendit Authorem *Diſciplinæ Monaſticæ*, duo præſtanda ſuperſunt. Alterum, quam ſit enorme plagii ſcelus. Alterum, quam ſit ſciolis, & græculis hoc calumniandum genus familiare, & veluti illorum inſitum genio. Ad primum quod attinet, ſi terrenarum rerum furtum cujuſque vel infimi de plebe hominis famam denigrat; cujus infamiæ labe rei Litterariæ plagium non reſper-

reſperget hominem honeſtum, atque vi ſuæ profeſſionis ſingularem præferre probitatem aſtrictum? Perdoctus P. Theophilus Raynaudus in ſua *Haplotheca contra ictum calumniæ ſect.* 2. *cap.* 11. prolixum habet de plagio ſermonem, ejuſque injuriæ gravitatem magnitudinemque ſic deſcribit. *Hæc ſpecialis injuria inter omnes, quæ furto, aut rapina, vel damno admittuntur, attingenda ſigillatim viſa eſt, quod calumnia de ea illata, non ſit infrequens; eſtque de probro admodum tetro, & illiberali.* Subdit Raynaudus magnam eſſe liberorum, atque librorum affinitatem, & ſequentem textum exſcribit Theodori Ancirani, qui hom. in Concil. Epheſino habita mentis ſobolem vivis „ his coloribus refert. „ Tuum quoque verbum (inquit) tuæ mentis ſobo- „ les eſt: & poſtquam verbum iſtud, quod tua mens peperit, elementis ac „ litteris volueris exprimere, & in charta ſermonem efformare, manu lit- „ teris deſcribis, & certa quadam ratione verbum tuum per manum denuo „ eniteris, & manum per litteras verbum parientem conſpicaris. „ Eſt itaque liber, pergit Raynaudus, fœtus ſcriptoris ac filius, non ex viſceribus corporeis procreatus, ſed animi fœcunditate genitus. Ejuſmodi filiorum generatione ſuam ad poſteros famam æternum duraturam Authores tranſmittunt. Et quemadmodum filiorum abortus dolori parentibus eſt acerbiſſimo, ſic mentalis iſtius prolis ſubductio. Syneſius, teſte eodem Raynaudo, epiſt. 142. tanti reputat hoc ſcelus, ut illud defunctorum corporum præferat ſpoliationi, quæ omnibus gentibus crudelis ſemper fuit, & inhumana. Sanctus vero Baſilius *epiſt.* 1. Adulteris plagiarios aſſimilat.

XI. Quam vero fuerit ſemper quibuſdam græculis inſitum iſtud accuſationis genus, ex eo colligi poteſt, quod vel ipſe Chriſtus Dominus, qui eſt Sapientia Patris, Verbumque Divinum, in quo omnia ſplendent, audierit penes Platonicos plagiarius. Contendebant ſiquidem & illi audaces græculi, ut laudatus Raynaudus animadvertit, Legiſlatorem noſtrum Divinum nonnulla doctrinæ ſuæ capita ex Platone ſubduxiſſe. Hæc quippe altera eſt calumniantium, atque maledicorum fraus; ea nempe inſontibus affingere crimina, quibus illi ipſi inquinati ſunt a capite ad talos, ut hac vafferima præoccupatione in tuto ſemetipſos collocent cum Innocentum famæ diſpendio. Sacrilegam impiamque Platonicorum calumniam propulſavit Ambroſius. Et Clemens Aleſſandrinus, Euſebius, Theodoretus evincunt Anaxagoram, Pithagoram, Socratem, ipſumque Platonem divinos libros expilaſſe. D. Ambroſium plagii poſtulatum ab Hieronymo contendit Ruffinus; quod tamen

falſum eſſe negat Raynaudus. Plagiarium fuiſſe S. Iſidorum dixerunt aliqui ob expilata S. Gregorii Opera, ſed pro Iſidoro Apologiam adornavit Lucas Tudenſis. Petrus Lombardus, S. Thomas Aquinas, Picus Mirandulanus, S. Ignatius Loyola plagii accuſati fuere a male feriatis ſciolis, qui ira, atque invidentia, odioque perciti, cum non poſſent illorum ſapientiam aut æquare, aut eidem fucum facere, Sanctorum virorum famam impoſturis labefactare irrito conatu pertentarunt. Si plura de plagio addiſcere Magiſter Theologus cupit, adeat laudatum Raynaudum, a quo hæc pauca delibavimus, legat Placium, & Authorem de litteratorum plagiis. Hæc autem ad repellendam primam plagii calumniam dicta ſufficiant, & prolixius fortaſſe, quam par erat, diſputatum. At calumniæ atrocitas brevi ſermone refutari haud potuit. Paucis verbis calumniæ feruntur, ſed vix multis radicitus propulſantur.

XII. Quæſtionem dirimendam propono Magiſtro Theologo. Quæro quo nomine ſit appellandus ille, qui *magnum crimen* falſo imponit Fratri ſuo? Ille *magnum plagii crimen* affinxit Authori diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ. Hoc eſſe purum putumque commentum evidenter oſtenſum fuit. Quo ergo ille ſit nomine appellandus, illius eſto judicium.

CAPUT VI.

Aliæ accuſationes repelluntur, nempe, Diffamatio Regularium. Rigoriſmi, & Janſeniſmi accuſatio. Mentis deliquium, aliaque ſcommata. Spiritus fortis Regii Profeſſoris. Laudes, quibus ipſe ſe effert, & encomia, quæ illi canunt Vindiciarum cenſores, aliaque nonnulla ſcitu digna.

I. PRofeſſor Regius, quemadmodum conſueta Nummicolarum ſophiſmata ex laxioribus quibuſdam Caſuiſtis adoptavit, ut Apoſtolicam oppugnaret paupertatem; ita conſuetas, nimiumque vetuſtas impoſturas adverſus ſacrilegæ *proprietatis* oppugnatores, & Apoſtolico-Monaſticæ communitatis defenſores renovavit. Hic tamen non nihil de ſuo adjecit, ut ex plagii propulſata calumnia patet. Primum evici, dum cauſam communem egi. Alterum nunc. Quod ut felicius exequar, ut moris mei eſt, Regii Profeſſoris

feſſoris verba, quibus ſuum adverſarium traducit, tamquam Regularium calumniatorem tranſcribam.

II. Pag. 1. Vindiciarum orſa ab hac auſpicatur accuſatione Magiſter Theologus. *Nuperus quidam Author adverſus omnes, aut fere omnes Monachorum Congregationes calamum aceto intinctum adhibuit, illaſque peſſundat venerabiles Regularium communitates.* pag. 2. *Venerabiles Monachorum Ordines ille carpit*, pag. 3. *Charitas Chriſti, quæ decori ſtatus Monaſtici dire ſtigmatizati, ut occurratur, ſtimulum addidit .... cum omnes Regulares defleam invaſos ex ejus opere.* pag. 4. *Retundam quæ audacius ſcribit, contumelias repellens, & ſphalmata impugnans*, pag. 2. *ad criminandos Monachos, eoſque idcirco ad tartara detrudendos ut Zelotes pertentat.* pag. 214. *Pudet quidem in ſocio dilectiſſimo illud notare vitium, quod nec gratanter in aliis caſtigavi. Sed quia Spiritus Sanctus jubet, Eccleſiaſtici* 4. pro anima tua non confundaris dicere verum *in vindiciam Regularium Ordinum, quos ut propriam animam ex charitatis momento diligo, aliqua itidem, ægre licet, in eodem notare cogor, ut unuſquiſque dignoſcat, quam injuſte accuſentur Venerabiles Monachorum ſocietates.* pag. 96. *Ut rigorem foveat, ita ſentit, & traducit, nedum Monachos Beatorum Albo adſcriptos, alioſque inſignes viros, quos ſuſcipit Catholicus Orbis, quinimo traducit, infamat, ſceleſtiſque adcenſet etiam Veteris Teſtamenti Heroes, quos legimus divites ſimul, & ſanctos.* pag. 248. *Quæ ſcripſiſti, in dedecus cedunt omnium Regularium.* Heroes iſti veteris Teſtamenti *divites* ſimul & *Sancti* erant ne Monachi Carmelitæ, aut Laici? Si laici, in hos ne calamum acuit Auctor diſciplinæ? Si Monachi, privatis ne affluebant peculiis ſimul & ſanctitate? Verum hæc in Magiſtro Theologo leviora ſunt. Ad id, quod inſtat, accedamus.

III. Quæro itaque abs illo, qua ratione, qua authoritate, quo teſtimonio, tanti ſceleris reum ad publicum totius Orbis Tribunal accuſaverit Fratrem ſuum? Ego majore, qua poſſum, modeſtia aſſero, omni carere veritate, quæ ille ſcripſit. Addo mera eſſe figmenta. Subdo in univerſo Opere diſciplinæ Monaſticæ nec unam periodum, nec verbum quidem reperiri, quod aut famam, aut decorem vel tantillum lædat Monachorum. Cur textum aliquem non adduxit? Theologi ne chriſtiani eſt, reos flagitiorum innocentiſſimos viros in conſpectu totius Univerſi poſtulare, nullo producto documento? Iterum illum provocamus, ut vel unicum textum ex diſciplina Monaſtica excerpat, qui Monachorum famæ, honori, vel glo-

riæ detrahat? Ut capite Superiore vidimus, plagii reum poſtulavit Fratrem ſuum. Nunc ut Regularium oſorem depingit, ac ſi docuiſſet inauditam quampiam rigidiſſimam ſententiam, a nemine Theologorum traditam. Qua quæſo via antilogias adeo evidentes conciliabit?

IV. Porro, ut palam fiat vel ipſas criminationes illum ab aliis exſcripſiſſe, non aliunde argumenta repetam, quam a Præfatione diſciplinæ Monaſticæ, in qua omnes cenſuræ, & dicteria ſunt in anteceſſum convulſa. Jam inde uſque a Sancti Patriarchæ Benedicti temporibus ortum habuit calumnia iſthæc. Calumniatorem Monachorum mali Monachi traduxerunt Sanctum Bernardum, quod paupertatis Monaſticæ obſervationem inveheret, quod Nummicolas argueret, quod diſciplinæ Regularis præſcripta ſervanda inculcaret. Sancti Abbatis reſponſum *Præfat. cit.* §. 3. *n.* 13. dedimus, illudque hic repetere cogimur. *Unde non adverſus Ordinem, ſed pro Ordine diſputare putandus ero. Non Ordinem in hominibus, ſed hominum vitia reprehendo. Et quidem diligentibus Ordinem moleſtum me fore non timeo, quin immo gratum procul dubio accepturi ſunt, ſi perſequimur quod & ipſi oderunt. Si quibus vero diſplicuerit, ipſi ſe manifeſtant, quia Ordinem non diligunt, cujus utique corruptionem, & vitia damnari nolunt. Ipſis itaque illud Gregorianum reſpondeo. Melius eſt ut ſcandalum oriatur, quam veritas relinquatur.* (a) Similia reſponſa dederunt Raymundus a Capua, Joannes Nyder, Joannes Excuria, & quotquot pro reformatione diſciplinæ Regularis ſcripſere ſuis calumniatoribus. Quid eſt in univerſo *diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ* Opere quod Regularium Ordines lædat? Quid? Ibi, inquit Regius Profeſſor, demonſtratur Monachos teneri ad vitam communem, ad abigenda peculia privata. Ibi declamatur adverſus vitia, quæ ex peculio profluunt: damnari aſſeritur Monachos, qui pecuniis abundant, qui deliciis affluunt, qui graduum ambitione exardeſcunt: contra vero Reformatæ diſciplinæ cultores efferuntur magnis laudibus. Porro, cum Sæculares viri legunt librum Diſciplinæ Monaſticæ, videntque Regulares minime exequi, quæ ibidem præſcribuntur ut debita, ſiniſtram concipiunt de Regularibus opinionem. Calumniis ergo ſcatebunt omnes Monachorum Regulæ, Conciliorum Canones, Pontificum Bullæ, quæ recenſita omnia præſcribunt. De medio ergo tollenda erunt Concilia, Regulæ Patriarcharum,

(a) *In Apolog. ad Guil.*

charum, & Pontificum Decreta. Quid plura? Subducendum publicæ luci Evangelium ipſum, quod infamiam pariat Chriſtianis, cum iſtorum plurimi nequaquam ſervent quæ lex Evangelica præcipit. Non ergo in poſterum licitum erit conjugatorum adulteria, Mercatorum uſuras, Artificum fraudes, divitum avaritiam ſive in libris, ſive e ſuggeſtu deteſtari, quoniam uxorati, Mercatores, divites ſe infamatos clamabunt? Licitum haud erit juvenibus ſponſam ducturis ſuadere, ut virginem caſtam, humilem verecundamque deligant, propterea quod mulieres loquaces, garrulæ, deformes, ſuperbæ, effronteſque ſeſe diffamatas vociferabuntur? Dictum eſt in laudata Præfatione, vel ipſum Eminentiſſimum Cardinalem Caſinum typis edidiſſe tria volumina, in quibus luxum, faſtum, avaritiam, ſimoniam Presbyterorum Apoſtolica libertate improbavit, quin veritus ille fuerit haſce liberas, acreſque in vitia declamationes allaturas eſſe Sacerdotalis Ordinis ſplendori infamiæ vel leviſſimam ſuſpicionem. Nec quiſquam Sacerdotum auſus eſt Eminentiſſimum Scriptorem reum diffamati Sacerdotii poſtulare. Dictum eſt humanum genus duobus veluti cardinibus verti: altero honoris, gloriæ ſempiternæque famæ cupidine: altero ignominiæ, dedecoris, atque infamiæ timore. Illo ceu acutiſſimo calcari ad magna conanda abripitur. Hoc veluti freno validiſſimo a flagitiis, quæ infamiam pariunt, cohibetur. Si ejuſmodi pavoris publicæ ſubeundæ diffamationis repagula remittantur; ſi ardens illud perpetuandæ famæ deſiderium extinguatur: ſi ſceleſti homines nec linguarum aculeos, nec Scriptorum calamos amplius revereantur: ſi ſemel hæc erronea opinio iniquorum mentes inceſſerit, haudquaquam licere eorumdem turpia geſta poſterorum memoriæ commendare: ſi viris Dei hæc adimatur libertas, qua voce, qua ſcriptionibus in criminoſos invehendi; en illico vitiorum omnium torrentem quoquoverſum, confractis aggeribus, inundare. Intereſt ergo, & ſummopere intereſt Chriſtianæ Reipublicæ, flagitioſos publicos publice redargui: intereſt humani generis univerſi, quod altius animis inſideat publicarum redargutionum timor. Extrema dumtaxat vitanda. Occulta crimina Evangelicæ caritatis pallio operienda: publica, manifeſta, & ſocietati noxia, eadem caritate innocentibus ſuccurrendi, ne inficiantur, occaſione data improbanda ſunt. Dictum eſt, hoc noſtro calamitoſo tempore cujuſque conditionis, & ætatulæ homines doctos & indoctos, ruſticos & nobiles, bonos & malos, plebem & ſenatum, Civitates & Regna in remiſſam plurimorum Regularium, Sacerdotumque diſciplinam, morumque diſſolutionem declamare,

exag-

exaggerare, crebraſque emittere lamentationes. In eorumdem divitias, luxum, *commoda*, *delicias*, & *ſolatia* invehuntur. Iiſdem ludos, commeſſationes, epulas, vanitatem, aliaque pejora improperant. Eo miſeriarum, & infelicitatis perventum eſt, ut vel ipſum ſanctum *Fraternitatis* Nomen deriſioni, odio, & dicteriis obnoxium habeatur. Et hæc omnia ſurda aure pertranſeunt illi ipſi, qui ex quocumque libro reformandæ diſciplinæ neceſſitatem evincente, ſcandala in populos ſuboriri muſſitant, & ſacras Monachorum Congregationes detrimentum pati ubique crepant. Malunt univerſum Mundum objurgatorem, accuſatoremque perferre, quam pium ſincerumque admonitorem audire. Quid quod illi ipſi, qui in inceſſu, ſtatu & habitu proprii Ordinis ſplendorem obtenebrant, quis ſuis ſolutis moribus ditiſſimum famæ, & ſanctitatis patrimonium, Majorum jejuniis, nuditate, vigiliis, & ſanguine ipſo partum, prodigunt, dilapidant; iſti inquam ipſi Sacrorum Ordinum calumniatores traducunt Dei homines, atque in eos maledicta intorquent, dum reformari diſciplinam, priſtinumque ſplendorem reſtitui curant. Sæpius ibi repetita hæc verba ſunt. Nec enim aliquem ego deſigno Ordinem, qui legem Monaſticæ paupertatis tranſgrediatur; ſed *ſermo meus hypotheticus eſt*. Quod ſi poſt ſummam hanc vigilantiam, cautionemque noſtram, qua cujuſque offenſionem vitare ſtuduimus, futuri nihilo ſecius ſint, qui ſe læſos, qui ſe infamatos, nobis etiam repugnantibus, velint, non propterea cenſuimus deſiſtendum ab incæpto. Quoniam, ſi tum promenda dumtaxat veritas eſt, cum neque improborum quemque lædat, actum profecto de ea eſt, conclamatumque.

V. Hæc & alia longe plura ibidem dicta ſunt. Et optimus Adverſarius noſter his omnibus diſſimulatis, raucas, nimiumque antiquas quorumdam voces renovavit, crimina in innocentem fratrem contorſit, extremamque illi invidiam creare pertentavit? Cur ſaltem vel unicum textum in medium non profert, quo oſtenderet, Authorem diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ promiſſis non ſtetiſſe, ſed præſtitutas ſibi prudentiæ, modeſtiæ, & cautionis Regulas violaſſe? Sed ad alia pergamus.

VI. Non Monachos modo, & Regulares infamatos, verum etiam ſemetipſum læſum, & injuriis laceſſitum lamentatur Profeſſor Regius: atque adeo in arenam deſcendiſſe, armaque ſtrinxiſſe clamat, ut ſui ipſius famam fulgentem, nullaque pice tinctam demonſtraret. Hæc enim ſcribit pag. 3. *Neque hac in re, etſi laceſſitus, ei vicem talionis rependo... Et quamvis zelo etiam*

ſe etiam ſuccendar, quum videam Fratres meos, & MEIPSUM &c. Divina tamen ſavente gratia, nulla ſum PICE infectus, cui poſſit ille adhibere ignem..... Omnes Regulares defleam invaſos ex ejus ſcriptis..... tamen ne excandeſcam, D. O. M. enixe rogo. Quam ſplendida ſit falſitas hæc, jam ex iis, quæ dicta ſunt, conſtat. Si enim vel nullus Ordo deſignatus eſt, oppido minus Perſona aliqua particularis. Si univerſo in Opere *Diſciplinæ Monaſticæ* reperturus ille ſit verbum, ſyllabam quampiam, quæ ſuum nomen, ſuam perſonam, ſive directe, ſive oblique, ſive quaeumque excogitabili via vellicet, indigitet, aut quoquo modo tangat, faſces illi ſubmittere velim, victoriamque canere ſinam. Quid ſi dixiſſem cum Auguſtino *pſal. 99. Nemo vos fallat Fratres, ſi non vultis falli, & vultis amare Fratres. Scitote, omnem profeſſionem in Eccleſia habere fictos. Non dixi omnem hominem eſſe fictum, ſed omnem profeſſionem in Eccleſia habere fictas perſonas.* Heinc ne conſequitur illum eſſe fictum Monachum? Ille ne alter *Bonoſus?* Audiat quæ ſcribit Hieronymus in *Bonoſum*, qui, more ſeilicet ſuo, ſe ab eodem Sancto Doctore adverſus eommunia vitia declamante laceſſitum lamentabatur. *Diſpoſui naſum ſecare fœtentem: timeat qui ſtrumoſus eſt. Volo corniculæ detrahere garrienti: rancidulam ſe intelligat cornix... Rideo Advocatum, qui Patrono egeat; quadrante dignam eloquentiam nare ſubſanno. Quid ad te, qui diſertus es? Volo in NUMMARIOS invehi Sacerdotes. Tu qui dives non es, quid iraſceris? Clauſum cupio ſuis ignibus ardere vulcanum: numquid hoſpes ejus es, aut vicinus, qui a delubris Idoli niteris incendia ſubmovere? Placet mihi de larvis, de bubone, de noctua, de niliacis ridere portentis. Quidquid dictum fuerit, in te dictum putas: in quodcumque vitium ſtyli mei mucro contorquetur, te clamitas deſignari: conſerta manu in jus vocas, & ſatyricum ſcriptorem in proſa arguis.*

VII. Altera criminatio, qua Profeſſor Regius inceſſit Authorem Diſciplinæ Monaſticæ, Tutioriſmum, & Janſeniſmum ſpectat. Aſſerit quippe, adeo certam, probatamque ſanctis Viris ſententiam ſuam eſse, qua propugnat licere Monachis, & Mendicantibus Fratribus Regularibus duplicata habere peculia pro privato commodo, & utilitate, ut contraria Doctrina hæreſim redoleat Janſenianam. En illius verba pag. 145. *Aliter enim ſentire, aliter contendere velle, non eſt Catholici, piique Doctoris, ſed aſperi vitiligatoris JANSENIANA fuligine adſperſi, amaro, & mordaci dente dilaniantis hominum conſcientias.* Etiam ne ille Antiprobabiliſtarum celeberrimus ad Probabiliſtas in

cauſa

Digitized by Google

cauſa Paupertatis ſe recepit? Ab illis lepida illa commenta de Janſeniſmo accuſandi quotquot laxiores confutant opiniones, mutuatus eſt? *Janſeniſmum* ergo ſapit ſententia, quæ docet, vetita eſſe Monachis privata peculia, quibus non indigent pro neceſſario victu, & veſtitu, ſed pro *privatis commodis? Janſeniſmum* redolet Doctrina, quæ propugnat,,vi præcepti adſtrictos eſſe Mendicantes Fratres communitati bonorum cujuſque privati peculii vacuæ? Cedo. Qua in propoſitione Janſeniana damnata eſt ſententia, quæ adſtruit devinctos Regulares præcepto Apoſtolicæ communitatis? Judicet Lector quanta ſit patientia opus cum tali homine diſputare. Non accenſet ſuum Adverſarium *Janſeniſtarum* Sectæ, ſed doctrinam illius lue Janſeniana inquinatam aſſerit: *Rigidum declamatorem* paſſim illum compellat, *indiſcretumque Zelotem*. Hæc ſcribit pag. 64. *Sicut cerva ex magno, quo inflammantur, calore, ſæpius abortivos enituntur fœtus: ſic Zelotes noſter magno adcenſus ardore abortum, & monſtrum informe edidit*. Pag. 58. *Solus noſter ſodalis pluſquam Eliano Zelo flagrans calamum acuit in fulmen, & nimio calore flagrans e Paradiſo relegat, ad tartara detrudit quoſcumque Monachos..... Proh crudelitatem*. Dii meliora. Vel ipſum Eliam oblique carpit, quaſi & ille eſſet *indiſcretus Zelotes*. Hæc ſatius eſt pedibus trahere, quam refellere.

VIII. Illud ſolummodo adjicere lubet, quod hanc quoque impoſturam a ſuis laxioris Ethices Caſuiſtis, qui ſanioris doctrinæ aſsertores *Tutioriſmi*, *Janſeniſmi*, *Rigoriſmi* inſimulant, mutuo accepit Profeſſor Regius. *In Præfat. ad Diſciplinam Apoſtolico-Monaſticam* §. 4. *n.* 17. lato calamo convulſa in anteceſſum eſt impoſtura hæc. Pauca ex multis iſthuc tranſcribam. Quædam Religioſorum animis opinio inſedit, atque inveteravit, quod ſententia aſſerens eoſdem vi legis ad peccatum mortale obligantis, exactæ rerum communitati, pulſis peculiis, ſubjectos eſſe, opinio *tutior*, & *rigidior* ſit quorundam Theologorum, quos ipſi *Rigoriſtas*, & *Tutioriſtas*, aliiſque acerbioribus vocabulis *Janſeniſmi* compellant. Id vero ortum ducit, quod iſtius materiæ, quamquam unice ſuæ, alta teneantur ignorantia, & quod nolint eam pro dignitate diſcutere, ne conſcientiæ lacrymabilem tranquillitatem perturbent; ſed ſi in uno, vel in altero *Summiſta* quidpiam ſibi favens repererint, illius auctoritati ſuam fidunt animam, tametſi, quod portentoſum eſt, in regendis, confirmandiſque Chriſtianorum moribus, Theologos iſtos, ceu nimium benignos, & Evangelicæ Ethices perditores, plenis buccis traducant, [ut præſtat Antiprobabiliſta noſter Regius.] Ut autem falſiſſimam

mam, exitialemque anticipationem propulſem, & in nihilum redigam, illud reſpondeo, controverſiam hanc ad ea principia me revocaturum eſſe, quæ Theologi omnes tanquam certiſſima admittunt, & venerantur: quamquam deinde in conſectariis deducendis laxiora quædam doceant, vel quod ex animi ſententia controverſiam non verſaverint, vel quod aliquando dormitet Homerus, vel alia ratione. Hæc loco laudato præfatus eſt diſciplinæ Author ad retundendam futuram impoſturam *Tutioriſmi*, *Rigoriſmi*, & *Janſeniſmi*. Tamen ea eſt in Profeſſore Regio pectoris fortitudo, ut auſus fuerit jam diu confutatam impoſturam exſcribere, & typis prodere.

IX. Quæ nunc relaturi ſumus, ipſum ſpectant Regium Profeſſorem: Se *Spiritum fortem* jactat, atque animi *deliquium* ſtultitiamque prædicit Adverſario ſuo, quod commoveatur ſuper nimia Regularis diſciplinæ laxitate, atque deformitate. Sic autem eum alloquitur pag. 55. „ Enixe rogo dilectiſſimum Sodalem meum, ut temperet ſibi a fletu, ceſſet a lacrymis, & mærore ſepoſito paullulum quieſcat, lætetur, exultet. Tanta „ ſiquidem triſtitia oppreſſus, tanta amaritudine repletus, facillime (quod „ abſit) *poteſt animi deliquium pati*, aut inſuper (quod Deus avertat) „ *pejus poteſt malum ſubire*. Quæ enim ejus animum conturbant, larvæ „ ſunt puerorum, quæ SPIRITUS FORTIS *excipit cachinnis, & deridens adſpernatur*. „ Ut evidentius pateat, quæ ſit Magiſtri noſtri *fortitudo ſpiritus*, momenta, quæ author Diſciplinæ Monaſticæ lacrymandi aſſignavit, oculis objicio. Hi autem ſunt lacrymarum fontes, quos ipſe aperuit *diſſ.* 1. *c.* 2. *n.* 4. „ Theologorum plures maxime vero Summiſtæ, cum de paupertate Regularium ſermonem inſtituunt, præceptum „ hocce (vitæ communis) ſilentio prætereunt. Voti eſſentiam ad examen vocant, & tricis Philoſophicis aſſueti aliqui hanc quidditatem a „ præcepto, aliiſque conditionibus avulſam ſcrutantur, & quod voto in „ hac metaphyſica abſtractione non repugnat, peſſima conſecutione paupertati Monaſticæ abſolute convenire pronunciant. Enim vero, ſemel „ dato, quod in ſola dominii abdicatione ſalva ſit voti integritas, confeſtim inferunt, uſum bonorum, & divitiarum amicabili fœdere cum paupertatis voto conſociari poſſe, dummodo Prælati licentia ſeu conſenſus „ accedat. Ne autem hæc a Prælati dependentia (ut ajunt) gravior „ nimis evadat, neceſſe minime eſt, ut præſens ſit, & expreſſa, ſed futura ſatis eſt, & tacita, vel præſumpta. Pecunias expendito, marſupium

Digitized by Google

„ evacuato, & de voluntate tui Prælati præſumito, & paupertatis tuæ „ eſſentia fulta præſumptionis munimine incolumis perſeverat. Quin etſi „ præſto adſit explorandæ voluntatis opportuna occaſio, ſi tamen tu verecundiæ rubore ſuffuſus, aliove humano actus reſpectu, non audes licentiam poſtulare, ad petitionem minime teneris: ſed ſatis eſt te credere Prælatum conſenſurum, ſi peteres, ne ſis *proprietarius*. *Et quod* „ *plus eſt, addunt, talem invehi conſuetudinem poſſe, vi cujus immunis conſtituaris ab hoc onere petendi expreſſam licentiam a Prælato tuo, ſed generalis licentiæ præſumptione inſtructus, pecunias retinere, & diſtrahere in* „ *quoſcumque uſus valeas. Sed numquid in ſuperfluos? Utique. An in illicitos? Scilicet. An in turpes? Etiam. Quid plura. Parvo ſumptu* (*verba ſunt plurium Caſuiſtarum, ut ſuo loco manifeſtabitur*) *conducere poteris* „ *MERETRICEM, quin crimen contra votum paupertatis contrahas,* „ *quamvis caſtitatem ſis violaturus. Quis Zeli impetum, quis comprimere* „ *lacrymas valet, dum in Monaſticam Theologiam talia monſtra invecta auris* „ *audit Chriſtiana?*

X. Heus Tu! Quid miſerandum in modum triſtaris, clamat Magiſter Neapolitanus? Lacrymaris, inquit, inaudiens, quod pauperes Clauſtrales valeant *parvo*, non magno *ſumptu* conducere meretricem, quin paupertatem profeſſam violent? Hæc tuarum lacrymarum momenta? Non ne id docent Probabiliſtarum plures? Quod autem probabile eſt, lætitiæ, non mæroris argumentum eſt. *Tempera tibi, dilectiſſime Sodalis, & mærore ſepoſito paullulum quieſce, lætare, exulta* ad tantæ benignitatis conſpectum. Cachinnis ergo, & ſannis excipienda ſunt interpretamenta, quæ meretricum, ſcortorumque conductionem concedunt Cucullatis Fratribus, paupertate illæſa? Hæccine terriculamenta puerorum? Hæccine ſibilo, & lætanter excipit tuus Spirtus fortis? Quid eſt amabo *Spiritus Fortis?* Vereor, ne ille precario voces ſuſcipiat, quin illarum calleat ſignificatus. In laudata *Præfatione* ad diſciplinam *Apoſtolico-Monaſticam* §. 4. *n.* 14. *& ſeq. duo Spirituum fortium* genera Author diſtinxit, atque deſcripſit, quaſi præſentiens tale ſibi objiciendum fore commentum. Pervia quippe illi ſunt Adverſariorum arcana. Ut autem perſpectum habeat vel ipſas ſuas accuſationes fuiſſe in anteceſſum convulſas, repetam oportet aliqua eorum, quæ de hoc duplici *Spirituum fortium* genere ibidem ſcripta ſunt.

XI. Primum *Spirituum fortium* ſeu feroċium genus, leges & jura, bonum

bonum & malum, honeſtum & turpe hominum ingeniis populorumque ſcitis excogitata, eorumque opinionibus niti, & conſiſtere garrit: animorum immortalitatem, Numinis divinitatem, & Religionem quamlibet anilium fabularum loco habet. Idcircò vero *Spiritus fortes* nuncupantur, quod Deum de ſolio exturbaverint, quod Religionem illam, quam cum nutricis lacte ſuxerunt: quod ſacras illas, altiusque impreſſas anticipationes: quod inſitas ac veluti innatas cogitationes de Deo, de Ordine, de honeſtate excutere: quod adverſus ſæculorum omnium non multitudinem modo, verum etiam ſapientes cultioresque Nationes omnes ſeſe erigere: quod denique rationem ſibi adimere, atque in jumentorum, beſtiarumque cenſum, tandem aliquando ſe ſe conſcribere aſſequti fuerint, ſi tamen fuerint, ut tranquilliore animo in omnium ſcelerum flagitiorumque centro conquieſcere valeant: ſublato enim Legislatore omnia impune, nulloque timore animum vellicante perpetrare ſibi blandiuntur. *Fortes Spiritus* poſterioris generis de jure, de legibus optime ſentiunt: & ad Religionem quod attinet, Myſteria, & præcepta ipſa, quæ Religio imperat, prompte ſuſcipiunt, ac venerantur. Eodem tamen ſpectant ambo hæc *fortium Spirituum* genera, ut ſcilicet ſuas appetitiones ſaturare voluptatibus valeant. Oppoſitis ſolum viis iſthuc concedunt, ut ex iis, quæ delibata ſunt, palam eſt. *Spiritus fortes* primi generis, ut ſuam metam teneant, nihil credunt. *Spiritus fortes* poſterioris generis articulos omnes, leges, & præcepta ultro ſuſcipiunt, & alia multo plura amplecterentur, ſi hæc illis credenda Eccleſia præſcriberet: hac tamen adjecta tacita conditione, quod ſuis deſideriis, & cupiditatibus omnia Religionis arcana, leges & præcepta adaptent, & accomodent. In voluptatum ſiquidem fruitione, atque in ſuis explendis appetitionibus nec tantillum primi generis ſpiritibus concedere volunt. Quæ veritas ipſa manifeſta experientia conſtat. Conferantur invicem cujuſque ſectæ Turcichæ, Lutheranæ, Calvinianæ, Atheiſticæ cum non parva Chriſtianorum parte, & quodnam ſit in ſenſuum voluptate diſcrimen quiſque judicet. Et ut propius ad rem noſtram accedam, conſerantur utriuſque generis fortes iſti Spiritus, & ſepoſitis paulisper gravioribus vitiis, in iis, quæ honeſtas, ut vocant, commoditates, & delicias ſpectant, quodnam diſcrimen ſive in menſa, ſive in mollibus culcitris, ſive in oblectamentis? *Spiritus* itaque *fortes* poſterioris generis, tametſi non adeo effræni animo, fronteque tam perfricta ac primi, ſuis indulgere ap-

Cc 2 peti-

Digitized by Google

petitionibus ſtudent; non ea via, qua illi, Numen de Solio exturbare contendunt; ſed Dei leges & mandata alta voce deprædicantes, eadem tam exquiſito artificio inflectere, ſibique accomodare curant, ac ſi nulla quaſi Religio reipſa foret. Quocirca ſapientiores iſti præ illis audiunt, quod rationem abditiſſimam repererint conſociandi Religionis jura cum conſcientiæ, ut dicitur, libertate. Idque in cauſa eſt, cur *Spiritus fortes* & iſti nuncupentur, quod videlicet ad fortunam, ad tempus, ad hominum genium divinæ legis arcana, & præcepta noverint accomodare, ſcenæque inſervire. *Spiritus fortes*, feroceſque, quod modeſtiam ſtupiditatem, ſilentium ruſticitatem, verecundiam inſipientiam, ſin minus aperte, tacite ſaltem traducant. *Spiritus fortes*, quod viam antiquitati incognitam invenerint. Patres ſiquidem noſtri ſanctiſſimi Viri pœnitentiis innutriti, jejuniorum ſeveritate graciles, paupertatis penuria ſubacti, poſt diuturnos labores, poſt ſeveriſſimam carnis, & ſenſuum compreſſionem: poſt denique vitæ Monaſticæ longum curriculum omnium virtutum genere exornatæ, divinæ Juſtitiæ terribilem, formidandamque ſeverltatem, ac inſcrutabilia Dei judicia perhorreſcebant: atque æternæ ſalutis timore perciti, acerbiſſime conflictabantur: & qua precibus, qua lacrymis, qua laborioſis operibus infinitam Dei Clementiam abſque intermiſſione implorabant: & tandem cum Apoſtolo paventes ac tremebundi clamabant: *Neſcitis, quod ii, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium. Sic currite ut comprehendatis.* 1. *Cor.* 9. Quid Profeſſor Regius? *Terriculamenta hæc puerorum*, inquit ille. *Spiritus fortes*, quod ſolemni paupertatis evangelicæ voto adſtricti, jejuniorum & abſtinentiæ legibus devincti, nihilo ſecius delicatioribus, quoad poſſunt, epulis paſti, duplici crumena, altera parvula, altera in communi arca ad ſecuritatem repoſita proviſi, ampla cubicula ornamentis ſplendida inhabitantes, abſque ullo propriæ ſalutis timore ducant dies ſuos. *Spiritus fortes*, quod Hilarionis, Antonii, Pauli, Macarii, Hieronymi, omniumque Sanctorum ſollicitudinem, anxietates, pavoremque in æternæ ſalutis momento ut *terriculamenta* puerorum, ut mentis *deliquium* derideant. *Spiritus Fortes* denique, quod votum paupertatis evangelicæ, votum inquam omnia dimittendi, atque ſtatum Mendicantium cum annuis privatis cenſibus ad fovenda *commoda*, & *oblectamenta*, honeſta tamen, ad *copioſam ſtipem* pauperibus erogandam mirabili fœdere conjungere didicerint.

XII.

XII. Abſit, ut in alterutro iſtorum *Spirituum fortium* genere aut adverſarium, aut quemlibet alium ego vel oblique collocem. Se *Spiritum fortem* propriis verbis oſtentat Profeſſor Regius, forſitan juxta ſenſum Doctrinæ D. Thomæ qui 2. 2. *q.* 123. *art.* 6. Ariſtotelis adducto ſuffragio, inquit. *In ſuſtinendo triſtitias maxime aliqui fortes dicuntur.... Principalior actus fortitudinis eſt ſuſtinere.* Clarius 3. *p. q.* 15. *art.* 2. *ad* 3. *FORTITUDO SPIRITUS aliqualis oſtenditur ex hoc, quod reſiſtit concupiſcentiæ carnis ſibi contrariantis. Sed major fortitudo ſpiritus oſtenditur, ſi per ejus virtutem totaliter caro comprimatur, ne contra ſpiritum concupiſcere poſſit.* Fortitudinis itaque Magiſtri Vindicis officia, & munia ſunt perferre moleſtias, incommoda, & pericula: carnis impetus retundere, repugnare concupiſcentiæ, ſenſus cohibere ne in ſpiritum inſurgant. Fortitudo Chriſtiana Profeſſoris Regii eſt omnia terrena pro nihilo ducere, faſtum, gradus, & dignitates rejicere: ſaniorem promovere doctrinam in ſcriptis publicis, & in ſecretioribus conſultationibus nullo habito Mundi reſpectu, etiamſi ammittendus favor eſſet, gratia, & Patrocinium Magnatum, Principum, & Regum. Hæc eſt vera Chriſtiana fortitudo, quam explicat Angelicus, & vi cujus ſe *Spiritum fortem* declarat Adverſarius noſter: de qua fortitudine nunquam ego verba feciſſem, niſi ille me compuliſſet, ut eumdem ſubducerem a numero ſpirituum fortium eorum, quos ſupra deſcripſi.

XIII. Altera criminatio, qua Vindicator Regularium ſuum excipit Adverſarium, lepida eſt & feſtiva. Singulis fere paginis per deriſionem illum compellat *Eccleſiaſten*, *Concionatorem*, *rigidum Declamatorem*. Porro, ut palam fiat quantum ſub ſplendida voce irrideat, & ſubſannet; ſcias oportet, erudite Lector, has voces (Concionatoris Eccleſiaſtis) non aliud ſignificare apud Theologiæ Magiſtros, alioſque non paucos, quam ignorantiam, ſtupiditatem, & artis ratiocinandi ad exactas dialecticæ Regulas privationem. Confirmanda hæc de more ſunt verbis ipſius Magiſtri Theologi, qui paſſim improperat adverſario, quod non Theologico, ſed concionatorio more ratiocinetur. Pag. 213. „ Ab ſcopo igitur aberravit Eccleſiaſtes, qui certe „ non modica monumentorum copia ſibi comparata, ſeu communium lo- „ corum ſylva ſibi adpoſita, eaque concinnata ex concordantiis verborum, „ quæ apud Theologos reperiuntur, nimirum V. *paupertas* V. *vita communis* V. *proprietas*, & id genus ſimilium, ea, ut placuit, objecit, modo ſo- „ narent, eſto non conſonarent, ad ſui intentum. At hoc, chariſſime Fra-

„ ter,

„ ter, non eſt *Theologi*, non *Canoniſtæ* eſt, non denique *Summiſtæ* (adden-
„ dum etiam non Artiſtæ) *etſi ſit Concionatoris*. Quare extra chorum ca-
„ nis „. Supra plagii reum illum poſtulavit. Nunc collectorem, & con-
ſarcinatorem eundem repræſentat. Sed loquatur Profeſſor Theologus. „ Mo-
„ neo Fratrem meum, ut adtendat *proprium* non *concionatorio*, ſed *Theolo-*
„ *gico criterio fore examinandum*. pag. 230. „ Non enim apud Theologos
„ ſy nonima ſunt proprium abſolute tale, & conceſſum ad uſum proprium
„ ... eſto ſynonima ſint apud *Eccleſiaſtas*, quibus mos fuit res ipſas po-
„ tius ex *nomine*, quam ex *formali ſignificato* uſurpare.... Quomodo ergo
„ audet nos impetere *Theologali larva* contectus? Dum ergo in *Scholaſti-*
„ *corum Tentoriis* manet, neceſſe eſt, ut antequam claſſicum canat, deji-
„ ciat tubam, ne forte vel a gregariis ipſis ex adverſo pugnantibus, *ſum-*
„ *miſtis* nempe, ſannis, & cachinnis exceptus, cupreſſum pro lauro ſtrin-
„ gat. Pag. 208. „ *Medius Fidius* tua eſt pila, chariſſime Frater: oleas er-
„ go, & palmas, laureos, & coronas, ut tibi tribuamus, fas eſt: tibi pro-
„ pterea ſubjungemus faſces & colla ..... Viciſti Frater: ut tibi occur-
„ ram, ovantique triumphum canam, oportet „. Pag. 240. „ Qui conſarci-
„ natis innumeris Patrum, & Theologorum ſententiis alio ſpectantibus *ju-*
„ *xta morem concionatorum &c.*

XIV. Audiſtin' quanta Magiſter Theologus magniloquentia, quid ſit *Concionator*, exponat, ne is ſub larva Theologali ingrediatur Tentoria ſcholaſticalia? Sed alia adjiciamus, ut hac via evidentius pateat, Magiſtro noſtro in votis fuiſſe in omni genere litteraturæ famam ſibi comparare. Quare invehitur in Adverſarium, quod *Magiſterii* lauream parvi fecerit, ſic ſcribens pag. 107. „ Præmium fuit adpoſitum a Viris ſanctis, quo adlecti facillime ad
„ Scholaſticam palæſtram invitarentur Clerici Monaſticen profeſſi .... Acu
„ tangere eſt in probatis ab Eccleſia Ordinibus, in quibus ſtudio ſedulam
„ navantibus operam, & per omnes ſcholaſticos agones exercitatis Magi-
„ ſtralis laurea confertur &c.... Neque ullo modo poteſt hanc laudabilem
„ .... conſuetudinem diris devovere adverſarius, quamvis ipſe non ſit eo
„ decoris titulo inſignitus.

XV. Ubinam adverſarius hanc lauream Magiſtralem diris devovit? Etiamne hoc crimen illi affingitur, ut omnium Magiſtrorum, Jubilatorum, Præſentatorum, Baccalaureorum, Licentiatorum odium atque vindicta in illum incitetur? Non inſignitus modo hac laurea ille non eſt; verum etiam
indi-

Digitized by Google

indignum ſe & *Magiſtri*, & *Concionatoris* titulo fatetur. Percontabitur quiſpiam, cur tanto fervore in cauſam Evangelicæ paupertatis introducat lauream Magiſtralem Profeſſor Regius? Ignoras? An non vidimus ſupra ab eo conſtitutum non omnibus Regularibus, & Monachis peculium permittendum eſſe: ſed iis *jure ſummo* deberi, qui in litterarum ſtudia incumbunt. Quare laurea Magiſtralis, Jubilatura, & cæteri gradus ſunt uberrima illa latifundia, e quibus non modici oriuntur proventus. Hos dumtaxat gradus talibus immixtos corruptelis deteſtatur diſciplinæ Monaſticæ Author. Cæterum laudat ille lauream *Magiſterii*, quo tot doctiſſimi viri inſigniuntur, non ut pecuniis affluant, atque deliciis, & commoditatibus; ſed ut in communem Eccleſiæ utilitatem, & decorem ſanam doctrinam doceant, propugnentque.

. XVI. Pergit Doctor Theologus aliorum criminum reum poſtulare Amicum ſuum. Turpes antilogias, fraudes, dolos, deliria ſe in eo deprehendiſse inclamat. Aliqua curſim delibemus. Pag. 97. *Apage delirium*, *apage commentum*. Pag. 222. *Hinc monſtrum*, *hinc fraus*, *eſto non ex animo*. Pag. 226. *Seipſum idcirco, ut in puteo conſtrictum declaret, opere pretium eſt. Plura iterum in eo notare poſſem, ut in eo GRÆCAM FIDEM caſtigarem; ſed quia dædaleum remigium exopto .... ab eis abſtineo*. Tandem conſueta figura vociferatur pag. 4. *Præſto utique mihi forent innumera Scripturarum oracula, Patrum monumenta, aliaque communia loca ad cudendum in æmulum fabam*. Sed *quid hoc eſſet, niſi rugata fronte, contractiſque naribus Sanctitatem ementiri in vulgus*. Fabam in æmulum cudendo, Sanctitatem ementiri in vulgus? Sed perſequamur deſcriptionem. *Aculei mihi non deeſſent ad pungendum, lepores ad irridendum, tropi, & figuræ aptæ ad invehendum, quum etiam ego conſueverim e ſuggeſtu declamare. Ars omnis preſto foret ad amarulentam Apologiam, eamque ab initio ad finem uſque ita diſpoſitam*.

XVII. Author diſciplinæ Monaſticæ quanta hilaritate ſuſcipit recenſita ſcommata, & dicteria in ſe contorta; tanta liberalitate ultro adprobat encomia, & laudes, quibus Profeſſor Regius ſemetipſum extollit. Ab eo dumtaxat quærit, cur tam ſevere invehatur in artem concionandi? Cur Concionatoribus artem ratiocinandi deneget? Nam in hoc proxime adducto textu fatetur ſe quoque tale exercuiſſe Miniſterium. *Quum etiam EGO conſueverim e ſuggeſtu declamare*. Reſpondebit forte, imo reapſe reſpondet in eodem ipſo textu, ſe ornatum eſſe *aculeis ad pungendum*, *leporibus ad irridendum*,

dendum, Tropis, & figuris aptis ad invehendum: omnemque artem ad Apologias texendas ſibi præſto eſſe. Et revera hæ ſuæ fulgentes animi dotes neque meo, neque alieno indigent teſtimonio. Hæ Regularium Vindiciæ ſole meridiano clarius confirmant, quam ſit in ſcribendo facetus, elegans, facundus, & quam illi *præſto ſit omnis ars*. Et principio id palam facit *pag.* 3. ubi aſſerit, calcaria ſibi ad ſcribendum adjeciſſe ardens illud deſiderium vindicandi decorem ſtatus Monaſtici *dire ſtigmatizati*. Quæ defenſio ſubdit *pag.* 159. ſi innotuiſſet adverſario, numquam *adeo acriter* Petrum Paſſarinum *ſtigmatizaſſet*, ſeu *ſcommatizaſſet*, addendum fuiſſet. Addit reapſe *pag.* 95. eo progreſſum Authorem diſciplinæ Monaſticæ, ut vel ipſa *crimina ſtigmatizet*. Quis, hæc dum legit, negabit, illum omnes dicendi veneres, ceu alterum Socratem aſſecutum eſse? Atque in hac firmabitur opinione quicumque ex una parte audiet illum jaculantem in aures pag. 163. Tò *pariformiter* uſque ad delicias repetitum: inaudietque ex altera Tò *nullimode* pag. 199. Tò *voluminoſius* pag. 3. Tò *ab indiſcretis Zelotibus* pag. 82. Quis non mirabitur has ſuas venuſtates, hoſque lepores. *Ne occaſio præſtetur diſcolis inſordeſcendi in propria ſegnitie, & deliciandi in ſcelere* pag. 105. Figuram ne, an Tropum reputaverint eruditi Textum illum in ſenſu ab illo allatum: *Boves arabant, & Aſinæ paſcebantur*. Ego nunquam has ſuas argutias, veneres, leporeſque ſuaviſſimos in medium adduxiſsem, niſi ille me in rem hanc vel repugnantem pertraxiſſet. Sapientis Magiſtri *Cano* effatum mihi arridet. *Ego tamen, ſi Theologus non afferat eloquentiam, tantum abeſt, ut aſpernet, ut ne flagitem quidem.*

C A P U T VII.

Commentum de peculio D. Thomæ Aquinatis convellitur. Alia ab Erudito quodam oppoſitio facta diluitur. Cardinalis Bellarminus, & Regulares vitæ communis cultores vindicantur.

I. QUÆ adverſus D. Thomæ Aquinatis Sanctitatem ſcribit Regius Profeſſor, cujuſque moderationis, ut quam leviſſime dicam, limites tranſiliunt. Primum fabulam toties convulſam, & penitus contritam recudit, Sanctum nimirum Thomam privatum habuiſſe peculium ſexaginta aureorum. Hæc quippe ſcribit pag. 78. & 79. „ Et quamvis non

„ omnia

„ omnia, quæ in Sanctorum actis poterant recenſeri, fuerint ad nos de-
„ mandata, pauca tamen in medium proferre non denegatur ex iis, quæ
„ ſpongia *criticorum* non egent ..... Primum igitur quod nobis præſto eſt
„ monumentum ad vendicandum Religioſorum depoſitum, illud eſt, quod
„ in vita Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis adnotandum occurrit.
„ fuiſſe ab eo pariter ad uſum, & neceſſitatem reſervatam pecuniam tra-
„ dunt N. N. Raphael Pornaſius, & Michael Zanardus. Hoc tamen inter
„ eos diſcrimine verſante, quod ille ſcutorum ſexaginta ſummam, hic di-
„ midiam, triginta nempe ſcutorum ſummam in communi capſa ſervatam
„ ab Angelico adſtruat: addatque pariter Zanardus ad ejuſdem Doctoris ti-
„ biæ infirmæ incommodo laborantis, neceſſitatem fuiſſe ejuſdem expenſis
„ nutritum, retentumque mulum, qui S. Doctore vita functo pariter inte-
„ riit. Verum hæc omnia ad fabulas, nugaſque amandat Æmulus noſter:
„ quotve dicteriis utrumque impetat, is novit, qui ejus ſcriptum legit. At
„ qui ita refragatur, & iratis Diis furore percitus devovet ea, *ad incudem*
„ *non revocat monumenta*, *quæ Lovanii deprompſit in publica theſi P. M. F.*
„ *Petrus Clenaertes Ordin. S. P. Auguſtini*, *ex eoque tranſcripſit inſignis alter*
„ *Auguſtinianus P. M. Deſirant*.

II. Fatetur, Æmulum ſuum inter fabulas amandaſſe commentum iſtud, quod duobus poſt ſæculis a tranſitu S. Thomæ Raphael de Pornaſio excogitavit, & nudius tertius, ut ita dicam, nullius nominis Caſuiſta laxioris Ethices Michael Zanardus ex Pornaſio exſcriptum typis recudit. Eccur ergo argumenta, quibus Æmulus ſuus ſub nomine Caroli Antonii Plantamura in ſuo *commentario Hiſtorico Apologetico diſſ.* 2. *cap.* 9. evidenter demonſtravit, meros fuiſſe fabulatores, qui Sancto Doctori peculium illud affinxere, non refellit? Eccur indicta reliquit? *Qui ita refragatur*, inquit, *& iratis Diis furore percitus devovet ea*, *ad incudem non revocat monumenta*, *quæ Lovanii deprompſit in publica Theſi F. Petrus Clenaertes*, *ex eoque tranſcripſit Deſirant*. Næ tu egregius criticus. Quæ ſunt iſta monumenta, quæ Lovanii in medium produxere perdocti *Clenaertes*, & *Deſirant*. Ut univerſo litterario Orbi pateat, qui ſint iſtius Theologi auſus, iterum ſub oculos veniat laudata propoſitio ex *pag.* 79. *Qui ita refragatur*, *& iratis Diis furore percitus devovet* (peculium 60. aureorum affictum D. Thomæ) *ad incudem non revocat monumenta*, *quæ Lovanii deprompſit in publica Theſi F. Petrus Cleanertes*, *ex eoque tranſcripſit Deſirant*. Ex hac loquendi forma quiſ-

que colligit, R. Magiſtrum ad incudem revocaſſe jactata monumenta: atque adeo rem confeciſſe. Et tamen, quia *volante calamo* ſcripſit, ſui oblitus pag. 170. hæc ſcribit. *Hos Authores* (Clenaertes, & Deſirant) *non habui ad manus. Eorum adſerta legi apud Vanefpen*. Vaneſpen narrat præfatos Clenaertes, & Deſirant auctoritate Pornaſii ſcribere D. Thomam habuiſſe peculium, ſubditque Authores illos Lovanienſes, ad hoc, quod attinet, nullam narrationi addere auctoritatem. Magiſter Vindex fatetur ſe non alia Authorum illorum legiſſe, præter ea, quæ ſcribit Vaneſpen. Hic nec obiter indicat Authores iſtos monumentum aliquod deprompſiſſe, ut cuique illum legenti conſtare poteſt. Ergo luce meridiana clarius eſt, illum proprio marte effinxiſſe ab his Authoribus adducta eſſe monumenta, quibus probetur, S. Thomam habuiſſe peculium privatum. Sunt ne hæc ex illis, quæ poſſet, ut ſcribit *pag. 6. objicere ad triumphum?*

III. Leviora ſunt quæ hactenus indicavi, ſi cum iis conferantur quæ mox dicturus ſum. Peculium, quod Pornaſius, & Zanardus S. Thomæ affingunt, conflatum dixerunt ex proventu Cathedræ, quam ille Neapoli moderabatur. Hoc autem commentum, ut confutaret laudatus Plantamura, Regium diploma in medium produxit, in quo ſtipendium ſolvi mandatur non ipſi D. Thomæ Aquinati, ſed ejuſdem Conventus Priori, ſive Procuratori. Adeo clare hoc præſcribitur in citato diplomate, ut vel Magiſter Theologus fateatur, non poſſe ex eodem colligi, S. Doctorem habuiſſe peculium illud, quod commenti ſunt Pornaſius, & Caſuiſta Zanardus. Quare alia ille documenta opponit, ut pecunioſum fuiſſe Aquinatem evincat ſic enim ſubdit ibidem pag. 80. „ Ex aliis ergo, iiſque authenticis monumen„ tis rem totam ad trutinam revocare oportet, ut quæ univerſim ille (Au„ thor diſciplinæ Monaſticæ) ad fabulas amandat, ad veram hiſtoriam ju„ re ſervato remittantur. Denegat ille haud fuiſſe S. Thomæ addictum mu„ lum ad inſidendum, quum iter agere deberet fiſtula, quæ tibiam læ„ debat laborans. „ Antequam ultra provehor, lubet referre verba *Plantamuræ*, quibus, quam ſit baſilica hæc falſitas, adpareat. Sic ergo ſcribit Plantamura: *Scimus, Divum Thomam tibiæ incommodo laboraſſe. Pontificis præcepto Lugdunum petere adactum, non negamus eum læſa tibia mulæ inſidentem iter inſtituiſſe: an propterea pronunciari abſolute debet, mulam propriam habuiſſe, & triginta aureorum depoſitum conſervaſſe? Quod putidiſſimum mendacium eſt, & D. Thomæ ſanctitati quam maxime probroſum*. Cuinam in mentem veniret,

veniret, aliquem repertum iri, qui hoc ipſum mendacium recuderet? Et tamen id prædixit Profeſſor Regius, fabulam aliis fabellis involvens. In medium ergo promit textum vitæ S. Thomæ, ſcriptæ a Magiſtro Guillelmo de Thoco, qui eſt ejuſmodi. „ Mulus, cui prædictus inſederat, de ſtabulo ſe, „ fracto fune, diſſolvit, & nullo ducente appropinquans ad feretrum, mor- „ tuus ſine alia infirmitate defecit, ut etiam in animalibus Deus oſtende- „ ret, quod magnum Eccleſiæ lumen defeciſſet. „ *Quæ verba dubio procul* (arguit Regius Profeſſor) *inſidendi eidem mulo CONSUETUDINEM denotant*. Quid nomine conſuetudinis intelligit? In conſuetudine ne habuit S. Doctor, infirmitate ſublata, iter mulo peragere? Hoc ſi aſſerit, culpam impingit D. Thomæ, eumque traducit ut violatorem legis, quæ iter pedeſtre præcipiebat, quæque ſeveriſſime obſervabatur ab omnibus Fratribus, ne dum a ſanctis Viris, ut omnes teſtantur hiſtorici. Hæc lex in Capitulo Generaliſſimo anno 1236. renovata fuit, ceu una ex quatuor potiſſimis Ordinis ſtatutis, & confirmata fuit anno 1239. ſub Generali Magiſtro S. Raymundo his verbis: *Et ſi aliquando occaſione Capituli, vel neceſſitate exire contigerit, nec EQUITENT, NEC QUADRIGENT, niſi adeo gravis infirmitas ſupervenerit, quod aliter fieri ſit neceſſe*. Equeſter ergo D. Thomas, neceſſitate infirmitatis urgente, Lugdunum petiit. Quid hinc colligit Profeſſor Regius? D. Thomam peculium habuiſſe, quo mulum, cui inſidere, inquit ille, conſueverat, aleret. Sit ne legitima hæc illatio, an ſecus, cæteri videant. Has fabulas a Zanardo invectas, & a Plantamura labefactatas, iterum recudere non debuiſſet Magiſter Theologus.

IV. At in examen veniat aliud monumentum, quo confirmare nititur, „ S. Doctorem peculium habuiſſe. Subdit ergo pag. 81. Inficiatur iterum „ ille (Author *Diſciplinæ*) peculium a S. Thoma in itinere delatum; ſed „ *apertiſſime* oppoſitum colligitur *ex proceſſu Canonizationis* S. Thomæ, in „ quo F. Petrus de Caſtro Montis S. Joannis Sacerdos Ciſtercienſis, indu- „ ctus ſuper teſtificatione miraculorum, refert miraculum a Deo patratum „ in piſcibus, quos ut emeret, adcurrit B. Reginaldus S. Thomæ ſocius, „ *quod dictus F. Thomas dum viveret, & eſſet in Caſtro Magantiæ & cæ-* „ *piſſet aliquantulum infirmari, & propter debilitatem requireretur a ſocio* „ *ſuo, ut ſumeret cibum, dictus F. Thomas dixit ad eum: Credis quod in-* „ *venirentur harenghæ recentes? Et ſocius reſpondit: Credo quod in partibus* „ *Ultramontanis, Anglicanis, & Gallicanis invenirentur: & dum hæc ad in-*

„ *vicem conferrent, quidam Piſcarolus Bordonarius nuncupatus, veniens de* „ *Traten. Magantiam cum ſardis ſicut conſueverat, ſocius dicti F. Thomæ,* „ *qui vocatur F. Raynaldus de Piperno, interrogavit ipſum Piſcarolum,* „ *quos piſces haberet : & ille dixit, ſardas : & dum feciſſet diſcooperiri* „ *ciſtas, in quibus portabantur dicti piſces, invenit unam de ipſis ciſtis plenam harenghis recentibus.* „ Hoc eſt luculentiſſimum monumentum *ex proceſſu Canonizationis* erutum, quo *apertiſſime* doctor Theologus evincit, S. Thomam habuiſſe privatum peculium. *In proceſſu Canonizationis* miracula, aut heroicæ virtutes recenſentur. In miraculorum ne, an in virtutum heroicarum ſeriem collocat peculium privatum ſexaginta aureorum habitum a Fratre Mendicante? Quid reſponſi exhibet? *Apertiſſime ex proceſſu Canonizationis colligitur, S. Thomam habuiſſe peculium privatum* ſexaginta aureorum. In caſtro *Magantiæ* valetudinarius degens Doctor Sanctus, a Nepte ſua Nobiliſſima Comitiſſa alebatur : cibum omnem faſtidiens, importune rogatus quonam ferculo libenter veſceretur? Sardis recentibus repoſuit. Miraculo ſardæ inventæ ſunt. Et ille ex hoc prodigio in illius ſanctitatis teſtimonium patrato, & in Proceſſu Canonizationis adducto, peculium privatum eruit *apertiſſime*? Qui ſimilia typis prodere non reformidat, quæ commenta non effinget? Sed audiamus quod ſubdit in confirmationem hujus *apertiſſimæ* veritatis. „ Ne autem poſtulator poſſit interpretamentum adjice„ re, & in nos recudere fabam, ad rei firmitatem addam, quod in MSS. „ vetuſtiſſimis in laudato S. Dominici Archivo ſervatis, legitur, nimi„ rum B. Reginaldum S. Thomæ ſocium, & Confeſſarium a ſorore An„ gelici Doctoris, non modicam auri ſummam excepiſſe, dum Neapoli Lug„ dunum ad Concilium perrecturus iter aſſumpſit : ex qua pecuniarum ſum„ ma partem in itinere conſumpſit, quæ vero reliqua fuit ad Conventum „ S. Dominici poſt obitum detulit. Ex quo vindicatur adſertum Lova„ nienſium Profeſſorum ex Ordine Eremitarum S. Auguſtini, quos ſupra „ laudavi. Quid enim tunc obſtare poterat, quo minus pecuniam defer„ ret? Conſtitutio Ordinis? At hæc non ne ex rationabili cauſa diſpen„ ſat? Cur ergo non fuiſſe cum tanto viro diſpenſatum a Superioribus eſt „ adſeverandum? Alia quippe tunc vigebat charitas, prudentia alia, „ quæ ab *indiſcretis Zelotibus exulat.* „ Hactenus Profeſſor emeritus. Et primum cur non attulit textum vetuſtiſſimi codicis? Si in documento, quod ex proceſſu Canonizationis produxit, nec umbra peculii appa-

ret,

ret, quid colligere prudenter poſſumus ex codice, cujus verba non effert? Si juxta Magiſtros Pornaſium, & Zanardum D. Thomas habebat peculium ſexaginta, aut triginta ſcutorum aureorum, quid illi neceſſe erat ſtipem a ſorore recipere? Si eleemoſynam pecuniæ, qua expenſas itineris ſolveret, a ſorore accepit, non ergo ipſe habebat peculium ſexaginta aureorum, niſi avaritiæ, nedum peculii, accuſare velit Angelicum Doctorem. Quid multa? Verum habeat, D. Thomam pecunias in via habuiſſe pro neceſſariis itineris expenſis, quid inde inferre audet? Non ne omnes Religioſi ſeverioris diſciplinæ, & exactæ communitatis, pecunias deferunt in itinere, quo abſoluto, quæ ſuperſunt, Conventui reſtituuntur, ut ex ore ſuo præſtitit D. Thomas? Sed quid in refellendis tam ineptis commentis verba fundo?

V. Occaſione hujus fabellæ de peculio D. Thomæ Aquinati affіcto, præſtat hic quoddam expendere monumentum, unde Perdoctus quidam Theologus Auguſtinianus objectionem eruit in peculii privati favorem. In Archivo, inquit, Conventus Parmenſis inſtrumentum publica Notarii manu exaratum anno 1274. aſſervatur, in quo habetur, Fratrem quemdam *Adelaidem* de Parma licentia Generalis, & Provincialis teſtamentum condidiſſe, quo de bonis ſibi a Patre relictis diſpoſuit. Teſtatur, nihil ſe de Religionis bonis habere præter libras 15. *quas habui*, inquit, *in Conventu Ceſenæ, & expendidi in una Biblia*. Conſtituit, *ut recurrente die ſuæ mortis, vel Patris ſui, Sacerdotibus tres ſolidi imperiales diſpenſentur, duo vero Clericis Conventus. Tandem jubet, ut ſubuculla, ſudariola, ſandala, cultellini, idque genus ſimilia, Prioris arbitrio Pauperibus Fratribus illius Conventus, in quo degerit, tempore mortis ſuæ tribuantur*. Heinc concludit Theologus, præfato tempore peculii uſum obtinuiſſe. Et tamen tum temporis vivebant S. Nicolaus de Tolentino, Ægidius Romanus, Clemens Auſcimanenſis, aliique viri pietate, doctrinaque inſignes.

VI. Verum elumbe prorſus eſt Auguſtiniani Theologi argumentum. Nam etiam admiſſa hujuſce inſtrumenti ſinceritate, quid hinc inferri poteſt? Numquid ex inſtrumento unius Notarii, non ex Regula S. Auguſtini, quam Theologus iſte profeſſus eſt, colligit communitatis ſervandæ formam? Num ad iſtius inſtrumenti, non ad Regulæ Auguſtinianæ præſcriptum profeſſionem emiſit Theologus Auguſtinianus, qui præfati inſtrumenti Apographum, ſe tranſcripſiſſe ait, ut paupertatis ſuæ monumentum penes ſe habeat? Generalis

ralis totius Ordinis] cum Fratre *Adelaide* diſpenſavit, ut peculio uteretur: Ergo peculium licitum omnibus erat? Prior Generalis diſpenſavit, ut Frater Adelaides teſtamentum conderet: Ergo omnes Fratres teſtamentum condere licite queunt? Quis unquam inficiatus eſt, poſſe Priorem Generalem habendi peculii, ob juſtam rationabilemque cauſam, facultatem alicui Fratri impertiri? Hæc eſt vera reſponſio, ſi facultas data legitima eſſet.

VII. Cæterum haud debuiſſet Theologus inſtrumentum illud in medium prodere, utpote minus congruum decori & Prioris Generalis, & Fratris Adelaidis. Nihil Frater iſte de bonis Religionis habebat? Alienorum ergo bonorum poſſeſſor erat. Diſponit Frater Adelaides, ut *ſubuculæ*, *ſudariola*, *ſandala*, *cultellini &c. arbitrio Prioris diſpenſentur?* An hæc, & ſimilia ad Conventum non pertinebant, atque adeo Superioris arbitrio ſubjecta? Generalis ne facultatem teſtandi impertire jure valet? Teſtamentum iſtud, quod obtrudit Theologus Auguſtinianus, aut ignorantiam ſui Prioris Generalis, & Fr. Adelaidis, aut ſummam Diſciplinæ corruptelam arguit. Quare operam luderem, ſi in re futili refellenda, tempus impenderem. Sciat tamen Theologus iſte, ſimilia collapſæ Diſciplinæ documenta plura occurrere. Idque in cauſa fuit, ut Concilium Tridentinum, ut Clemens VIII. cæterique Pontifices tot Conſtitutiones ederent adverſus peculium; quia ſcilicet refractarii Fratres in dies prætextus captabant eludendi Regulas Monachales. Si enim Regulis paruiſſent ſui Clauſtrales, nunquam Concilia, & Pontifices tot tantaſque condidiſſent Conſtitutiones & Decreta. Anno 1274. vivebat, inquit Theologus, S. Nicolaus de Tolentino. Bene, & recte. Tempore Judæ vivebat Chriſtus Dominus. Tempore Ananiæ, & Saphiræ in vivis Petrus erat. Quod dictum ſit, eo tantum, ut vis argumenti Theologi noſtri palam fiat.

VIII. Cæterum, ut Theologus opponens melius ſentiat documenti ſui exilitatem, ob oculos ſibi revocet monumentum luculentiſſimum profeſſionis ſuæ. Hanc ille emiſit, imperante Innocentio XI. ad Regulæ Auguſtinianæ, ad Concilii Tridentini, & Clementis VIII. præſcriptum. Si quæ Ordinum Clauſtralium Conſtitutiones, collapſæ Diſciplinæ tempore conditæ, peculium permittunt, a Tridentino, a Clemente VIII. ab Innocentio XII. revocatæ ſunt, & vetitæ. Si Conſtitutiones iſtæ conſiſterent, quid ſacrum jusjurandum ſervandæ communitatis in Conventibus Profeſſionis emitendæ

tendæ exigeret Sacra ſuper Diſciplina Regulari Congregatio? Sed hæc ſatis. Ad Magiſtrum Vindicem redeo.

IX. Regularium Vindicator inceſſit Diſciplinæ Monaſticæ Authorem, non ſecus ac veteres Patres Baſilius, & Chryſoſtomus Hæreticos Monachorum oſores: atque poſteriores Patres Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Bonaventura, Guillelmus, & recentiores Theologi Vicleffum, Lutherum, Brentium, iſtorumque gregales, quos qua ſcriptis, qua voce refutarunt, confuderuntque. Porro quamvis laudatorum Patrum veſtigiis ſe inſiſtere aſſerat Profeſſor Regius, nihilo ſecius ſubdit, ſe imitaturum potiſſimum Cl. V. Fr. Dominicum Gravina ſuæ Congregationis *S. Mariæ Sanitatis* alumnum; ſic enim ſcribit *pag.* 2. „ Ne invindicatus remaneat univerſus *Cucullatorum* „ Cœtus, vel minimus inter Fratres meorum cauſam patrocinandam adſumere volui, remque gratam me facturum Ordini, cui nomen dedi, „ cæteriſque Regularibus exiſtimavi .... morem & exemplum ſequens nedum veterum Patrum, & Theologorum Baſilii, Chryſoſtomi, Aquinatis, Bonaventuræ, aliorumque inſignium doctorum, qui pro Monachis, „ vel pro Mendicantibus Apologias ſcripſerunt; ſed præcipue mihi ducem „ ſtatui proxime elapſi ſæculi Cl. V. F. *Dominicum Gravina*, e Congregatione „ N. S. Mariæ Sanitatis ad primariam Cathedram in Regia Neapolitana „ ſtudiorum Univerſitate, & ad primores in Ordine gradus etiam Procuratoris, & Vicarii Generalis, pro merito adſumptum. Hinc enim ſtatim, ac in „ vulgus prodiit libellus, cui titulus: *Gemitus Columbæ*, quo videlicet UNA „ GLORIFICATA REGULARIUM SOCIETATE, reliqui *Cucullati*, cæterique Religioſi, ecu deſpicabiles indicabantur, animum, & manum applicuit, ut cunctos Monaſticos Ordines vindicaret edito libro, cui Titulus *Vox Turturis*: nec uno contentus opuſculo, aliud *voluminoſius* edidit cui Epigraphen adpoſuit, *Congeminata Vox Turturis*, quibus Monachorum omnium vineas florentes, vernanteſque ſemper ad miraculum „ uſque demonſtravit. Hiſce namque exemplis, ducibuſque rectus, inſtituendas duxi Monachorum Vindicias adverſus querelas laudati Recentioris. Omnes ii, qui hæc legerint, ſuſpicabuntur, librum *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ* Monachorum, & Regularium Ordines diris devovere, calumniis proſcindere, ejuſque Authorem alterum eſſe, aut Guillelmum a S. Amore, aut Vicleffum, aut Brentium. Quapropter benemereri de Cucullatis, de Mendicantibus omnibus, ſed potiſſimum de Sacro Ordine, cui nomen dedit,

Digitized by Google

dit, ſe jactat Magiſter Theologus. Verum quam inani ſpe ille lactetur, tum conſtabit, cum palam fiet, erroneam eſſe ejuſdem doctrinam, quæ nequit placere Ordini illi, qui *veritatis Ordo* jure & merito appellatur.

X. Bellarminus ergo, *una glorificata Regularium ſocietate*, cæteros ſacros Ordines, reliquoſque *Cucullatos* deridendos propinat? Et quænam eſt hæc *Regularium Societas* ab eodem glorificata? Si Regularium Societatem glorificat doctiſſimus, unaque piiſſimus Cardinalis, quos Regulares deſpicatur? Societas enim Regularium Regulares omnes comprehendit. Quid ille nomine *Societatis Regularium* intelligit? Ille, cui omnis dicendi ars præſto eſt, ediſſeret nobis hanc ſuam reconditam phraſim. Quaſi jurarem, nomine *Societatis Regularium* inclytam Societatem JESU illum ſignificare voluiſſe. Nonne ſic res ſe habet? Cedo. Ubi nam in toto opuſculo inſcripto *Gemitus Columbæ* glorificat ſuam *Societatem* piiſſimus Cardinalis? Dedicat utique Opus ſuum Patribus, & Fratribus ejuſdem Societatis. Mentiar, ſi dedicationem modeſtiorem, prudentioremque reperire ille valeat. Præter hanc autem dedicationem nec verbum habet, quo eamdem Societatem glorificet. Non minus commentitia eſt aliorum Ordinum contemptio, ſive diffamatio, quam obtrudit. Pluries legi ad pietatis ſenſus ciendos præfatum Bellarmini librum, & nullibi vel verbum offendi ſacris Ordinibus injurioſum. *Lib. 2. cap. 6.* pro ſexto lachrymarum fonte proponit meditationem Ordinum Religioſorum. Enarrat quæ de Monachis ſcripſerunt Auguſtinus, Gregorius Nazianzenus, Joannes Chryſoſtomus, Hieronymus. Deinceps hæc, quæ ſequuntur, ipſe ſubdit. „ Quæ autem Sancti Patres, Nazianzenus, Chryſo„ ſtomus, Hieronymus, & Auguſtinus de Monachis ſui temporis dicunt; poſſu„ mus nos etiam dicere de primordiis omnium Ordinum Religioſorum. Nam „ & S. Benedicti, & S. Dominici, & S. Franciſci, & omnium aliorum San„ ctorum, qui Religioſos Ordines inſtituerunt, filii, & nepotes per multos „ annos ita ſancte, pie, perfecteque vixerunt, ut vel omnes, vel eorum pars „ maxima inſigni ſanctitate floruerint. Poſtea tamen multiplicari cœpe„ runt Regulares ſine numero, & multi non a Deo vocati ad ſtatum per„ fectionis, ſed aliis rationibus adducti Monaſteria repleverunt: & imple„ tum eſt illud Iſaiæ: *Multiplicaſti gentem, & non magnificaſti lætitiam.* „ Inde nata ſunt ſcandala gravia, & multiplicia, quæ materiam uberem „ præbent columbæ gemendi, & plangendi relaxationem, ne dicam cor„ ruptionem Ordinum Religioſorum. Quamvis enim nullus ſit Ordo, in

„ quo

„ quo non aliqui vere pii, ſanctique reperiantur; tamen negari non po-
„ teſt, quin magna inveniatur in *quibuſdam* Ordinibus multitudo relaxa-
„ torum. Et fortaſſe impletur noſtris temporibus, quod accidit Ordini
„ Sancti Pachomii.

XI. Pachomii tremendam viſionem deſcribit ex Dionyſio exiguo. Ex eadem colligit, principium relaxationis Regularium eſſe *cæcitatem mentis*, ut idem Pachomius interpretatur. Addit aliam viſionem S. Franciſci, quam de progreſſu Ordinis ſui aliquando vidit, ſimilem illi, quæ demonſtrata fuit Regi Nabuchodonoſor per ſimilitudinem ſtatuæ grandis, cujus caput erat aureum, pectus argenteum, venter æreus, tibiæ ferreæ, pedes partim ferrei, partim fictiles. In qua viſione multa leguntur de inſigni perfectione primorum Parentum illius Ordinis, & de magna relaxatione poſterorum. Hinc conludit. „ Ex quibus omnibus colligitur, agendas eſſe gratias Deo cum
„ ingenti lætitia pro tot ſanctis hominibus, quos Ordines Religioſi Eccle-
„ ſiæ Catholicæ pepererunt, & in dies pariunt: & ſimul etiam funden-
„ das lacrymas copioſas pro deformatione, quam paſſa eſt tam illuſtris
„ portio Chriſti: & ſimul orandum aſſidue Deum, ut convertat corda
„ Patrum in filios, & relaxatos filios ad prudentiam ſpiritualem, & fer-
„ vorem cordis Patrum juſtorum. „

XII. Hæc ſunt omnia, quæ doctiſſimus Cardinalis de Regularibus magna prudentia ſcribit, atque ſacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum doctrina confirmat. Ubique pietatem, modeſtiam, atque caritatem redolet, & ad pænitentiam, ad crimina lacrymis abluenda, & ad virtutes omnes excolendas excitat, atque efficaciſſimis adhortationibus incitat, urgetque. Nihil in eo, quod cenſuram mereatur, apparet, nihil quod a veritate aberret, nihil quod ſive Regularium, ſive quorumque hominum famæ detrahat. Quid, quod in ſeveriſſimo examine a Sacra Congregatione Rituum inſtituto ſuper Operum piiſſimi Cardinalis ſanctitate, licet plura oppoſita, ut moris eſt in cujuſque Sancti viri *canonizatione*, fuerint, nemo unquam oppoſuit hanc maculam Regularibus impactam. Compertum igitur, exploratumque, P. Dominicum *Gravina*, tametſi virum alias doctum, & de Ordine, atque de Catholica Religione, pro qua adverſus hæreticos decertavit, optime meritum, injuria in Bellarminum calamum acuiſſe. Non eſt quod ejuſdem libellum *Vox Turturis* ſub examen inducam, eaque notem, quæ ſpongia egent. Sat mihi eſt palam fecisse, nullo adductum ra-

Digitized by Google

tionis momento litem Bellarmino intentaſſe, & Regulatium Ordinum detractorem repræſentaſſe. Igitur Regius Profeſſor hæc ſcribens, *ſed præcipue mihi ducem ſtatui F. Dominicum Gravina*, fateatur oportet, errantem ducem ſe ſequutum fuiſſe. Erravit ergo & ipſe, aberrantis veſtigia perſequens. Aliud opuſculum *voluminoſius* quod objicitur, ubi *ad miraculum uſque florentes vernantesque* demonſtrantur Monachorum vineæ, in deliciis habeat ille, nemine invidente. Non me latet, his vindiciis non indigere Bellarminum jam ſatis ſuperque defenſum libro illo, cujus titulus eſt, *cavea &c.* Sed hæc pauca obiter indicare volui, tum ut evincerem, Profeſſorem Regium ubique claudicaſſe utroque pede, putidaſque fabellas illum exſcripſiſſe, quas in rem ſuam conferre arbitratus eſt: tum ut palam facerem, me nullo partium ſtudio, ſed ſolo veritatis amore, quæ coram Deo vera, & juſta exiſtimo, ad communem utilitatem litteris prodere. Arridet quippe mihi magnopere conſilium ſapientis Melchioris *Cano*. *Propoſitum eſt autem veri reperiendi cauſa & contra noſtros, & pro alienis etiam dicere: & cum res poſtulat, utroſque, nullius accepta perſona, reprehendere. Atque in eo Opere maxime, quod ad Eccleſiæ utilitatem cudimus, privatis non debuimus affectibus inſervire. lib. 7. de loc. Theol. cap. 3. concluſ. 4.*

XIV. Quid? ſi Bellarminus, aut quilibet alius evulgaſſet quæ ſcribit Profeſſor Regius non de laxatis modo, verum etiam de reformatis Conventibus, quibus ſacrilegia, latrocinia, ſcandala, & cujuſque generis ſcelera attribuit. Hæc enim habet *pag.* 8. „ At in eam foveam decidunt etiam „ non ſemel qui nihil perceperunt ex laboribus ſuis, nullumque retinent „ depoſitum: quum enim frigeſcunt, fiunt *fures*, & *latrones*, ut vitiis pabulum præſtent: quotve fraudes adhibeant, quot modis, ut ſenſui laxent habenas, pecunias procurent, bene novit qui diu vixit in Sancta „ Congregatione. Sed de hac re plenius infra redibit ſermo. „ Promiſſa ſua ſolvit pag. 114. ubi ſic exclamat. „ O utinam & in omnibus com„ munitatibus, ubi ea ſervatur communis vita, ea puritate niterent habi„ tantes in eis, qua emicabant primigenii Credentes! Quod propriis ocu„ lis vidimus, quod a viris probatæ fidei audivimus, quod certo ſcimus, „ teſtamur. Non ſemel Superiores, vel paſſionis, vel alterius vitio detenti, „ id faciliter denegant indigentibus, quod libenter indulgent ea neceſſitate „ haud obſtrictis. Hcinc pedes iter agit qui debilis eſt, & ſtudioſus:

„ equi-

„ equitat vero robuſtus, & piger, vel eo ſolum ex momento, quia hic
„ eſt amicus Prælati, ille vero eidem nulla neceſſitate junctus. Uni
„ xenia donantur, alteri vel neceſſaria ad levamen denegantur. *Diſcoli* non
„ ſemel commodius tractantur, quia contendunt, murmurant, obloquun-
„ tur, accuſant: dociles vero, & piæ converſationis homines, quia non
„ conqueruntur, nequidem in infirmitate reficiuntur: pannoſis lacerisque ve-
„ ſtibus hi veſtiuntur, illi autem novis optimiſque indumentis cooperti in-
„ cedunt, non ſine faſtu, nec ſine aliorum contemptu. Scimus, & certo
„ ſcimus, quam plures neceſſitate compulſos a laicis in ſtipem quærere
„ quod eis neceſſe fuerit. Scimus, *ſacrilegos* non nullos clam retinere do-
„ nata, variamque pecuniam ad ſubveniendum neceſſitatibus ſuis. Novi-
„ mus etiam alios, qui occaſione quæſita prædicandi in diſſitis Regioni-
„ bus, protrahunt iter in adſceſſu, & receſſu morantur in plurimis locis,
„ vere gyrovagi effecti, ut per menſes, & fortaſſe per annos, repetito cir-
„ culo latius extra obſervantiæ locum degant, nec patiantur pœnam vitæ
„ communis, quam profitentur: in itinere pecuniam expendunt, varios-
„ que in reddenda ratione caſus *mentiendo*, ut multifariam ſe excuſent.
„ Scimus hæc quidem, & alia multa novimus. Et quid non audivimus
„ horroris in Parthenonibus Sanctimonialium, ubi ſancto fine introducta
„ exactiſſima communis vita, hodie ſine animorum concordia abſque cha-
„ ritate ſervatur? Iliacos intra muros peccatur, & extra.

XIV. Hactenus Magiſter Theologus de Refomatis Regularibus, penes quos exacta viget communis vita. Sint ea, quæ narravit, vera, quamquam vera eſſe omnia minime credamus, &, ſi ex iis, quæ nos ipſi novimus vel de Congregatione in qua degimus, vel de aliis, in quibus ſæpe verſati ſumus, arguere licet, mala quæ vidit ipſe, dubio procul amplificavit. Sint tamen vera, quæ narrat. Nos quippe cum Auguſtino fatemur, quamlibet profeſſionem in Eccleſia Dei *ſuos fictos habere*. Quid inde ille colligit? Quorſum hæc tam prolixa oratione in publicum evulgavit? Numquid ut frigeſcentem caritatem accendendam ſuaderet, ut languentem diſciplinam inſtaurandam inculcaret, utque Prælatos ad ſuum officium exactius perſolvendum incitaret? Minime gentium, ut totum textum loco citato legenti patebit. Quorſum ergo? Ut evinceret, aut æqualia, aut graviora mala ex vita communi, ac ex privatis peculiis profluere. Porro argumentationem, quam heinc ego conficere volo, revocet velim ad ſuas *ſummuliſticas Regulas*. Ne maledica

Digitized by Google

ſit narratio flagitiorum, quæ de proximo evulgantur, finem honeſtum, communeque bonum ſpectet neceſſum eſt. Nazianzenus, Cryſoſtomus, Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus, Bernardus, Petrus Damiani, Dionyſius Carthuſianus, Cardinalis Bellarminus, Author Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ invecti ſunt in mala, & ſcandala, quæ ex peculiis, ex laxata diſciplina ſive Eccleſiaſtica, ſive Monaſtica, ſuapte natura proficiſcuntur. Quorſum? Ut pulſa laxitate priſtina obſervantia introducatur. Ille enarravit ſcelera, ſacrilegia, & latrocinia, quæ Regulares degentes in Conventibus, ubi viget exacta vita communis, & Diſciplina Monaſtica floret, perpetrant. Ad quid iſta? Ediſſerat. Alterutrum iſtorum fateatur oportet. Aut ut evincat paris conditionis eſse diſciplinam laxam, & reformatam, ita ut æque in illa, atque in hac crimina, & corruptelæ graſſentur, atque adeo nullo modo curandum eſse, ut diſciplina collapſa inſtauretur: aut obtineat de medio tollendam eſse exactam communem vitam, relaxandamque ſeveriorem diſciplinam, ut vitia, latrocinia, & ſacrilegia minuantur. Non contentus Regius Profeſſor generatim traducere Regulares exactæ vitæ communis, & ſeverioris diſciplinæ, ceu proprietarios, ſacrilegos, & gyrovagos, in ipſa Sacrarum Virginum gynæcea obtrectationis jacula contorquet. Nec univerſim in Moniales, ſed ſigillatim definite, expreſse Parthenones Sanctimoniales exactioris vitæ communis carpit, mordet, denigrat: his quippe Virginibus ea improperat ſcelera, quæ Ethnicis Trojanis exprobrat Poeta. Et ne quidquam appareat per exagerationem dictum, ſub oculos redeant illius verba. *Scimus hæc quidem, & alia multa novimus. Et quid non audivimus horroris in Parthenonibus Sanctimonialium, ubi ſancto fine introducta exactiſſima communis vita, hodie ſine animorum concordia abſque charitate Dei ſervatur? Iliacos intra muros peccatur, & extra.* Mirum in modum hic elucent Regii Profeſſoris erga ſuas Sanctimoniales Parthenones prudentia, caritas, & juſtitia. Hæc omnia, quæ recenſui, confutatione indigna exiſtimavi. Calumniæ quippe nimium craſſæ & impudentes ſeipſis in fumum occidunt.

C A-

C A P U T VIII.

Nonnulla Magiſtri Vindiciarum documenta, interpretamenta, & authoritates Bellarmini, & Alagona ad examen revocantur.

I. QUia oratione aliquantulum implexa plura diſparata *Author Vindiciarum* infarcit, idcirco aliqua ſuis locis refutare haud potui, ne & ipſe omnia confunderem, & perturbarem. Non nulla etiam data opera contempſi, quia admodum exilia. Nihil tamen eorum, quæ vel leve faceſſere negotium poſſent, indicta reliqui. Quæ in præſens examinanda ſuſcipio, potuiſſem ſilentio præterire. Verum quia Adverſarius conſueto verborum ſtrepitu, & ſolita triumphali oſtentatione illa objectat, atque exprobrat, ideo obiter ſaltem refellenda ſunt.

II. Pag. 174. Scribit *Clemens VIII..... modum adpoſuit, quo ſervaretur illud* (peculium) *nimirum in communi arca tribus clavibus obſerata*. Saltem confugere Profeſſor Regius debuiſſet ad aliquem ſenſum allegoricum, aut metaphoricum. Nam Pontifex Summus verbis expreſse contrariis prohibet, ne peculium permittatur etiam ſub Depoſiti, aut Cuſtodiæ nomine, ut late ſuo loco demonſtratum eſt.

III. Pag. 175. Hæc ſubdit laudatus Magiſter. *Ut penitus obmuteſcat qui nimio incenſus zelo non ceſſat contra nos-clamare, omneque ei præpediatur effugium, quid Neapoli acciderit tempore Clementis VIII. ocaſione exactæ communis vitæ, quam in Monaſteriis Sanctimonialium introducere ſatagebat Cardinalis Geſualdus Archiepiſcopus Neapolitanus, quidve tunc decreverit laudatus Clemens VIII. narrare lubet*. Paucis, ut quæ prolixo nimium ille ſermone narrat, complectar. Pag. 176. reſcribit duo Decreta Sacræ Congregationis anno 1589. lata, quibus ad exactam rerum communionem revocantur Sanctimoniales Neapolitanæ, quas graviter conqueſtas aſſerit. His ut conſuleret Cardinalis Geſualdus, rem detulit ad Gregorium XIV. qui Decreta Reformationis potiſſimum vitæ communis ſervandæ confirmavit. *Nec tamen ceſſavit quaſſatio*, inquit eruditus *Vindex* pag. 177. ea propter iterum ad novum Pontificem Clementem VIII. Gregorii ſucceſſorem ſcripſit Cardinalis Geſualdus, cui Epiſtolam italico ſermone exaratam dedit Alexander Cardinalis Florent., qui Pontificis nomine priorum decretorum rigorem pro temporis circumſtantia temperavit. Vetuit tamen, *ut in poſterum neque*

que ad habitum, neque ad profeſſionem aliqua recipiatur, niſi ſub integra reformatione, & obſervantia VITÆ COMMUNIS. Ex hac Epiſtola, aucta, non ſedata tempeſtas fuit. Quare Civitas Neapolitana conſentiente Pro-Rege Romam miſit Patritium D. Cæſarem Miroballo ad Clementem VIII. ut facultatem obtineret admittendi ad Monaſteria, & profeſſionem Monaſticam, puellas ſine onere jurandi vitam communem. Porro Legatus obtinuit, ne *in Monaſteriis, in quibus ſubventiones retinentur, nullatenus invitæ cogantur ad vitam communem*.

IV. Heinc colligit Magiſter Vindex: *Ex quibus omnibus ſic fideliter relatis, nedum quæ hactenus dicebam, ſed plura, quæ inferuntur, eaque nobis faventia confirmantur*. Antequam acuta Authoris noſtri interpretamenta refello, ab eo quæro, unde nam didicerit ex facto quopiam peculiari, & graviſſimis circumſtantiis involuto, regulam eruere univerſalem? Commota Civitas ob timorem, ne puellæ abſterreantur a profeſſione Monaſtica, ſi obſervantia Regularis vigeat, quia forte, non Deo vocante, plures Monaſteria ingrediuntur, Oratorem ad Pontificem mittit. Pontifex, inquit D. Bernardus in alio ſimili caſu, importunitate victus legis rigorem in his circumſtantiis laxat. Ergo abſolute legem abſtulit? Quod tamen neque id præſtitit Clem. VIII. ſed ut ſapiens, & prudens Paſtor inter tot tumultus, viciſſitudines, & ſcandala, pro temporum calamitate rem temperavit, reſcripſitque, *non eſſe invitas ad communem vitam cogendas*. Et ſane, nec Deus ipſe aliquem invitum cogit ad virtutem ſectandam; ſed eos ſolos, qui libere, & voluntarie accedunt, ad ſuam excipit Religionem. Quid ſi Pontifex ad ſedandum ampliſſimæ & Regiæ Civitatis tumultum, majuſque vitandum malum relaxaſſet communis vitæ legem? Magnum ne hinc emolumentum colligere Vindicator poſſet?

V. Mirandum, quod Regius Profeſſor non adverterit, hæc quæ narravit eventa, non juvare, ſed penitus conterere cauſam ſuam. Ediſſerat. Si exacta rerum Communitas eſset *ſupererogatoria*, ut ille ſingulis paginis repetit: ſi nulla lege, nullo præcepto impoſita fuiſſet: ſi facilis eſſet voti paupertatis obſervantia abſque hac exacta communitate, & cum pecuniis in ſua toties jactata *capſa* ſeu arca incluſis; tanta ne ſeveritate, non unus, ſed omnes Pontifices, qui iſtam cauſam verſarunt, hanc rerum exactam communionem ſervandam impoſuiſſent? Pro re *ſupererogatoria* nulla lege vetita, tot turbas, tot tumultus concitare? Ad rem *ſupererogatoriam* ſacro jurejurando

jurando ſervandam adiguntur Sanctimoniales? Hæc recogitet Magiſter *Vindex*: deinde amicis divendat, quæ ſcribit pag. 181. *Cum ita benigne ſe pridem geſſerit laudatus Pontifex cum Monialibus Neapolitanæ Urbis . . . qui fieri poteſt, ut poſtea Decretum pro Reformatione Regularium edens voluerit Monachis interdicere etiam in communi capſa & ad licitum uſum reſervatum peculium?* Benigne ſe geſſit Clem. VIII. cum Sanctimonialibus Neapolitanis. Ergo *poſſibile* non eſt, Pontificem hunc præcepiſſe Monachis vitam communem? *Qui fieri poteſt* (inquit Profeſſor Regius) *ut poſtea voluerit interdicere Monachis peculium etiam in communi capſa ſervatum? Valde levis eſt corde* (pergit pag. 182.) *aut nimium hebetis mentis, qui ita facile credit*. Non omnibus adire Corinthum datum eſt. Acumen Profeſſoris Regii illuc penetrat, quo aliorum communis obtutus non pertingit. Obeſæ naris ſunt omnes, qui docent *fieri potuiſſe*, ut Clem. VIII. præceperit exactam bonorum communionem, poſtquam *tam benigne ſe geſſit cum Sanctimonialibus Neapolitanis*. Solus Magiſter Vindex naris emunctæ, quia hanc negat *poſſibilitatem*. Perpende Dialecticam non Eccleſiaſtis, ſed Regii Profeſſoris. Negat fieri potuiſſe, quod reipſa factum a Clem. VIII. eſt. Illius Decretum pro omnibus Regularibus editum, ſupra reſcripſi. Tanta eſt Profeſſor Regius eruditione ornatus, ut ignoret, Pontifices, & Eccleſiam ipſam in aliquo peculiari eventu aliqua diſſimulare mala, ut pejora vitet.

VI. Subdit citata pag. 182. *Advertat velim recentior Eccleſiaſtes, nec de eſſentia paupertatis fore Apoſtolico-Monaſticam Diſciplinam, nec de neceſſitate præcepti Divini neceſſariam eſſe ad ſalutem, poſſeque ex adverſo ſimul cum voto Monaſticæ paupertatis conſiſtere utrumque peculium. Alioquin numquam Clem. VIII. indulgentiam conceſſiſſet recipiendi ad habitum, & ad ſolemnem profeſſionem admittendi puellas ad Monaſterium convolantes, ubi utrumque peculium permittebatur; cum ſuper abdicatione paupertatis* [proprietatis] *non ſecus ac ſuper cuſtodia caſtitatis nec ipſe Romanus Pontifex diſpenſare poſſit . . . . obſervet ille, iterum opto, numquam a Concilio Trid. latum fuiſſe præceptum de exacta communi vita*.

VII. In his ultimis verbis error eſt manifeſtus. Tridentinum bis, & ter adhibet verbum *Præcipit*. Materia, eodem Concilio adfirmante, gravis eſt. Pœnæ etiam in tranſgreſſores latæ ſeveræ ſunt. Præceptum ergo graviſſimum tulit Tridentinum: quod tot Pontifices Summi ſubinde confirmarunt. Quod autem exacta rerum Communitas non ſit nec de eſſentia voti, nec de præcepto

cepto

cepto juris Divini, quid inde? Satis eſt eamdem graviſsimo præcepto Eccleſiaſtico imponi. Quod ſubditur, nec Summum Pontificem poſſe diſpenſare ſuper uſu peculii, ſi exacta vita communis ad voti eſsentiam pertineret, ex imperitia nimium craſſa dictum eſt. Aliud eſt, quod Pontifex nequeat ſolvere abſolute a voto ſolemni ſive Caſtitatis, ſive paupertatis. Aliud longe diverſum, quod in exercitio votæ paupertatis in hoc vel in illo caſu ob rationabilem cauſam nequeat peculium concedere. Hoc poſtremum quilibet Prælatus Regularis, nedum Pontifex Summus, concedere valet. Votum paupertatis contractum mutuum claudit, ut alias adnotavi. Quando Religio non providet de communi, vel quando bonum commune in aliquo eventu peculium poſtulat, quod raro accidit, quilibet, ut dixi, Prælatus diſpenſare poteſt. Permiſſio obtenta a Legato Neapolitano perperam opponitur, quia ſcilicet permiſſio fuit ad evitandum majus malum, & ſcandalum, & ad partis petitionem pro caſu particulari data. Author eſſe vellem Profeſſori Regio, ut ab illis controverſiis verſandis abſtineat, quas penitus ignorat.

VIII. Quæ de largitione munerum, & Conſtitutionibus Fratrum Conventualium obtrudit *pag.* 183. 184. *& ſeq.* nimium vana ſunt, & alibi contrita.

IX. Pag. 186. Docet in magnis Conventibus non poſſe ſervari exactam rerum communitatem, tum quod Monachi alio ſæpe commigrare debeant, tum etiam quia in his magnis Conventibus *non ſemel ea urgeat neceſſitas ſaltem Religioſæ commoditatis iis præcipue debitæ, qui plus laborant. Ut quid ergo iterum, iterumque nos vexat indiſcretus zelator?* Pro hac *Religioſa commoditate* duplex peculium non ne? Alterum mobile, alterum perpetuum. Si obſervari nequit exacta rerum communitas, eo quod Fratres alio pergunt, eliminanda erit ex omnibus Clauſtris Regularium. Sed factum tot Religionum, in quibus & exacta viget Communitas, & Fratres modo in uno, modo in alio Cænobio degunt, oſtendit, quam ſit lepida argumentatio Magiſtri Vindicis. Plurima alia, quæ *ſeq. pag.* conſarcinat, prætereo, quod ſint aut objecta millies convulſa, aut argutationes ſponte corruentes. Brevitati morem gero, ne Magiſter noſter clamet: *ut quid ergo iterum iterumque nos vexat indiſcretus zelator.*

X. Pag. 238. ſcribit. Supereſt ergo ſolum, ut de Regula S. Cajetani Thienæi verba faciamus ad abſolutiſſimum reportandum de hoſte triumphum.

Digitized by Google

phum. Ubique triumphat Profeſſor Regius. Tam rigidæ paupertatis diſciplinam ſervandam præſcribit hic Sanctiſſimus Patriarcha, ut vel petitionem eleemoſynarum ſuis Religioſis vetuerit. Et hanc Regulam nobis objicit, ut abſolutiſſimum reportet de hoſte triumphum? Fiduciam in divina Providentia Clericis ſuis in Patrimonium legavit S. Cajetanus. Si Clerici privati duplex peculium retinerent, aliud in præſentaneos, aliud in futuros uſus, fiducia eſſet in pecuniis, non in Dei Providentia. Quæ pro aliquo eventu permitti valent, alibi declarata ſunt.

XI. Ultimo loco objicit duo Anecdota, *valde*, inquit pag. 252. *ſuſcipienda*. Antequam ea narret, advertit, Authorem *Diſciplinæ Monaſticæ* docere, haud poſſe aliquem tuta conſcientia ingredi eam Religionem, in qua exacta rerum communio non ſervatur. Qua ſuper re tempore Sixti V., & Clementis VIII. magna orta contentio, & Neapoli *turbæ magnæ* excitatæ fuerunt, quas ut ſedaret Cardinalis Geſualdus conſuluit duos Cl. Theologos Societatis Jeſu, Cardinalem *Bellarminum*, & Petrum *Alagona*.

XII. Votum P. Alagona reſcribit pag. 254. his verbis. I. *Moniales tenentur ſimpliciter ſervare vota eſſentialia ſuæ Religionis, & EA OMNIA, QUÆ SUNT NECESSARIA AD OBSERVANTIAM TALIUM VOTORUM ESSENTIALIUM.* II. *Tenentur etiam ſervare illa omnia, quæ præcipiuntur ſub præcepto in Regula: excuſantur tamen in aliquibus caſibus, ut ſi non jejunant feria VI. ſicut erat præceptum: vel ſi non geſtant cilicium nudis carnibus, & ſimilia, quando conſuetudo inobſervantiæ per ſpatium quadraginta annorum cum bona fide ſit præſcripta. Quoad alia vero, quæ ſunt extra vota, nec ſunt ſub præcepto, excuſantur ſaltem a mortali. III. Moniales, quæ, dum profitentur, jurant, & promittunt ſervare reformationem ordinatam a Summo Pontifice, obligantur ratione promiſſionis, & juramenti ſub peccato mortali illa ſervare &c.* Omittuntur cætera brevitatis gratia, quia nihil peculiare continent.

XIII. Votum Cardinalis Bellarmini. Ad I. *Si ea, quæ non obſervantur, ſunt neceſſaria ad obſervantiam ſubſtantialium, non poſſunt excuſare, qui ea non ſervant: nam eadem eſt ratio de his, ac de ſubſtantialibus. Subſtantialia autem non poſſunt ullo pretextu a Regularibus non obſervari, ut patet ex Innocentio III. cap. cum ad Monaſterium, & ex Concilio Trid. ſeſſ. XXV. cap. I. de Refor. Regul. Si vero non ſunt neceſſaria, diſtingen-*

Digitized by Google

dum videtur &c. Quæ ſequuntur, pertinent ad quædam alia ſtatuta Regulæ, quæ contraria præſcriptione abrogari valent.

XIV. Hæc duo *Anecdota* penitus evertunt, & in nihilum redigunt *Vindicias* Profeſſoris Regii. Duo diſtinguuntur in utriſque *Anecdotis*. Primum, *vota eſſentialia*. Alterum, *ea omnia, quæ ſunt neceſſaria ad obſervantiam talium votorum eſſentialium*. Ediſſerat nobis Regius Profeſſor, quæ ſint iſta vota eſſentialia, & poſtea, quæ ſunt ad votorum eſſentialium obſervantiam neceſſaria? Hæc ſunt, ut declaravit Concilium ipſum Trid. *ſeſſ. XXV. cap. I. de Refor. Regul.* laudatum a Bellarmino, eliminatio peculii privati, & exactæ communitatis cuſtodia. Ita cum Bellarmino, & Alagona docent Theologi omnes. Ajunt quippe, quod licet votum paupertatis *ut ſic*, & abſolute ſpectatum, præciſumque a Regulis Patriarcharum, & a legibus Eccleſiæ, ſtare poſſit abſque vita communi: tamen, quia in praxi difficillime conſiſtere valet abſque hac exacta communitate, idcirco Patriarchæ omnes, & Eccleſia ipſa Spiritu Sancto illuſtrata hanc communitatem cujuſque privati peculii vacuam tot repetitis canonibus, & decretis præceperunt. Objecta itaque *Anecdota* evidenter cauſam Magiſtri *Vindicatoris* improbant, damnantque. Duo ergo diſtinguere ex Bellarmino, & Alagona diſcat Magiſter Vindex. Primum eſt: eſſentia primaria ipſius voti paupertatis in abdicatione dominii ſita. Alterum: communis uſus bonorum, quæ abdicantur. Et hæc bonorum communitas eſt neceſſaria ad voti eſſentialis obſervantiam, inquiunt Alagona, & Bellarminus cum omnibus Theologis. Occentet modo P. Magiſter ſibi triumphum ſequentibus verbis pag. 246. *Hiſce ergo tam luculentis ſolidiſque illuſtrium Virorum monumentis aliquid addidiſſe, non ne eſt decerpſiſſe?* Accedit, quod laudati duo Theologi, potiſſimum Alagona, ſubdant, ſervanda eſſe non modo vota & ea, quæ ad votorum obſervantiam neceſſaria ſunt, ſed etiam quæ ſub præcepto imponuntur a Regula. Probatum autem eſt, rerum communionem præſcribi a Regula ſub graviſſimo præcepto, eo quod adeo cum voto paupertatis monaſticæ connexa eſt, ut in praxi abſque ea conſiſtere nequeat. Ergo duo *ſplendidiſſima Anecdota* penitus profligant Vindicias Regii Profeſſoris.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IX.

CONCLUSIO ISTIUS DISSERTATIONIS.

Specimen dialecticæ Regii Profeſſoris, ejuſque ſinceritatis. Documenta peculiaria, vi quorum evincitur, illum ipſum ſacri juris jurandi vinculo aſtrictum eſſe communi vitæ peculii vacuæ: illius dicteria monſtroſa.

I. HActenus errores morum Doctrinæ, & obtrectationes probatiſſimorum hominum famæ infeſtas delibavi. Antequam Diſſertationi huic finem impono, in rem meam eſt, ut ſpecimen dialecticæ, & ſinceritatis Regii Profeſſoris exhibeam. Qua de re primum univerſim, poſt ſingillatim dicam. Methodus univerſalis illius hæc eſt. Ex quibuſdam factis particularibus, & contingentibus colligit regulam univerſalem, & certam, ignorans, quod a particulari ad univerſale peſſima ſit illatio, ſicuti Regulæ illæ *Summuliſticæ*, quas oſtentat, præſcribunt. Ut Regulas Monachales, Decreta Concilii Tridentini, & Pontificum Bullas, quæ vitæ communis peculii expertis obſervantiam præſcribunt, eludat, quo ſe recipit? Confugit ad facta quædam peculiaria. Opponit plura decreta, & Conſtitutiones aliquorum Regularium, quibus permittitur peculium. Licita ergo hæc ſunt. Quæ argumentatio ipſiſſima eſt ac iſta. Chriſtianorum plurimi ſemper violarunt præceptum jejunii Quadrageſimalis: ergo lex Quadrageſimæ nulla eſt. Seu, ut aptius dicam: Plures Chriſtianorum Provinciæ ciborum quadrageſimalium caritate urgente, obtinent privilegia utendi cibis vetitis: ergo lex delectum ciborum præſcribens, commentitia eſt. Laxata in pluribus Sacrorum Ordinum Provinciis diſciplina Regulari, peculia invecta ſunt. Concilia, & Pontifices adverſus ejuſmodi corruptelam continenter plurium Decretorum voce reclamarunt. Regularium non pauci ſemper reluctati ſunt. Quid hinc colligit Doctor Theologus? Regulares, inquit, etiam poſt Tridentinum, & Conſtitutiones Clementis VIII. aliorumque Pontificum, peculiis uſi ſunt. Ergo Decreta laudata interpretanda ſunt juxta uſum, & praxim Regularium. Quod reapſe hoc ſonat. Decreta Conciliorum, & Conſtitutiones Pontificiæ aptanda ſunt moribus, & corruptelis delinquentium: minime vero ad præſcriptum Conciliorum, ad Pontificiarum Conſtitutionum amuſſim con-

formandi ſunt Regularium mores. Huic baſi tota ſuperſtruitur *Vindiciarum* machina, ut adductis textibus palam in hoc opere factum eſt.

II. Dialecticæ univerſali reſpondet particularis. Unam, & alteram argumentationem nunc indicabo. Sub initium diſputationis plures paginas implet hac argumentatione. Apoſtoli, & primigenii fideles in Jeruſalem ex voto non ſervarunt, neque vi præcepti vitam communem. Ergo Regulares eidem vitæ communi vi alicujus voti, ſive præcepti non ſunt aſtricti. Quæ argumentatio clarius expoſita hæc eſt. Apoſtoli non voverunt paupertatem Evangelicam: ergo neque Regulares eam vovent. Apoſtoli non voverunt caſtitatem; ergo nec Monachi, nec Moniales eamdem vovent. Hæc eſt illius argumentatio fere in terminis, ut dicitur, pag. 34. ubi imponere lectoribus ſtudet, B. Humbertum Ordinis Prædicatorum Generalem non docere Regulares aſtrictos eſſe ex præcepto vitæ communis. Cur? Quia, inquit, Humbertus docet, Apoſtolos eam ex voto non ſervaſſe. Hæc illius prima argumentatio: auſculta alteram. Author Diſciplinæ Monaſticæ obiter indicavit controverſiam illam ſuper origine Regulæ Auguſtinianæ. Argumenta recenſuit, quæ in utramque partem afferri ſolent, quibus evincere alii contendunt, ſolis Monialibus, alii etiam Fratribus ab Auguſtino propoſitam fuiſſe ejuſmodi Regulam. Doctor Theologus latera inflat, clamatque, eruditorum communem eſſe ſententiam, quæ Regulam præfatam Monialibus tantum datam fuiſſe docet. Quin ſententiam Eraſmi, & aliorum, qui Eraſmo acceſſerunt, tanta confidentia divenditat, ac ſi res extra controverſiam eſſet conſtituta. Authores laudat pro illa ſententia ſtantes, & utriuſque partis indicta præterit argumenta. Verum hoc nihil ad nos. Audi feſtivam, & ab Stoicis ipſis riſum extorquentem, argumentationem. Poſtquam recitavit conjecturas illas, quibus eruditi Regulam, quam nunc plures ſacri Ordines ut Auguſtinianam profitentur, abjudicant Auguſtino, hanc elicit concluſionem. *Quamvis ex hiſtoria nuper libata Moralis ſeu Theologica DECISIO ſponte proflueret, ex eaque facile nimium foret primitus oſtendere non teneri ex præcepto ad exactiſſimam communem vitam eos, qui S. P. Auguſtini Regulam profitentur; operoſius tamen res tota, &c. pag.* 33. Hæc itaque eſt illius validiſſima argumentatio. Quia Regula, quam ſub nomine Auguſtini profitentur Regulares, non fuit ab Auguſtino conſcripta pro Viris, hinc ſponte *profluit*, vi præcepti illos ad vitam communem non aſtringi. Obligatio itaque Regularium ad vitam communem ex hac critica con-

troverſia

troverſia pendet, fuerit ne hæc Regula Viris, an Sanctimonialibus tantum præſcripta? Quid plura. Veritus haud eſt tantum ſtupiditatis, ſupinæque ignorantiæ imponere Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ Authori. Conceptis quippe verbis illi affingit, quod ceu primordiale principium præjecerit, Regulam laudatam præſcriptam fuiſſe Monachis ab Auguſtino, ut hinc inferret, Regulares vi præcepti ſubjectos eſſe obſervantiæ communis vitæ. Et quoniam accuſatio incredibilis videtur, illius verba ſunt tranſcribenda. Ve„ rum, (inquit pag. 29.) ne in itinere obſtringar e via in diverticulum „ decurrere, ea primitus examinanda cenſeo, quæ ſunt veluti primordialia „ ſui ſiſtematis dogmata, & præſuppoſita quædam ſuæ adſertionis. Primo „ igitur S. P. Auguſtino adjudicat Regulam, quæ ſub ejus nomine habe„ tur Tom. 1. Operum ejus *ad Servos Dei data*, ut inde non ignobile „ *formet argumentum ad evincendam neceſſitatem præcepti, quo obſtringuntur* „ *eam profitentes, quia in ea dicitur: hæc ſunt, quæ, ut obſervetis, præcipimus.* „ Idemque pariter præceptum ex Regula S. Benedicti probare conatur. Sed „ utrumque procul a vero abire facile demonſtratur, & primo criticem hi„ ſtoricam libando, deinceps vero Theologico criterio eaſdem Regulas exa„ minando. Quis enim emunctæ naris criticus, modo non ſit avitæ cujuſ„ dam nobilitatis præjudicio detentus, in præſentiarum adſeret, laudatam Re„ gulam genuinum fœtum eſſe M. P. Auguſtini?

III. Ita ne deliravit Author Diſciplinæ Monaſticæ, ut hanc chimeram formaret? Nonne ille ſub initium illius digreſſionis veniam petiit a Lectore, ut pauca de illa controverſia diceret tanquam parerga præter propoſitum, & ab inſtituto aliena? En illius verba. *Priuſquam rem aggredior, a lectore veniam peto, ut pauca, & obiter de Auguſtini Regula præfari mihi liceat. Diſſ. 1. cap. 7. num. 1.* Poſt recenſitis utriuſque partis argumentis n. 6. ſic digreſſionem claudit. *Sed de his pluſquam ſatis, & ad id, quod propoſui explicandum, gradum facio.* Ubi vel vola, vel veſtigium, quod indicet ex præfata quæſtione illum voluiſſe in rem ſuam quidpiam colligere? Puderet Authorem Diſciplinæ Monaſticæ eouſque inſanire, ut vellet aut a præcepto communis vitæ ſolvere profeſſores Regulæ Auguſtinianæ, ſi Regula non ſit Auguſtini: aut contra, tali præcepto eoſdem ſubdere, ſi ab Auguſtino impoſita Monachis Regula fuerit. Sit hæc Regula Auguſtini, ſit Benedicti Anianenſis, ſit cujuſque generis hominum, quid ad rem, qua de agitur? Præcepto vitæ communis ſubjectos Regulares aſſerimus, quia votum

pauper-

paupertatis edunt juxta Regulas ab Eccleſia approbatas, quicumque ſint illarum Regularum Authores.

IV. Plurimas alias non diſſimiles argumentationes alto nunc ſilentio prætereo, in decurſu operis jam relatas. Satis quippe hinc, veluti ex ungue leonem, colligere quiſque valet, quæ ſit Regii Profeſſoris critice, quæ ratiocinandi vis, quæ animi ſinceritas in cauſa graviſſima. Quæſtionis ſtatum diſſimulavit. Potiſſima controverſiæ fundamenta præteriit. Ratiocinia inepta, turpes antilogias Adverſario ex arbitrio impoſuit. Perturbate, & confuſe laxiorum Caſuiſtarum opinationes conſarcinavit, atque coacervavit in ſuas Vindicias, ut imperitis quibuſdam fucum faceret. Duplicem ſomniavit vitam communem: alteram vocat *Apoſtolicam* peculii privati expertem: alteram appellitat *Regularem* duabus condecoratam crumenis. Utraſque tamen frequenter confundit: & ut cauſam adverſarii odioſam efficiat, eam *tutioriſmi* fuligine tinctam aſſerit. Illud etiam admiratione dignum, quod Magiſter Theologus, Conciliorum, & Pontificum Decretis preſſus, quo ſe verteret neſciens, hoc unum reponit: *Canoniſtæ & Theologi reſpondent*. Quæ Canoniſtarum, & Theologorum reſponſa non aliud peculium contedunt, quam quod ad proſpiciendum veræ & non fictæ neceſſitati ſatis ſit: Emeritus autem Theologus noſter pro eodem habet neceſſitatem alendæ vitæ, & commoditatem, & abundantiam deliciarum, quibus appetitiones infra limites honeſtatis ſaturentur. Hæc omnia adductis textibus in loco palam facta ſunt.

V. In iſtius capitis calce Regius Profeſſor me cogit aliqua proferre documenta, quæ illum ipſum ſpectant. Ut ſupra indicavi, ex quorumdam Fratrum depoſitis arguit ille univerſalem, abſolutamque legem peculii permittendi. Præ aliis autem Fratribus, qui depoſita habuere privata, quatuor enumerat e ſua Congregatione S. Mariæ *Sanitatis* his verbis pag. 193. „ Ex „ noſtris igitur quatuor conſulto eligo, quia notiſſimos Orbi, & amico „ haud ignotos, nimirum Cl. N. Dominicum Gravina... F. Gregorium A„ reylza... F. Thomam M. Ferrari S. R. E. Cardinalem, & F. Raphaelem „ Philamundi. „

VI. Culpæ mihi non vertat, ſed ſibi eruditus Theologus, qui ad hæc ſcribenda me compellit, ſi ea documenta protulero, quæ illi fortaſſe minime arridebunt. Sciat ergo, ſuæ Congregationis S. Mariæ Sanitatis reformationem, quemadmodum cæteræ omnes Regularium reformationes, ceu po-

tiſſimum

Digitized by Google

tiſſimum fundamentum præjeciſſe exactam paupertatis obſervantiam. Huic obſervationi privata Fratrum *depoſita* repugnare judicarunt Sanctæ Reformationis inſtitutores, promotoreſque, videlicet Reverendiſſimus P. Sixtus Fabri Magiſter Generalis, Cardinalis Alexandrinus S. Pii V. Nepos, & Ordinis Protector, Cardinalis Caraffa Vice protector, qui Reformationis negotium ardenti zelo promoverunt. P. Marcus Maffeus & P. Auguſtinus Caſtofuſco Peruſinus delecti a Generali fuere ad tantum opus aggrediendum. Siquidem laudatus P. Auguſtinus Peruſinus, qui primus fuit inſtitutus Prior ejuſdem Conventus S. Mariæ Sanitatis anno 1583. antequam Regimen ſuum capeſſeret, Epiſtolam ſcripſit ad Generalem Sixtum Fabri, cui novem propoſuit quæſita ſolvenda, quæ inter duo paupertatem a depoſitorum labe immunem ſpectant. Hoc eſt initium Epiſtolæ lingua italica exaratæ.

Poichè V. P. Reverendiſs. coll' Illuſtriſs. Sig. Cardinale Viceprotettore ſono riſoluti, che io vada al ſervizio di Dio, e loro in Napoli, per il negozio della nuova riformazione, la ſupplico, che mi faccia ſapere prima ec. Omiſſis duobus quæſitis alio ſpectantibus, quæ ad paupertatem pertinent, exſcribuntur eo ordine, quo ſunt in Epiſtola.

3. *Che modo vuole, che io tenga per la oſſervanza della reale povertà?*

℟. *Secundum Conſtitutiones.*

4. *Se gli pare, che ſi deva tor via ogni ſorte di depoſiti?*

℟. *Prorſus auferre.*

5. *Se gli pare ordinare, che veruno deva aſſervare coſa alcuna appreſſo qualſivoglia Secolare, nè altro Religioſo.*

℟. *Nihil.*

VII. Animadvertendum, Magiſtrum Generalem Sixtum Fabri reſpondiſſe ſervandam eſſe paupertatem *ſecundum Conſtitutiones*. Quid inde? Ergo abſque depoſito quopiam, ut ex reſponſo ad quartum quæſitum patet. Laudata Epiſtola aſſervatur in Archivo ejuſdem Conventus S. Mariæ Sanitatis, inſerta primo Formularum libro vulgo *protocollo* pag. 425. Tam alte illorum Patrum animo inſidebat, privata Fratrum depoſita cum voto Monaſticæ paupertatis pugnare, ut damnationis reos reputarent Fratres illos, qui depoſita retinebant. Cujus rei teſtes affero omni exceptione majores, Fratres nempe Conventus pariter Neapolitani *Sanctiſs. Roſarii*, qui obſirmate reſtiterunt Reformationi, quam illuc invehere pertentavit Cardinalis Alexandrinus.

nus. Porro Fratres iſti hæc teſtantur in codice Mſs. qui extat in Bibliotheca ejuſdem Conventus.

I detti Frati della Sanità andavano ſpargendo nel volgo queſta ignoranza, che i Frati di S. Domenico, e di S. Pietro Martire erano in iſtato di dannazione, perchè tenevano il depoſito di danari. Plurima alia documenta, quæ Reformationis Congregationis illius primordia ſpectant, miſsa nunc facio, in tempore forte daturus. Perlegat acta Mſs. P. Marci Maffei vulgo de Marcianiſi exarata a Cl. P. Gravina, Chronicon Mſs. P. Antonini Morino, Hiſtoriam Mſs. Reformationis Provinciæ Regni: revolvat libros *Formularum*, & plurima alia monumenta, quæ omnia cuſtodiuntur in Archivo ejuſdem Conventus S. Mariæ *Sanitatis*, ubi ille profeſſionem Monaſticam edidit.

VIII. Opponet fortaſse Doctor Theologus, hæc, quæ recenſui, monumenta vetuſta eſse, atque deſuetudine antiquata. Quid? ſi documentum proferrem, quo evincerem, illum profeſſionem emiſiſſe in Conventu S. Mariæ Sanitatis tempore præter propter illo, quo Patres ejuſdem Cænobii ſacro jure jurando teſtati ſunt Sacræ Congregationi ſuper diſciplina Regulari, exactam ibi vigere communem vitam abſque omni peculio, Novitioſque ſeveriori Regulari obſervantia ibidem imbui? Juramentum ſolemne Magiſtri Ordinis & 27. Patrum manu firmatum, oculis ſubjicio juxta Formularium Innocentii XII.

„ Nos infraſcripti fidem facimus, & in verbo veritatis teſtamur, quod in hoc
„ Conventu S. Mariæ Sanitatis de Neapoli Ord. Fr. Præd. Provinciæ Regni
„ perſeverat *exacta*, & *perfecta* bonorum omnium communitas jam a mul-
„ tis annis ſtabilita: & ob eam rationem conceſſum eſt a Sac. Congreg.
„ diſciplinæ Regularis, quod juvenes habitum Ordinis noſtri induantur, &
„ in hoc Conventu ad annum probationis admittantur: & in actuali Viſi-
„ tatione Magiſtri Generalis Ordinis, præſente etiam Adm. R. P. Vicario
„ Generali ejuſdem Congregationis, inventum eſt, quod ita *perfecta* bonorum
„ communitas ſtabilita eſt, & omnia bona Fratrum particularium tum quo
„ ad omnes pecunias, tum quo ad veſtes, & alia, ſive ſint cenſus vitalitii,
„ ſive eleemoſinæ ex prædicationibus, ſive undequaque provenientia, omnia
„ ſunt confuſa cum bonis, & redditibus Conventus, & ipſis incorporata ju-
„ xta Decreta Sanctæ memoriæ Clementis VIII. & Innocentii XII. & Sac.
„ Congregationis Diſciplinæ Regularis; ita ut ex ipſis omnibus æqualiter
„ provideatur tam tempore ſanitatis, quam infirmitatis: & eſt ſtabilita
„ Veſtiaria communis, in qua repoſitæ ſunt omnes Fratrum veſtes, ac

„ omnia,

„ omnia, quæ ad communem uſum. Ex qua veſtiaria omnibus æqualiter
„ providetur juxta cujuſque Fratris indigentiam. *In hoc etiam Conventu ultra*
„ *bonorum ſupradictorum perfectam communitatem* viget Regularis obſervantia
„ ſecundum rigorem Conſtitutionum noſtrarum: & Novitii in hoc Conventu
„ Religioſe enutriuntur, & educantur in omnibus exercitiis ad ſtatum Re-
„ ligionis noſtræ ſpectantibus. Quare humiliter ſupplicant infraſcripti Sacræ
„ Congregationi diſciplinæ Regularis pro licentia recipiendi juvenes ad ha-
„ bitum. Actum die 9. Maii 1701.
„ Fr. Antoninus Cloche Mag. Ordinis.
„ Fr. Jannuarius Grimaldi Vicarius Generalis.
„ Fr. Seraphinus Sanctorius Prædicator Generalis & Prior.

Sequuntur ſubſcriptiones aliorum 25. Fratrum, quas brevitatis gratia prætereo. Hoc documentum habetur in Archivo præfati Conventus primo formularum libro, ſeu *Protocollo* inſertum pag. 449. Hæc documenta, & alia plurima, quæ juſtæ molis volumen implent, tranſcripſit manu propria Author diſciplinæ Monaſticæ ex Archivis Conventuum S. Mariæ Sanitatis, S. Dominici Majoris, Sanctiſs. Roſarii, S. Brigitæ, S. Severi. S. Spiritus de Palatio.

IX. Porro Magiſter Vindex, paucis poſt annis ab hoc ſolemni juramento Sacræ Congregationi exhibito, in eadem S. Mariæ Sanitatis Cænobio votum paupertatis ad ejuſdem juramenti præſcriptum Deo labiis ſuis diſtinxit. Quid nunc ad præfata documenta ex Archivis ſuis extracta reſpondet? Depoſita in his damnantur, cenſus *vitalitii* rejiciuntur, Generalis Magiſter cum viginti ſeptem teſtibus ſub juramento exactam communitatem ab omni peculii labe immunem ibidem vigere adfirmat. Alterutrum ergo fateatur oportet. Aut perjurii reos Patres ſuos: aut ſemetipſum communitatis Apoſtolicæ violatorem. Ad commentum ſuum Regularis communitatis geminati fæcundæ marſupii confugere nequit, cum Patres ſui jurati adfirment, communitatem in Cænobio profeſſionis ſuæ cujuſque peculii expertem ſartam tectam cuſtodiri. Quæ ita cum ſint, non debuiſſet Congregationis reformatæ Alumnus, & *Antiprobabiliſta* celebris adeo laxa procudere commenta. Quid ſi reviviſcerent Majores ſui, qui tanto laborum, vigiliarum, perſecutionumque pretio celebrem Congregationem illam ſuam ad præſcriptum Regulæ, & Conſtitutionum inſtituerunt? Luſtret, ſi per otium licet, ſacra illa cubicula in extrema viridarii Cæno-

bii profeſſionis ſuæ parte ædificata, quo Patres ſui ſeſe recipiebant ad ſacra recollectionis exercitia peragenda. Offendet ibi parietes illorum ſanguine tinctos. Sanguis iſte clamat, æternumque clamabit adverſus librum *Vindiciarum*, tum quod Doctrina ſua ſcandalum injecerit oſoribus, & cultoribus obſervantiæ Regularis: tum quod Congregationis ſuæ Reformatæ famam deturpaverit. Reformationis quippe cauſa, ſejuncta a Provincia Regni illa fuit. Reformata hactenus ſemper audiit. *Vindiciæ* ab aliis duobus ex Vicariis Generalibus, & Magiſtris approbatæ aperte teſtantur, ibidem ſerpere peculiorum corruptelam, exactamque illam *bonorum omnium communionem* obſoleviſſe. Nomen ergo Reformationis ſonat, ſed res periit. Si enim peculia non ſecus ac in cæteris Provinciis ſunt in uſu, quid ſupereſt Reformationis? Si baſis periit, qui conſiſtere ædificium poteſt? Jure itaque Provincia Regni, ſuppreſſo hoc Congregationis nomine, Conventus, prætextu Reformationis, ſeu obſervantiæ regularis ſeparatos, ſibi denuo ſubjici poſtulabit. Ceſſante quippe abſolute, & omnino fine legis, ceſſat lex. Quid quod ſi etiam vigeret obſervantia juratæ communitatis, *vindiciæ* iſtæ docentes *ſupererogatoriam* eſſe præfatam communitatem, ab eadem vel ipſos Cultores ſuapte natura abducerent, & ad deſciſcendum provocarent. Hinc eſt, quod ſi ex aliqua relaxata Provincia quiſpiam in peculiorum defenſionem erupiſſet, quali quali dignus venia fuiſſet. Verum enim vero, quod Reformatæ Congregationis alumnus, ejuſdemque Exvicarius Generalis Magiſter in arenam ad certandum pro Fratrum duplicatis crumenis deſcenderit, in omnium ſapientum, proborumque hominum reprehenſiones, & cenſuras incurrit, neque excuſationem, aut commiſerationem aliquam meretur.

Hæc pauca collegi ex Vindiciis Regularium, non ut Regio Profeſſori invidiam crearem, ſed ut Lectorem admonerem, ut ſibi ab eiſdem caveret. Si quæſtio, quam tractavi, de eis eſſet, quarum cognitio, aut ignoratio nihil ad æternæ ſalutis negotium conferret, indicta omnia, quæ hactenus recenſui, præteriiſſem. Verum, quia in hac noſtra Controverſia ſumma rei vertitur, & ex eis eſt, quæ Theologorum authoritate nituntur, in rem meam eſſe arbitratus ſum patefacere præcipuos earumdem Vindiciarum errores, ne in eoſdem imperiti inciderent. Plures præterii & ut brevitati conſulerem, & ut in eruditum Adverſarium obſequii, & obſervantiæ teſtimonium exhiberem in iis omnibus, in quibus juſta cauſæ defenſio permiſit.

EPI-

EPILOGUS
UNIVERSI OPERIS
In quo

Palam ſit, nullam excogitari in hoc argumento doctrinam poſſe laxiorem illa, quam Adverſarii docent: Nullam illa benigniorem, ſimulque ſanam, quæ tum in Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica, tum in hoc Opere propugnatur.

UT unica veluti oculorum acie totius Controverſiæ ſtatum, quidque probandum, quidve rejicendum, deprehendere lector valeat, quæ latius diſputata ſunt, contrahere in pauca decrevi. Quamquam enim utriuſque Adverſarii errata in duas peculiares diſſertationes collegi, & digeſſi; tamen, quia prolixius & per partes confutata ſunt, non illico totum ſuum produnt horrorem. Quamobrem operæ pretium exiſtimavi, EPILOGUM univerſi Operis conficere, quem tribuo in partes duas. In altera, quid Adverſarii: in altera, quid ipſe doceam, demonſtrabo.

PARS PRIMA.
CAPUT I.
CORPUS DOCTRINÆ
Ad ſummum laxæ

Utriuſque Magiſtri Vitæ Clauſtralis, & Vindiciarum.

I. EXactæ rerum communitatis virtutem, poſt reditum Redemptoris noſtri ad Patris dexteram, numquam obtinuiſse in Eccleſia Catholica defendit *Clauſtralis Vitæ* Author. Quod ut evincat, Communem Vitam ab Evangeliſta Luca deſcriptam *Act.* 2. & 4. nec perfectiſſimam, nec perfectam fuiſse, ſed illius Sacri Apoſtolici Collegii alumnos ſua privata habuiſſe peculia defendit. Author *Vindiciarum* e contrario, perfectiſsimam fuiſſe laudatam

tam bonorum communionem, quam Acta perhibent Apoſtolorum, & cujuſque privati peculii omnino expertem. Verum negat, Clauſtrales hanc profiteri Apoſtolicam communitatem a Luca deſcriptam, ſed aliam longe inferiorem, peculio nempe privato plenam, quam appellat *Regularem*. Ex his duobus tam diſparatis, oppoſitiſque principiis eamdem deducunt concluſionem ambo Magiſtri: peculium videlicet privatum apprime conſonum eſſe paupertatis voto; bonorum vero comunionem aut parum, aut *nihil* cum eodem affinitatis habere. Ut laxæ, atque erroneæ doctrinæ horrorem deliniant, vocum ambagibus communitatis notionem involvunt. Bonorum communionem aliam appellant perfectiſſimam, ſeveram exactiſſimam: imperfectam, mitem, mitiorem aliam. Hac vocabulorum diverſitate cauſam implicant, & imperitis non levem fucum faciunt. A cujuſque communitatis lege ſe ſolutos aſſerere non audent: ſed tali bonorum communioni ſe devinctos fatentur, qualem, poſt invectam hominum ſocietatem, gentes quæque obſervant. In qualibet ſiquidem bene inſtituta Civitatis familia, eadem domus, eadem menſa, eadem pro veſtitu pecuniæ ſumma. Singuli vero domeſtici ſua fruüntur, ſi fortuna fert, peculiari crumena. Clauſtralibus ſimiliter omnibus commune Cœnobium, eadem pro veſtiario pecuniæ ſumma, commune Refectorium. Hæc tamen Cœnaculi communitas forte inferior alicubi eſt illa, quæ in ſæculi familiis obtinet. Nullus quippe iſthic domeſticorum in communi menſa peculiari, & ſelectiori ferculo veſci, infirmitate ſublata, audet. Qui vero in Cœnobiis peculiis affluunt, manducent ne in communi menſa exquiſitiores dapes, factum eſt, quod ab experientia pendet. Alio quoque titulo imperfectior eſt hæc, quam Adverſarii propugnant, *Regularis communitas*. Nam filii familias adulti, exceptis opulentis, ex lucris ſuarum artium, & profeſſionum congruos proventus conferunt in communem utilitatem. Contra Clauſtrales, juxta Adverſariorum doctrinam, ſuos cenſus vitalitios, & lucra omnia, quæ prædicatione, lectione, aliave induſtria colligunt, ſibi appropriant, ſolo adjecto gravamine petendi licentiam a Prælatis, qui nunquam eam denegant, & jam per tacitum aſſenſum in conſuetudinem abiit.

II. Exactam vero bonorum communionem, quæ cenſus vitalitios, quæ lucra, prædicatione, eleemoſynis, hæreditate, lectione, & quocumque alio labore, aut induſtria parta, in univerſalem omnium utilitatem confert, nulla lege, nullo voto, nullo vero præcepto imponi, tanquam certiſſimum pro-

priæ cauſæ principium defendunt, propugnant. Alterum illorum certiſſimum principium neceſſario cum primo connexum eſt, nulla lege, nulloque præcepto ab Eccleſia vetari peculium. Quin adjiciunt peculium Monaſticum a Chriſto propoſitum, in Evangelio exaratum, conceſſum a Patriarchis, adhibitum a Sanctis, fomentum eſse Sanctitatis, Fraternæ concordiæ alimoniam, charitatis divinæ propugnaculum. Præceptum e contrario exactæ communitatis, ut immane jugum, quod nec Patres eorum potuerunt, nec ſe portare poſſe ajunt, execrantur, & ut *Rigoriſtarum* Ariſtarchos traducunt, qui hoc propugnant mandatum.

CAPUT II.

De mirifica diſtinctione præcepti STRICTIM, & LARGE accepti.

I. QUemadmodum acuti Adverſarii ſinceram Monaſticæ communitatis notionem vocabulorum diverſitate obnubilant, atque penitus deſtruunt; ſic præceptum, quo Eccleſia huic communitati aſtringit Clauſtrales, ſimili vocabulorum involucro eludunt. Author *Vitæ Clauſtralis* CORPUS doctrinæ ſuæ paucis perſtringit 2. *p. diſt. V. pag.* 404. his verbis. *Rerum communitas parum, aut NIHIL commune habet cum paupertatis voto, quod Deo nuncupant Clauſtrales: Nec ea STRICTO præcepto Clauſtralibus præſcripta eſt. Ex quo principio hæc eruimus ſtatim*. Hactenus in univerſo Opere abſolute negavit præceptum communitatis. Sub finem duntaxat cavilloſa particula doctrinæ errorem temperare ſtuduit. In recitato textu primum conſtituit *Rerum communitatem parum, aut NIHIL commune habere cum paupertatis voto, quod Deo nuncupant Clauſtrales*. Quam ſit hæc Doctrina Sacræ Scripturæ, Sanctis Patribus, Conciliis, ac univerſæ Eccleſiæ injurioſa, atque infeſta, alibi oſtenſum eſt. Ultima textus pars: Nec ea *STRICTO præcepto Clauſtralibus præſcripta eſt*, paulo ſeverius dicutienda occurrit. *Nec ergo STRICTO præcepto præſcripta eſt?* Quid eſt To STRICTO? In univerſo, vaſtiſſimoque Probabiliſmi armamentario nondum reperire nobis licuit diſtinctionem adeo feſtivam, & peregrinam. Probabiliſtæ laxiores non raro præceptum aliquod, quod revera eſt, extare negant: aut illud loco conſilii habent: aut tandem præſcriptione contraria ſublatum contendunt. Nemo vero iſtorum tam peracutus, ut diſtinguat præceptum

ceptum *ſtrictum*, & Præceptum *largum*. Hanc diſtinctionem primus omnium invexit Author *Clauſtralis Vitæ*.

II. Ab illo enixe poſtulamus, ut ediſſerat nobis diverſitatem inter præceptum *ſtrictum*, & præceptum *largum*. Cedo. Qui violat præceptum hoc non *ſtrictum*, perpetrat ne peccatum *ſtrictum*, aut peccatum *largum*? Tum: Si peccat peccatum *non ſtrictum*, deſcendet ne in infernum *ſtrictum*, vel in infernum *largum*? Denique interrogare poſſem *ſtrictim* ne, an *large* torquendus fuerit qui exactæ communitatis præceptum non *ſtrictum* tranſgreditur? His jocis, & ſibilis contemnenda eſt futilis, atque chimerica diſtinctio, quæ, ſi conſiſteret, leges omnes eliminandæ ut inutiles, eſſent. Legiſlatores reformare jura omnia, cum Civilia, tum Canonica deberent, unaque addere: Præcipimus *præcepto ſtricto*, & non *præcepto largo* &c. Sed quid ultra inane commentum refellimus, cum ſupra *diſs.* 2. luce meridiana clarius oſtenſum ſit, Eccleſiam præcipere ſub pœna peccati mortalis, ideſt damnationis æternæ, exactæ communitatis obſervantiam. Quare hæc pauca delibavi, non ut errorem convellerem, ſed potius, ut ſtudium, & artem Adverſarii patefacerem in defendenda afflicta, & deſperata cauſa.

III. Alterum principale membrum, quo Author *Clauſtralis* ſuum efficit Doctrinæ CORPUS, in hoc ſitum eſt, quod obſervantia vel inobſervantia Regularis, tota pendeat a Prælatorum voluntate. Silentii cuſtodia, jejuniorum praxis, abſtinentia a carnibus, rarus e Cœnobio exitus, quod nemo aut alterius cellam ingrediatur, aut ſolus abſque ſocio diſcurrat per Civitatem, communis vita peculio vacua, & cætera omnia Regulę, & Conſtitutionum pręſcripta, ſunt, Adverſario noſtro Authore, puri, putique Pręlatorum arbitratus. Si qua eſt, inquit, *pag.* 117. & 118. inter *obſervantes*, & *inobſervantes* Clauſtrales diverſitas, tota ſe tenet penes majorem, aut minorem Prælatorum indulgentiam. *Cætera nihil*. Quo principio poſito, quæ heinc ſequuntur ſcandala, cuique pervia ſunt.

CA-

CAPUT III.

CONSECTARIA, quæ Author Clauſtralis ex CORPORE Doctrinæ ſuæ derivat.

CONSECTARIUM I.

PRimum emolumentum, quod ex præfato Doctrinæ CORPORE Clauſtrales percipiunt, eſt tanta opulenti peculii abundantia, quanta ſatis ſit & neceſſitati, & honeſtæ voluptati, ut ſupra oſtenſum eſt, nec vacat ea omnia commoda, quæ Author iſte concedit Regularibus, repetere.

CONSECTARIUM II.

In hoc conſectario horror Doctrinæ Vitæ Clauſtralis magnopere apparet. Inquit enim pag. 405. *Prælati Regulares nec graviſſimi, nec gravis, nec LEVIS peccati rei ſunt, ſi vitam communem ſuis non invehunt Monaſteriis*. Inepte ergo Tridentinum *ſeſſ. XXV. cap.* 1. inepte Pontifices, & Regulæ omnes præcipiunt Prælatis Regularibus, potiſſimum Generalibus, & Provincialibus, Diſciplinam collapſam reformare, *præcipue quoad exactam Vitam communem*. Hæc eſt, inquit Concilium Tridentinum, baſis, & fundamentum univerſæ Diſciplinæ Regularis. Cedo. Vita communis eſt ne ſaltem *præcepto largo* præſcripta? Hac in hypoteſi vel benigniores Probabiliſtæ docent, peccare graviter Prælatos, qui in deſuetudinem abire ſinunt, aut, cum poſſint, non inſtaurant, Conſtitutionem aliquam maxime ex præcipuis, tametſi ad nullam, vel levem culpam obliget. Cæterum, ſi verum principium ſit, quod nullo præcepto, nulla conſtitutione, nullaque lege, exacta rerum communitas imponatur, verum quoque Conſectarium eſt. Sed erroneum primum: ergo & poſtremum. Subdit Clauſtralis noſter ibidem: *Peccarent quidem, utique GRAVISSIME Prælati ſi peculii abuſus aut in rebus ſuperfluis, aut pravis imprudenti conniventia permitterent, & pro viribus tollere eos non curarent, vitamque communem, quam præſcribunt jura, non inveherent*. Peracute de more. Peccarent ergo Prælati, ſi permitterent peculium expendendum in rebus *ſuperfluis & pravis*? Immunis ne a culpa eſſet Pater familias, ſi id permitteret filiis ſuis? Peccarent, addit,

dit,

dit, *GRAVISSIME* Prælati, ſi inſtaurare omitterent communem vitam, quam præſcribunt jura. Ecquam vitam communem præſcribunt jura? Communitas dominii eſt de eſſentia primaria voti. Communitas uſus bonorum *nihil* cum voto affinitatis habet, nec ullo *ſtricto* præcepto imponitur. Quam ergo communitatem præſcribunt jura, quamque ſi negligerent inſtaurare Prælati, graviſſime peccarent? Colligat hinc lector, quam ſit Magiſter Clauſtralis in diſputando ſuus; nam paſſim evidentiſſimis antilogiis ſe ſe conficit.

CONSECTARIUM III.

Quam recenſuimus Doctrinam patentius confirmat Adverſarius noſter in ſua *Vita Clauſtrali* pag. 405. *Nec Prælati, nec ſubditi Vitam communem non ſervantes, & peculia non projicientes in extremo damnationis periculo verſantur* ..... *Et ſane quis audeat id aſſerere poſtquam noverit, nec ex proprie STRICTIMQUE dicto Regulæ præcepto, nec ex ipſamet paupertatis natura, nec ex Eccleſiæ lege ad communem vitam eos eſſe abſtrictos?* Conſectarium legitimum eſt, principio admiſſo. Hoc eſt erroneum: ergo & illud. Repetit iterum ſuum illud STRICTIM, illudque applicat Regulæ præcepto, inquiens: *Nec ex proprie, STRICTIMQUE dicto Regulæ præcepto*. Errorem hunc convellunt ſui ipſius Conſtitutiones, ut alias diximus, & dicendum ſæpius eſt, his verbis in ipſo primo *Prologi* textu. *Declaramus, quod unitas cordium in his, quæ Dei ſunt, ſecundum Regulam noſtram eſt in PRÆCEPTO, SICUT & communitas rerum*. Præceptum charitatis eſt ne præceptum *STRICTIM*, aut *large* acceptum? *Strictim*, inquit. Ergo *Strictim* accipiendum eſt præceptum communitatis, cum leges declarent, charitatem eſſe in præcepto *SICUT* & communitatem rerum, ratione tamen diverſa. Nam ad illam ex Divinæ legis præcepto: ad hanc ex *ipſius Regulæ præcepto adſtringimur*, inquiunt præfatæ leges, adduntque: *Et ideo circa unitatem cordium, & communitatem rerum magna diligentia adhibenda eſt*. At, ut adeo STRICTIM urgeam Adverſarium, ut nullum ei pateat perfugium, quæro, cur Conſtitutiones Ordinis hæc duo dumtaxat diſtinguant a cæteris aliis ejuſdem Regulæ ſtatutis? Legat reſponſum in Textu IV. earumdem Conſtitutionum. *Præceptum autem in Regula nullum, niſi quod de natura ſua eſt ratione trium votorum, vel Divinæ, aut Eccleſiaſticæ legis*. Præceptum autem ratione

ratione trium Votorum, potiſſimum eſt *Rerum communitas*, ut declarant leges ipſæ. Denique declarant leges iſtæ ſub *lit. L.* cæteras alias Conſtitutiones ad culpam non obligare, niſi habeant annexum præceptum. *Tranſgreſſores noſtrarum Conſtitutionum, quando ſunt puræ Conſtitutiones, & NON HABENT PRÆCEPTUM annexum ... non obligantur ad culpam.* Ergo evidens eſt, rerum communitatem ſevero præcepto, a cæteris Conſtitutionibus diſtincto, imponi. Alioquin inepte leges appoſuiſſent iſtud peculiare præceptum, illudque cum præcepto charitatis comparaſſent. Quod adjicit Author Clauſtralis, ad rerum communitatem *nec ex ipſius voti natura, nec ex ipſius Eccleſiæ lege eſſe obſtrictos* Regulares, jam ſupra refellimus ut patentiſſimam falſitatem *Facti*.

CONSECTARIUM IV.

Adverſarius noſter *pag.* 407. ſuæ *Vitæ Clauſtralis* exponit ſuum Confectarium IV. ubi hæc habét: *Nemo eſt tantæ cæcitatis, qui non videat, poſſe Regulares tuta conſcientia in iis Cœnobiis commorari, in quibus ejuſmodi uſus in more poſitus eſt, & communis Vita ad Concinianum Criterium exacta non obſervatur.* Reducat ſub oculos eruditus Adverſarius, quæ ille ſcripſit paulo ante pag. 403. & 404. nempe Confectarium iſtud *ſponte ſua* dimanare ex hypotheſi legis Eccleſiaſticæ præcipientis exactam rerum communitatem. Lex, ſeu præceptum exactæ communitatis latum ab Eccleſia evidens eſt. Ergo tam verum eſt Confectarium inde dimanans, quam verum eſt, quemquam debere occaſionem violandi aliquod præceptum vitare. Quare mirifica eſt Adverſarii fidentia, qua cæcitatis arguit eos, qui manifeſtam veritatem propugnant. Sed feſtivum eſt quod ſubdit: *Communis vita ad Concinianum criterium exacta.* Non aliam communitatem, ut millies dictum eſt, Concina exigit, præter illam, quam Regulæ omnes, Concilium Tridentinum, Clemens VIII. & cæteri Pontifices omnes præſcribunt, quamque in praxi ſervant Sacri illi Ordines, qui ad propriæ profeſſionis præſcriptum vitam agunt. Quid ergo cavillatio iſta ad *Concinianum Criterium* ſingulis paginis obtruditur? Non alio pertinet hæc frigida clauſula, niſi ut afflictæ, & deſperatæ cauſæ latebra aliqua quæratur. Si bona fide cauſam egiſſet, dum deſcripſit ex Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica Epiſtolam Natalis Alexandri, & authoritatem D. Bernardi, debuiſſet una exſcribere germanam interpre-

tationem, qua Divi Bernardi doctrina expoſita ibidem eſt. Legatur iterum laudata Diſciplina *Diſſert. V. cap. XI. pag.* 239. *& ſeqq.* item *cap. XII.* §. 2. *pag.* 248. ut ſinceritatem Clauſtralis noſtri quiſque deprehendat.

CONSECTARIUM V.

Magiſter Clauſtralis in ſuo Conſectario V. pag. 409. docet, poſſe ad libitum abſque omni culpa tranſire Clauſtrales a Religione, ſeu Congregatione, vel Provincia, in qua viget obſervantia Regularis, ad aliam Religionem vel Provinciam, in qua collapſa ſit Diſciplina, antiquata vita communis, ſerpantque corruptelæ peculiorum, & aliarum legum tranſgreſſiones. Hunc tranſitum prohibet Tridentinum Concilium ſeſſ. XX. cap. 19. Et ab Eccleſia damnata eſt doctrina, quæ defendebat, poſſe quemquam libere ſe conjicere in proximam occaſionem violandi aliquod præceptum. Lege Diſciplinam Apoſtolico-Monaſticam Diſſ. V. cap. 12. pag. 242. & ſeq.

CONSECTARIUM ULTIMUM.

Plurima abſurda continens.

I. Hactenus Conſectaria recenſuimus, quæ Adverſarius ipſe e ſuis principiis deduxit. Liceat nunc nobis paucis indicare alia abſurda, quæ illius principia neceſſario conſequuntur.

II. ABSURDUM PRIMUM. Nullum eſt peculium adeo opulentum, quod retinere Clauſtrales nequeant. Nam ſi peculium neque vi voti, neque vi præcepti, neque lege ulla Eccleſiaſtica vetitum eſt, abſolute licitum erit. Si abſolute licitum: cur non in magna, ſicut & in parva quantitate? Cur terminis arctandum, ſi nulla lege arctatur? Et reipſa audivi ipſe Viros in Theologia laureatos ita effari. Eccur nobis non licet centies centena millia aureorum ex Superioris noſtri licentia habere? Quæ lex id prohibet? Non votum paupertatis. Hoc quippe cum ſolo dominio pugnat, & in ſola dominii abdicatione ſitum eſt. Quoties autem ex Superioris nutu hanc pecuniarum ſummam retinent, dominium abdicatum eſt, & purus *uſus facti* habetur. Cur ergo centena, & centies centena millia repugnat habere ex Prælatorum venia? Quo ſe recipiet Author *Vitæ Clauſtralis*, ut

hoc

hoc declinet abſurdum? Ad votum? Minime: Quia votum nullum peculium abſolute vetat, ut ille contendit. Ergo nec parum, nec magnum. Ad legem aliquam? Multo minus: Quoniam nulla lex ſive Monaſtica, ſive Eccleſiaſtica illud prohibet: Ergo, Prælato non repugnante, nulla eſt aureorum ſumma tam ingens, quam ex Prælati licentia habere Clauſtrales nequeant.

ABSURDUM SECUNDUM. Peculium neque voto, neque præcepto, neque aliqua lege prohibitum eſt. Ergo Superiores Clauſtralium nequeunt illud denegare ſubditis, aut præcipere, ut illud dimittant. Conſequentia eſt evidentiſſima. Nam Superiores nequeunt ſubditorum profeſſionem augere, noviſque oneribus aggravare. Nequeunt quidquam prohibere, quod Regula non prohibet, aut præcipere quod Regula non jubet. Si ergo, neque votum, neque Regula, neque lex Eccleſiæ peculium vetat, planum eſt, neque Superiorem illud vetare poſſe. Quod Maximum abſurdum non modo admittit, ſed conceptis verbis adprobat Author *Vitæ Clauſtralis*. Siquidem pag. 435. in medium adfert quorumdam Sacrorum Ordinum Conſtitutiones, quibus cavetur Prælatis, ne abſque aſſenſu ſubditorum valeant quidquam de eorumdem peculiis diſponere. Et *Aſinus* ſit oportet, inquit ibidem eruditus Adverſarius, qui hoc non intelligit.

ABSURDUM TERTIUM. Si abſolute licitus eſt Clauſtralibus peculii uſus, vera quoque eſt Bordonii, & aliorum Caſuiſtarum ſententia: nimirum poſſe Clauſtrales ex licentia Superioris retinere pecula ſuperflua, illa expendere in uſus turpes, atque congruo ſumptu conducere ſcorta, & meretrices, quin peccent contra votum paupertatis, tametſi peccent contra votum caſtitatis, & alias leges. Si enim abſolute, nulla reclamante lege, aut voto, Clauſtralibus peculium permiſſum eſt, accedente Prælati conſenſu, in nullo alio a laicis, ad hoc quod attinet, diſtinguuntur, niſi, quod iſti abſque ullius licentia, & illi non niſi ex Prælatorum venia pecunias habere valent. Idque fatentur Adverſarii ipſi, potiſſimum Magiſter *Vindex*. Ex alia parte Prælati nequeunt negare licentiam retinendi peculium illud, quod nulla lege, nullo voto, præcepto nullo vetitum eſt, ut alias diximus.

HOC EST CORPUS DOCTRINÆ Vitæ Clauſtralis, & VINDICIARUM; HÆC CONSECTARIA: HÆC ABSURDA, quæ hoc Doctrinæ CORPUS neceſſario conſequuntur. Plura alia recenſere poſſem, quæ miſſa facio, utpote cuique obvia.

Digitized by Google

E P I L O G I PARS SECUNDA.

CAPUT I.

CORPUS DOCTRINÆ

Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ, & iſtius Operis. Iterum repellitur Rigoriſmi nota. Nulla benignior, mitiorque doctrina excogitari poteſt præ illa, quæ in utroque hoc citato Opere propugnatur.

I. QUoniam a nulla re magis abhorreo in morum controverſiis dirimendis, quam a nimia ſeveritate, injuſtoque rigore; idcirco veniam me a Lectore facile impetraturum eſſe confido, etiamſi nimius illi videar in hac propulſanda impoſtura. Paucis tamen hic negotium conficiam. CORPUS Doctrinæ utriuſque Adverſarii cum ſuis Confectariis ſuperius ante oculos ſtatui, atque expoſui. In hac poſteriori parte CORPUS Doctrinæ *Diſciplinæ Monaſticæ*, & *Defenſionis* iſtius, ſinceritate, & perſpicuitate ſumma perſtringam, ut contraria juxta ſe conſtituta luculentius emicent, quemadmodum communi fertur proverbio. CORPUS Doctrinæ hoc in capite ad quaſdam revocabo Propoſitiones. Poſt, Confectaria capite ſequenti eliciam.

PROPOSITIO I. Regulares, aut vi voti Paupertatis, aut ſaltem Præcepti Eccleſiaſtici, exactæ rerum communitati cujuſque privati peculii vacuæ devincti ſunt. Hoc eſt primum, & fere unicum in hac controverſia principium, omnium Theologorum, Canoniſtarum, & Probabiliſtarum ſententia confirmatum.

PROPOSITIO II. Sive exacta rerum communitas voti naturam ingrediatur, ſive ſit eidem voto vi præcepti Eccleſiaſtici annexa, ut medium ad ejuſdem voti obſervationem neceſſarium, ad praxim quod attinet, perinde eſt. Principium enim hac in cauſa unicum eſt, quod Clauſtrales lege ad peccatum mortale obligante prælatæ bonorum communioni devincti ſint.

ſint. Utrum porro hæc gravis obligatio ſub culpa lethali, ſive a voto ipſo, præcepto, & Eccleſiæ lege circumſcripto oriatur, ſive a ſolo præcepto, & lege Eccleſiæ, quæſtio eſt, quæ metaphyſicam potius, quam moralem deciſionem ſpectat. Primam ego defendo partem, in cujus confirmationem argumenta adduxi adeo luculenta, ut exilia nimium, & vana omnino appareant Adverſariorum reſponſa. Si quis tamen adverſam propugnare ſententiam velit, non repugno. Erit iſte per me infelix Dialecticus, at non pravus Moraliſta, dummodo concedat, vi graviſſimi præcepti perfectæ rerum communioni ſubjectos eſſe Clauſtrales omnes. Quæ idcirco repeto, quamquam latius ſupra diſputata ſint, ut falſitatem penitus conteram, quam per ſummam injuriam mihi ſingulis fere paginis affingunt Adverſarii: quaſi ſententiam hanc graviſſimam ita illigaverim priori diſputationi, ut ſi falſa illa foret, cauſa mea præjudicium aliquod ſubiret. Centies dixi, & nunc iterum repeto, quod etiamſi falſa ſententia illa eſſet, non propterea quidquam emolumenti colligerent Adverſarii: cum ad incurrendam damnationem ſufficiat, graviter violare Eccleſiæ præcepta. Si autem vera ſit, uti veram illam exiſtimo in ſenſu, quo eam expoſui, tum luculentius, & pluribus titulis a nobis veritas ſtat, atque victoria.

PROPOSITIO III. Prælati Regulares ab hac ſive lege, ſive præcepto, ſive voto diſpenſare ſubditos ſuos abſolute, & indiſcriminatim nequeunt: quoniam hæc non diſpenſatio, ſed diſſipatio legis, & Miniſterii prævaricatio eſſet. Idcirco Concilia Oecumenica, & præcipue Tridentinum, & Summi Pontifices tam ſevere Prælatis prohibent, ne peculiarem, ſive mobilium, ſive immobilium bonorum uſum ſubditis impertiant. Quare Fagnanus, & Eminentiſſimus Petra advertunt, quod nequeant Prælati diſpenſare, niſi in extrema neceſſitate. Mitius ego ſentio, ut mox dicam.

PROPOSITIO IV. Prælati Regulares, juſta & rationabili urgente cauſa, valent in hoc, aut illo eventu cum his, aut illis ſubditis interdum diſpenſare, ſive hæc obligatio exactæ communitatis proficiſcatur a voto, ſive a præcepto. Si rerum communitas, opponunt imperiti quidam, voti ſubſtantiam ingrediatur, nequeunt Prælati ab ea diſpenſare, cum votum ſolemne ſit. Hoc ex inſcientia ortum ducit. Aliud eſt, quod Prælati nequeant abſolute abſolvere ſubditos a ſolemni voto, conſtituendo eos abſolutos dominos: aliud, quod in hoc, vel illo caſu, ſecundum quod aut neceſſitas, aut bonum commune exigit, nequeant cum iiſdem diſpenſare.

Quam

Quam eſt verum primum, tam eſt falſum ſecundum. Ad Doctrinam D. Bernardi, quam referunt Conſtitutiones noſtræ in *Prolog. ad tex. III. ſub litt. F.* Prælati animum intendant. *Votum meum* (inquit Bernardus lib. de diſpenſat.) *non augeat Prælatus abſque mea voluntate, nec minuat ſine certa neceſſitate; alioquin remiſſio voti abſque neceſſitate non diſpenſatio, ſed diſſipatio eſt.*

PROPOSITIO V. Juſta diſpenſationis cauſa eſt neceſſitas vera & non ficta, ut fuſius in *diſſert. V. de diſpenſat.* dictum eſt.

PROPOSITIO VI. Quantitas peculii concedenda, & licite retinenda in data hypotheſi, quod de communi non ſuppeditentur neceſſaria, tanta eſſe, & non major debet, quæ ſufficiat ad ea comparanda, quæ præberet Cœnobium, ſi exacta vigeret communitas: peculium quippe remedium eſt communi proviſioni ſubſtitutum. Pro illo ergo bonorum dumtaxat uſu licitum eſt, quæ a Religione darentur, ſi perfectæ obtineret communitatis obſervantia. Id patet in quolibet contractu, in quo, ſi una pars deficit, non propterea altera ad libitum, & ſupra initi contractus leges compenſare ſibi poteſt; ſed ea tantummodo exigere jure valet, quæ ſibi debentur, ſi altera pars oppignoratam fidem ſolveret. Itaque cum Regularis vi ſuæ profeſſionis jus habeat, ut ſibi a Religione victus, & veſtitus præbeantur, ſi Religio deficit, valet ſibi tantumdem propria induſtria comparare quantum Religiones bene inſtitutæ præbere de communi penu ſolent. Id dumtaxat advertendum, moralia mandata individua non eſſe, & juxta circumſtantiarum diverſitatem mitius, aut ſeverius ſervari debere.

PROPOSITIO VII. Superiores Regulares tenentur adimplere fidem Religioſis in profeſſione datam, victum & veſtitum iiſdem porrigendo. Si exactæ communitatis obſervantia collapſa ſit, eam inſtaurare tenentur, cui reformationi reſiſtere ſubditi abſque culpa nequeunt. Quando enim Prælati, & ſubditi reciproca conniventia deliberate perſeverant in neceſſitate habendi peculii, ſunt in malo ſtatu, quia neceſſitas volita eſt. Nulla ab hac obligatione inſtaurandi communitatem præſcriptio, aut conſuetudo contraria; ſed ſola impotentia, vel ſcandali juſtus timor excuſat.

PROPOSITIO VIII. Nihil benignius, nihil mitius in hac controverſia concedi poteſt. Votum Paupertatis idem omnino eſt in Religione, ſive diſciplina remiſſa ſit, ſive reformata. Eamdem omnino paupertatem vovent omnes profitentes Regulam Auguſtinianam. Ergo eodem modo, quoad

fieri

fieri poteſt, ſervari debet. Eadem profeſſio: Ergo eadem obligatio. Si vel ob alias ab eis, quas ego deſignavi, cauſas, vel in majorem, quam ego præſcripſi peculii quantitatem, vel alios uſus diſtrahendam conceſſerit quiſpiam; hic non benignam, mitemque ſententiam, ſed laxas, erroneaſque opiniones evulgaret in animarum perniciem. Repeto tamen adverſus moroſos Cavillatores, quod limites individui præſcribi in hac cauſa nequeunt; ſed moralia moraliter, ut ajunt, accipienda, ſunt.

C A P U T II.

C O N S E C T A R I A

Quæ has propoſitiones neceſſario conſequuntur. Confeſſione Authoris Vitæ Clauſtralis *Concluſiones diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ veræ ſunt, admiſſis recenſitis principiis.*

Principia, quæ hactenus indicavi, certa ſunt, & inconcuſſa penes Theogos, & Canoniſtas. Conſectaria, quæ ex iisdem ſponte dimanant, pleno in lumine univerſam cauſam conſtituunt, & damna graviſſima, quæ ex peculii corruptela dimanant, ob oculos ponunt. Adverſarii noſtri, ut vidimus, principia noſtra reijciunt ut falſa. Sed hactenus evidenter, niſi me omnia fallunt, toto cœlo a veritate aberrare illos patefeci. In præſentia unum mihi concedunt, nimirum vera eſſe omnia Conſectaria, ineluctabiles omnes concluſiones, quas in Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica ex indicatis principiis derivavi. Quare, ut invidos vituperatores reprehendiſſe peniteat, & benevoli objurgatores didiciſſe gaudeant, lubet verba ipſa Adverſarii tranſcribere.

Itaque Magiſter *Vitæ Clauſtralis 2. p. diſſert. 6. pag.* 403. hanc prodit Confeſſionem. *Quod ſuo e ſyſtemate quam plurima conſectaria Clauſtralibus peculio utentibus injurioſa deduxerit Daniel, vitio ei verterint alii, ego SUMMÆ DO LAUDI. Egit ille, ut recentiores Philoſophi ſolent, qui, ut naturæ phenomena explicent, quoddam ſibi effingunt ſyſtema, quo poſito, proclive illis eſt, cur ita res ſint, cauſam indigitare, & rationem. Ita Carteſius, ita Gaſſendus, ita Wolfius, Leibnizius ita. Hos ... imitatus Daniel novum quoddam & ipſe ſibi in re Monaſticæ paupertatis elaboravit ſiſtema, ex quo*

SPON-

SPONTE SUA tot illa ſubſequuntur abſurda, quæ adverſus Clauſtrales iratis ſuperis ſcripturivit. Hoc idem iterum confirmat pag. 404. *Optimus propterea Dialecticus fuit, qui ea inde collegerit Daniel. Unde ſi quis eum male argutari contenderet, haud recte ageret, antequam ejus fundamentum effodiat, evertatque*.

Fundamentum unicum omnium Conſectariorum, quæ mox deducam, non aliud eſt, quam iſtud: *Aut vi voti, aut lege, ſeu præcepto Eccleſiæ impoſita Clauſtralibus eſt exacta rerum communitas, peculiumque vetatur*. Si principium iſtud verum ſit, legitima ſunt, fatentibus Adverſariis, Conſectaria noſtra. Si falſum, falſa quoque, me fatente, Conſectaria, falſa omnia, quæ tam in Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica, quam in hoc Opere dicta ſunt. At principium noſtrum, nempe, latum ab Eccleſia exactæ communitatis præceptum, non minus verum, & manifeſtum eſt, quam ſit Urbem Romam exiſtere, ut ſupra demonſtratum fuit: Ergo vera Conſectaria. Cæterum ſatis mihi eſt, quod ultro fatentur Adverſarii, nimirum Conſectaria noſtra legitima, & vera eſſe, poſita lege Eccleſiaſtica præcipiente exactam rerum communitatem. Porro legem hanc latam ab Eccleſia eſſe omnes Theologi, & Canoniſtæ docent. Paucis ergo Conſectaria ipſa perſtringamus.

CONSECTARIUM I. Tam Prælati, qui deliberato animo omittunt collapſam reformare exactam communitatem, quam ſubditi, qui aut nolunt hanc reformationem, aut eidem reſiſtunt, graviter peccant. Conſectarium admittunt omnes benigniores Probabiliſtæ. Et admiſſo Præcepto exactæ communitatis, nemo ratione præditus negare illud jure valet.

CONSECTARIUM II. Si Subditi paratum revera, uti tenentur, haberent animum ad dimittendum peculium: & ſi Prælati adamuſſim fungerentur officio ſuo introducendi rerum communionem, ſublatis peculiis, optatus reſponderet effectus. Hic non apparet. Ergo in alterutra parte deeſt vera & ſincera exactæ communitatis voluntas.

CONSECTARIUM III. Prælati excuſantur a debito invehendæ communitatis, quoties ſcandalum, & rebellionem prudenter timent ſubditorum. Subditi quoque, qui vera, non ficta, & voluntaria neceſſitate coacti, peculium juſtis terminis circumſcriptum retinent, immunes a tranſgreſſione legis communionis rerum ſervandæ evadunt.

HOC EST CORPUS DOCTRINÆ tam Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſti-

naſticæ, quam præſentis ipſtius Operis. Revocentur ad ſeveriorem criticem tum propoſitiones, tum Confectaria hæc noſtra. Si quidquam occurrit in illis, quod commune, certumque penes Theologos & Canoniſtas non ſit, improbetur. Confectaria ex eiſdem neceſſario proficiſci ultro fatentur Adverſarii ipſi. Revolvantur benigniores Probabiliſtæ Vaſquez, Valentia, Leſſius, Azorius, Caſtropalaus, Felix Poteſtas, Faber, Maſtrius, Cottonius, Reiffenſtuel, cæterique ſimiles, & niſi iſti defendant, Clauſtrales vi præcepti Eccleſiaſtici devictos eſſe exactæ rerum communioni, tum triumphum, me etiam aſſentiente, ſibi canant, atque victoriam RR. Magiſtri.

Ubinam ergo *Rigoriſmus* ille, quem in angulis exaggerant Adverſarii? An in hoc, quod ſuperfluum peculium damnemus, quod fictam, volitamque habendi peculii neceſſitatem auferendam aſſeramus, quod cum Prælatos, tum ſubditos, qui deliberato animo bonorum communionem omni peculio privato vacuam a Conciliis, a Pontificibus præſcriptam rejiciant, in gravi propriæ ſalutis periculo verſari oſtenſum ſit? *Rigoriſmus* ne eſt, quod juratam in ſubſcriptione FORMULARII Innocentiani fidem ſervandam dixerimus? Quid ergo in univerſa *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica*; aut in hoc Opere diſplicet? Quid cenſura dignum? Forſitan, quod nimia perſpicuitate, atque evidentia Monaſticæ Profeſſionis onera patefecerim, atque oratione altius quandoque elata ſervanda inculcaverim? Si quis hoc reprehenſione dignum judicaret, licitum impoſterum haud eſſet, vel e ſuggeſtu manifeſtare, vel litteris prodere Conjugatorum adulteria, Mercatorum uſuras, Advocatorum fraudes, artificum dolos, mulierum luxum & ambitionem, Eccleſiaſticorum faſtum, & avaritiam? Cujuſque profeſſionis & ſtatus hominum vitia cavenda, & onera implenda, declarare, & exaggerare licitum eſt. Solius Monaſticæ profeſſionis præcepta exponere, & præceptorum tranſgreſſiones deteſtari, piaculum erit?

Ea evidentia, qua major deſiderari nequit, oſtenſum eſt, nihil plus juſto ſeverius, rigidiuſque me ſive in *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica*, ſive in hoc Opere in medium attuliſſe, aut liberius, quam par erat, exaggeraſſe. Sed fac, me zelo inſtaurandæ diſciplinæ ſuccenſum, & nimia, quæ pluribus in locis graſſatur, laxitate correptum, aliquantulum acrius, liberiuſque loquutum, & paulo altius vocem exaltaſſe, propterea ne reprehendendus? Laxiſſimas de paupertate, & Diſciplina Monaſtica opinationes, quæ ſcandalum cum Hæreticis, tum Catholicis ingerunt, evulgarunt Caſuiſtæ.

Plures in Prologomenis ad Diſciplinam Monaſticam collegi, ut neceſſitatem manifeſtarem vindicandi a tot erroribus Monaſticæ Diſciplinæ integritatem. Nemo autem unus repertus fuit, qui adverſus opiniones adeo pernicioſas, & errores adeo turpes calamum ſtringeret, ſtylumque acueret. Continuo vero ac Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica ad conterenda hæc errorum monſtra prodiit, Antiprobabiliſtarum duo aliorum freti, animatique conſilio conclamarunt ad arma, & opiniones omnibus hactenus hac in materia evulgatis laxiores produxerunt in lucem. Quis autem ſapiens, dum ſerio reputat animo opiniones tam enormiter laxas quoquoverſum graſſantes, inficias iverit, venia dignum fuiſſe ejuſdem Diſciplinæ Authorem, etiamſi hic tantarum calamitatum multitudine perterrefactus paulo altius detonaſſet? Agitur ne de ala muſcæ, aut diſceptatur *quot Aceſtes vixerit annos*? vel

Quot Siculus Phrygibus vini donaverit urnas.

ut Juvenalis inquit *Satyra* 7. Nonne cauſæ gravitas, in qua ſumma rei vertitur, veniam impertire debuiſſet, etiamſi in graviſſimæ veritatis defenſione paulo acrius efferbuiſset oratio, atque obtuſas dormientium aures quidquam ſeverius vellicaſset? Quid porro, quod nec in Doctrina, nec in ejuſdem defenſione vel veſtigium nimii rigoris adnotare quiverunt poſt quinque annorum examen Adverſarii ambo? Id quidem pro ingenio effinxerunt, evulgaruntque: at evincere & demonſtrare nunquam potuere.

Accedit, quod Romanæ Sedis defenſio a calumniis Hæreticorum, qui ob ejuſmodi laxiſſimas opiniones, & quorundam Clauſtralium inconditos mores, & ſcandala, audent Sacrum Monaſticum inſtitutum in contemptionem, deriſionemque adducere, me ad hanc compulit orandam cauſam. Heinc quippe colligent Lutherani, & Calviniani Sacrorum Ordinum contemptores, & ſaniones, tum ex hoc Opere, tum ex Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica, quam Sancta ſit Regularium Diſciplina. Perdiſcent, Monaſticam paupertatem, quam noſtris temporis Clauſtrales profitentur, illam ipſam eſſe, quam Chriſtus in ſuo Collegio inſtituit, quam primævi ejuſdem Collegii alumni ſervarunt Hieroſolymis, quamque Sancti Patriarchæ omnes in ſuis Regulis, & Romana Sedes tum in Conciliis, tum in Conſtitutionibus Pontificiis præſcribunt. Intelligent, divitias, luxum, cupedias, argenteam ſupellectilem, aliaque id genus hominum quorumdam, non Diſciplinæ partus eſſe, noſque hæc omnia deteſtari, atque pro virili parte eliminanda curare.

Colli-

Colligent quoque prudentes Lectores, ut alias dictum eſt, alia via Hæreticos perditoſque obtrectatores: alia longe diverſa Catholicos Theologos in Fidelium, & Religioſorum vitia invehi. Illi malitiæ, & invidentiæ furore perciti Monachorum defectus exaggerant, amplificant, ut Sacros ipſos Ordines, & Catholicam Religionem exſibilent, infamentque. Contra iſti Divinæ caritatis zelo ſuccenſi adverſus publica mala clamant, ut applicandæ medicinæ neceſſitatem oſtendant. Studium ergo & ſuccurrendi imperitis, & obſtruendi Hæreticorum ora, ad confutationem *Vitæ Clauſtralis*, & *Vindiciarum* nos adegit.

Hæc omnia eo dicta pertinent, ut patefacerem, Eruditos Adverſarios meos tanti minime fuiſse, ut vel unicam propoſitionem meis verbis conceptam deſignare potuerint, quæ quidquam injuſti rigoris præferret. Cæterum plura fortaſse occurrent errata, quæ tum illorum, tum meam effugerint notitiam. Quæ omnia primum S. Romanæ Eccleſiæ correctioni ſubjicio: tum Sapientum Cenſorum judicio, demiſso, atque paratiſſimo animo ad ea omnia corrigenda, declaranda, expungenda, & retractanda, quæ correctione, retractatione, & declaratione indigere judicatum fuerit.

QUÆSTIO
SUMMI MOMENTI.

Utrum Sedis Apoſtolicæ Authoritate expediens ſit legem perfectæ communitatis mitigari, temperari, & peculium aliquod, ſeu depoſitum omnibus Clauſtralibus concedi juſtis terminis circumſcriptum?

I. QUam ſit propoſita quæſtio momentoſa, nemo non videt. Sæpius illam ſeria revolvi mente. Quæ ſentio libere demiſſoque animo aperiam, & quæ penes omnes certa ſunt, in primis delibabo.

II. Extra diſputationem eſt, omnes Sacrorum Ordinum Inſtitutores perfectam communitatem præcepiſſe, quibuslibet privatis peculiis pulſis, ut teſtantur eorum Regulæ, & graves omnes Scriptores. *Certum eſt autem* (inquit Dion. Carthuſ.) *omni homini veraciter illuminato, quod Patres Sanctiſſimi Ordinum Inſtitutores peculium Monachis non admiſerunt, nec admiſiſſent, ſi Monachi id petiiſſent, ſed penitus prohibuiſſent, immo & nominatim, atque clariſſime prohibuerunt. De Refor. Clauſ. c.* 13. Delirium ſane eſt patentiſſimum aſſerere, quemquam Patriarcham peculium in ſuo Ordine conceſſiſse: & *nemini* hactenus *veraciter illuminato*, inquit Carthuſianus, tanta chimæra in mentem venit. Concilia quoque omnia, & Pontifices omnes abſolute communitatem præceperunt, & peculia vetarunt. Si quandoque hujus, aut illius Ordinis ſtatuta, non ſane ab Ordinum Patriarchis, ſed poſteriore tempore condita, depoſita permittunt, haudquaquam eadem abſolute adprobarunt; ſed poſita hypotheſi neceſſitatis, ſive penuriæ Conventus impotentis communitatem ſervare, permiſerunt quod auferre nequiverunt. Idque patet ex interdicto recipiendæ juventutis ad Profeſſionem. Hæc luculenta, & explorata omnibus ſunt, qui ratione, & oculis non carent. Legas velim *Diſciplin. Apoſt. Monaſt. Diſsert.* 2. *cap.* 5. *&* 6. ubi plura offendes, quæ ad quæſtionem hanc reſolvendam occurrunt.

III. Alia veritas non minus certa præmittenda eſt. Votum paupertatis, cum materiam ſuapte natura licitam rejiciat, nempe divitiarum retentionem, gradus excipit. In arbitrio voventis abſolute eſt, mitiorem, aut ſeveriorem paupertatem Deo ſpondere. Poſſet quis ſe uſu privare divitiarum, retento dominio, aut e contrario. Ne multa. Sicut quis poſſet ex arbitrio talem, & non majorem abſtinentiam vovere; ſic abſolute tantam, & non majo-

majorem, prout ſibi placet, paupertatem Deo ſpondere valet. Et quia ſcilicet paupertas hæc, ad differentiam caſtitatis, quæ individua eſt, latitudinem admittit, omnes Sancti Patriarchæ in ſuis Regulis paupertatem vovendam definiere, quæ deſcribitur a Luca *Act.* 2. *&* 4. Et Regulares eam paupertatem vovent, quam præfatæ Regulæ, Concilium Tridentinum, & Clemens VIII. cum cæteris Pontificibus præſcribunt. Hæc omnia certiſſima ſunt: ſicuti certum eſt, ejuſmodi Regulas, Concilia, & Pontifices paupertatem, perfecta bonorum communione circumſcriptam, promittendam Deo præſcribere. Quid quid ſit utrum hæc communitas præſcripta moralem voti integram materiam ingrediatur, ſive ſub ſolo præcepto contineatur: diſcrimen iſtud ad rem ipſam parum refert.

IV. Poſtremo certum quoque eſt, Patriarcharum neminem deſcriptam paupertatem mitigaſse: quatenus ad communitatem & peculium ſpectat. Ultimi Ordinum Patriarchæ Sanctiſſimi Cajetanus, & Ignatius Monachorum, & Mendicantium auſteritates corporis aut temperarunt, aut penitus neglexerunt. Paupertatem vero, non modo, ut poterant abſolute, non mitigarunt, ſed omnium ſeveriorem præcepere. Reſcribendus hic eſt Sancti Patriarchæ Ignatii textus. *Paupertas, ut murus Religionis firmus diligenda, & in ſua puritate conſervanda eſt, quantum, Divina Gratia aſpirante, fieri poterit. Et quia humanæ naturæ hoſtis ad hoc PROPUGNACULUM, ac refugium debilitandum (quod Deus Dominus noſter Religionibus inſpiravit, contra illum, ALIOSQUE Religioſæ perfectionis adverſarios) eniti ſolet, ea, quæ a primis Fundatoribus bene ordinata fuerunt, immovendo per Declarationes, vel INNOVATIONES primo illorum ſpiritui minime conſentaneas; ut quod in nobis ſitum fuerit, hac parte Societati proſpiciamus, quicumque in ea profeſſionem emiſerint, ſe ad innovationem Conſtitutionum in iis, quæ ad paupertatem pertinent, NIHIL FACTUROS PROMITTANT, niſi aliquo modo, pro rerum occurrentium ratione, eam in Domino magis reſtringendam judicarent.* Et reapſe omnes iſtius inclytæ Societatis Profeſſi, ultra ſolemne paupertatis votum, aliud peculiare emittunt, ſe numquam conſenſuros promiſſæ paupertatis remiſſiori, ſed in id operam daturos, ut pro rerum occurrentium ratione potius reſtringatur. Porro per integrum & amplius ſæculum, prout colligere mihi licuit, non erant cenſus, non redditus, non proventus ulli annuales, ſed victum, & veſtitum omnes de communi acceperunt, pulſis peregrinis deliciis.

V. His

V. His delibatis, quæritur, utrum expediens, & congruum ſit Sedis Apoſtolicæ Authoritate legem exactæ communitatis aliquantulum relaxari alicujus definitæ quantitatis peculii, ſeu depoſiti permiſſu?

VI. Quæ in utramque partem dici poſſunt, meæque menti occurrunt, paucis perſtringo.

VII. Sapientis prudentiſque legiſlatoris eſt, legis obſervantiam humanæ conditioni accomodare. Quam difficilis ſit vitæ communis executio, experientia tot Ordinum Regularium, qui eamdem adamuſſim profecto non ſervant, teſtatur. Nihil obſtat, quominus voti rigor remittatur. Ab arbitrio voventium pendet major, aut minor paupertas, mitior, aut ſeverior. Regulæ Monachales vim obligandi ab Approbatione Apoſtolicæ Sedis acceperunt. Nil ergo impedit, quominus Apoſtolica Sedes præfatas temperare Regulas queat, & paupertatem in eiſdem præſcriptam ad eum mitiorem redigere gradum, quem humanæ infirmitati congruentiorem, & executione faciliorem cognoverit. Quid, quod alias Regulas in aliis materiis Sedes Apoſtolica reapſe mitigavit: & in hoc paupertatis negotio cum Fratribus, quos Conventuales S. Franciſci vocant, quædam mitigatio facta fuit. Hæc ſunt momenta, quæ mitigationem ſuadent.

VIII. Argumenta, quæ oppoſitum evincunt, videntur ineluctabilia. Nemo Patriarcharum, aut Conciliorum, aut Pontificum id abſolute hactenus attentavit. Ex præterita experientia didicerunt Sanctiſſimi Patriarchæ, graviſſimam difficultatem exactæ vitæ communis, & peculiorum abuſum ſcopulum eſſe humanæ infirmitatis frequentiſſimum. In eorum arbitrio conſtitutum erat, votum temperare, & relaxare ad hunc, vel illum gradum. Cur ergo eorum nemo lapidem offenſionis ſuſtulit? Cur nemo rigorem temperavit? Immo cur omnes adeo oppoſitam inierunt viam, ut Sanctiſſimi Mendicantium Patriarchæ Diſciplinæ Monaſticæ decrementum, & relaxationem ex divitiarum redundantia, & peculiorum abuſu conſpicientes, paupertatis, communitatiſque legem non modo non linierunt, ſed alii lege retro inaudita rejiciendi bona, vel in communi poſſeſſa, munierunt? Alii ſolis eleemoſinis oſtiatim comparatis, alii, condita lege de non repetendis eleemoſinis, ſed ex ſponte oblatis ſuſtentandam vitam decrevere. Inſignis Jeſu Societas, quæ præ cæteris ex aliorum jactura proventum fecit, plurimis aliorum Ordinum Auſteritatibus rejectis, ſolemni paupertatis voto votum adjunxit peculiare numquam laxandi, ſed potius reſtringendi paupertatem. Num-

Numquid Sanctiſſimi Patriarchæ vel in communi bona ſtabilia poſſidere vetarunt; & poſtea ſingulis Religioſis annuos proventus, ſeu penſiones, &, ut ajunt, livellos conceſſere? Non ne id apertam redoleret ſtultitiam? Nam paupertatem domorum Profeſſionis, & Conventuum parietibus, lapidibus, & cubiculis præcepiſſent: pecunias vero Religioſis dediſsent. Nulli ergo Patriarcharum Deus a tempore Apoſtolorum ad hæc uſque noſtra hanc paupertatis, ſeu communitatis Mitigationem inſpiravit. Nulli Conciliorum, nulli Pontificum lumen inſuflavit, quo Clauſtralium conſcientiis ſuccurrerent paupertatis relaxatione. Hoc factum certiſſimum, quidquid unus P. Magiſter Clauſtralis argutetur, atque *omnibus veraciter illuminatis*, inquiunt Trithemius, Carthuſianus, cæterique omnes, exploratum, mille prævalet argumentis.

IX. A Facto ad ipſius mitigationis poſſibilitatem tranſeamus. Nihil facilius facto eſt, quam votum paupertatis pro arbitrio temperare, ſi abſolute ſpectetur. Verum enimvero, ſi eum aliis duobus votis Caſtitatis, & Obedientiæ junctum, & ut eſt fundamentum præcipuum Evangelico-Monaſticæ perfectionis, conſideretur, non video, quomodo vel tantillum relalaxari queat. Religio Clauſtralis quoddam ædificium cæleſtis perfectionis eſt, & quamvis in arbitrio artificis ſit lapides ad hanc, aut illam figuram abſolute redigere, ſi res abſolute ſpectetur; ſecus vero in hypotheſi, qua domus exemplar delineaverit, formamque certam definierit. Tum enim relative ad hanc univerſam ædificii formam lapidum figuram, & ſitum diſponere aſtringitur. Similiter Inſtitutores, qui formam Religionis in Actibus Apoſtolorum a Supremo Artifice præſcriptam volunt, media, quæ Chriſtus præſcripſit, velint, neceſſum eſt. Chriſtus autem volentibus Evangelicam perfectionem amplecti, *omnia relinquere* juſſit. *Omnia quæcumque habes vende, & da pauperibus: & veni, ſequere me. Luc.* 18. Omnia vendenda, nihil retinendum, non *livelli*, non annui reditus, non penſiones. Quod conſilium materia eſt voti paupertatis Monaſticæ. Ergo qui vult Scholam ingredi Apoſtolico-Monaſticæ perfectionis, viam calcare a Chriſto præſcriptam debet, dimittendo nempe omnia.

X. At S. Philippus Nerius hanc paupertatem non præſcripſit. Bene habet. At nec alia duo vota impoſuit, nec perpetuam ſtabilitatem, nec Religionem condidit. Si paupertas S. Philippi tibi arridet, cætera quoque illius ſuſcipe inſtituta. Si quæ tuis appetitionibus favent ex qualibet Religione

gione ſeligere velis, chimæram humanis appetitionibus confictam, non Religionem formabis. Quin hoc S. Philippi factum impoſſibilem mirigationem evincit in hypotheſi, qua vota tria ſolemnia velis. Quoniam ea ratione, qua noluit uſum, noluit cætera, quod viderit eorumdem connexionem. At non ne perfectio Evangelica comparari poteſt etiam in cœtu illo Presbyterorum? Quam maxime. Immo Chriſtiani omnes comparandæ perfectionis ſtudio adlaborare tenentur, eamque comparare valent. Quid heinc? Ergo ſuperfluæ ſunt Religiones Clauſtrales, ut Proteſtantes blaſphemant? Jam vides quo tendat ſophiſma. Ordines Clauſtrales ſunt Scholæ, quæ viam parant faciliorem comparandæ perfectionis. Hæc prima propoſitio negari abſque errore in fide nequit. Retentio, & uſus pecuniarum, etiam cum licentia Prælati, difficilem Regularibus efficiunt viam Evangelicæ perfectionis. Solicitudines quippe, curas, diſtractiones, & turbationes fovent, augentque. Hæc quoque propoſitio certa eſt. Quæ has duas certiſſimas propoſitiones conſequuntur, tumetipſe erue.

XI. Verum, ut res tota pleno conſtituatur in lumine, penitius ſcrutemur modos omnes, & limites, quibus permittendum peculium, ſeu depoſitum eſſet. Et primum, ad quid permittendum peculium iſtud? Ad victum, & veſtitum tribuendum? Sed hæc fere ubique de communi conferuntur ſufficienter neceſſitati levandæ. Et Tridentina Synodus vetat aliquem fundari Conventum, abſque congruis redditibus, jubetque tot dumtaxat indui Juvenes, quot ſuſtentari congrue valent. Ad quid ergo peculium iſtud? Ad plures, quæ in dies occurrunt neceſſitates? Sed cur hæ levari non poſſunt de communibus bonis, cum inter victum & veſtitum omnia ſtatui congrua computentur? Verum habet. Sed experientia compertum eſt, hæc de communi non ſuppeditari. Sed Prælati delinquentes corrigantur, puniantur que, quin lex aut imminuatur, aut relaxetur.

XII. Preſſius urgeamus argumentationem. Unde eruendum hoc peculium? Ex communi Monaſteriorum patrimonio? Abſit. Quid ergo faciendum de amplis plurium Cœnobiorum proventibus? Unde ergo colligendum peculium iſtud? Ex concionibus, lectionibus, aliave peculiari induſtria Religioſorum? Ergo qui induſtrii, qui docti, qui rerum gerendarum peritiores fuerint, divites, & abundantes erunt: indocti autem, ſimplices, & Chorum frequentantes, egeni, pannoſi, & penuria laborabunt. At hæc non perfectionis, ſed confuſionis Schola eſt. Præterea, hoc poſito, ubi Obedientiæ votum?

Quo

Quo jure poterit Prælatus adigere, ut ille Chorum frequentet, hic a Concionibus, aut miniſteriis lucra præbentibus abſtineat? Reponent omnes, jure naturæ tenemur congrua ſtatui noſtro alendo, & ſuſtentando comparare, poſito, quod hæc a Religione nobis non porrigantur. Unde ergo peculium iſtud eruendum? A penſionibus ante profeſſionem emiſſam reſervatis? Ergo qui redditus annuos reſervare ſibi nequeunt, quod patrimonio carent, ingredi Religionem non poſſunt. Aut ſi Religionem profiteantur, iſti pauperes erunt, alii divites: illi ſolicitudines, & curas ſæculi reſumere urgebuntur, ut peculium ſibi comparare queant. Tum: Hoc peculium reſervandum æquale ne eſſet, an inæquale? Si primum, cur non in commune confertur, prout cuique opus fuerit, diſtribendum? Si inæquale, urgent abſurda indicata, quod alii egentes, alii abundantes erunt.

XIII. Præſtituatur, inquies, quantitas peculii habendi, & Superiori cuſtodiendum detur. Sed quænam erit iſtius peculii definita quantitas? Eadem ne erit reſpectu omnium? Adde plures Ordines id præſtitiſſe, quando, neceſſitate cogente, permittere peculium opus fuit. At communiter conditiones iſtæ minime ſervantur, ut experientia conſtat. Quid heinc? Auferendum ne propterea votum? Facilius eſt ſervare perfectiſſimam communitatem, quam moderati peculii conditiones, ut manifeſta patet experientia. Si permittendum eſt peculium, quia perfecta communitas non obſervatur. Ergo auferendæ peculii conditiones, quia iſtæ quoque violantur, non ſecus ac communitas. Ergo abolendum omnino votum.

XIV. Accedit, quod ubi exacta non viget communitas, aliarum quoque Conſtitutionum neglectus ſerpit. Qua itaque ratione temperandus eſſet communitatis rigor, mitigandæ forent omnes aliæ leges. Uno verbo, de medio tollendæ eſſent Religiones, vel humanis appetitionibus temperandæ.

XV. Omnia paucis comprehendo. Potiſſimum permittendi moderati peculii, ſeu depoſiti fundamentum eſt, difficilis perfectæ communitatis obſervantia. At difficilius, ut dixi, eſt humanam cupiditatem intra moderati peculii limites cohibere. Cur quæſo Votum paupertatis emittitur? Quia difficilis eſt moderatus divitiarum uſus. Difficile eſt inter mulieres commorari, & concupiſcentiam non accendi. Difficile eſt pecunias tractare, & earundem amore non tangi. Quare, ut animum a concupiſcentiæ illecebris, & divitiarum illiciis immunem ſervares, vota Deo nuncupaſti. Quid itaque

nunc licentia Prælati pecunias habere contendis, quas ſine licentia habere poteras ante votum?

XVI. Si legum tranſgreſſio validum temperandarum legum fundamentum eſſet, temperandæ a Deo eſſent leges caſtitatis, non iraſcendi, non ſuperbiendi, non ambiendi. Quot ſunt, qui Evangelium exacte ſervant? Mitigandus ne propterea Evangelii rigor? At Evangelica præcepta neceſſitatis: conſilia vero voluntatis ſunt. Bene, & recte. Deſiſte ergo a conſiliis vovendis. Quid hiſcis? Velles conſilia vovere, deinde conſilia vota tuis appetitionibus inflectere? Quot ſunt, qui leges Eccleſiæ, Quadrageſimæ, Feſtorum &c. ſervent? Auferendæ ne propterea leges ipſæ?

XVII. Aperiendæ potius, & ſanandæ contemptæ communitatis radices. Videndum, num Deo vocante, aut rationibus mundanis impellentibus, vota Monaſtica Deo nuncupentur. Vota ne altiſſimæ paupertatis, & perpetuæ caſtitatis ſervarent illi, qui non Dei, ſed Mundi ſpiritu cucullum induerent? Si ſpiritus vocationis deeſſet, qui fieri poſſet, ut tantum jugum ſuſtinerent? Videndum, qualis ſit educatio, qualia Seniorum exempla, qualis inſtructio, & qua doctrina imbuantur juvenes. Fac plurimos ſtatum Clauſtralem amplecti non unico, & ſolo ſalvandarum animarum, & Evangelicæ perfectionis fine aſſequendæ, ſed alia ratione humana: putas ne iſtos obſervaturos paupertatem, etiam mitigatam, & communitatem temperatam? Putas ne fore, ut iſti in Evangelicæ perfectionis ſtudium incumberent? Quid plura? Conſpice, & meditare mores, atque Diſciplinam Conventuum, ubi, pulſa communitate, reapſe paupertas mitigata atque laxata eſt. Sanctior ne illorum Diſciplina? Illibatior ne Caſtitas? Promptior ne Obedientia? Severius ſilentium? Solitudo major? Cæterarum ne legum exactior obſervantia?

XVIII. Cedo. Cur omnes, qui reapſe communitatem ſervant, uno ore facilem ejuſdem obſervantiam teſtantur? Facilem caſtitatem adfirmant caſtitatis cultores. Quid ſi Lutherani difficilem obtruderent caſtitatis cuſtodiam? An non reponeres: Quid infelicia luxuriæ mancipia de caſtitate diſputatis? Quid ergo de communitate diſputant, qui eam non experiuntur? Si quibus jus eſſet reclamandi adverſus nimium communitatis rigorem, ab illis profecto jus ſtaret, qui exactæ communitatis jugum ferunt. Illi omnes ſuave & facile teſtantur jugum illud. Et illi ſoli, qui peculio utuntur, adverſus communitatem calamum acuunt? Quo quæſo jure? Qua lege?

Digitized by Google

ge? Qua æquitate? An duobus Scriptoribus iſtis non quadrat illud Matt. c. 23. *Vos enim non intratis, nec introeuntes ſinitis intrare?*

XIX. Planum ergo, compertumque, nullo modo conducere Monaſticæ paupertatis obſervationi peculii, quamvis moderati, permiſſionem, ſed voto violando viam aperire latiſſimam. Expediret ne caſtitati ſervandæ permiſſio inviſendi mulieres? Laxioris Diſciplinæ Ordines ſeveriſſimas, ut dixi, peculii conditiones præſcripſerunt. Dicant ex animi ſententia, quorum intereſt, ſi revera ſerventur? Experientia clamat. Abuſus hominum, & malitia eſt, inquies, ſi conditiones iſtæ violentur. Abuſus ergo tollendus, non conditiones. Abuſus quoque hominum eſt, quod perfecta communitas non floreat. Ergo eliminandus abuſus, non perfecta communitas auferenda vel temperanda.

XX. Nolo longius diſputationem trahere. Omnes Sanctiſſimi Ordinum Patriarchæ, Pontifices, Concilia ab Apoſtolorum tempore Clauſtralibus perfectam communitatem præceperunt. Millies, dum collapſa fuit, diſputatum de illius inſtauratione. Nunquam, aut aliquis Ordinum Inſtitutor, aut Concilium aliquod Oecumenicum, aut Pontificia Conſtitutio legem perfectæ communitatis hactenus abſolute temperavit. Aliqui Pontifices hujus, aut illius Ordinis Conſtitutiones probarunt, in quibus permittitur peculium *ad breve tempus*, *in modica quantitate*, *ad determinatum uſum*, quia abſque majore malo reprobare id nequiverunt: & quia hæc, aut illa Religio paupertatem Conventuum, non valentium omnia de communi præbere, allegavit. Cæterum nulla Pontificia Conſtitutio, nullum Concilium abſolute peculium unquam, licet circumſcriptum, approbavit. Quin, ut dixi, perfectiſſimam communitatem Canones omnes ubique præcipiunt, & inculcant.

XXI. Nullum aliud remedium, poſt tot ſæcula, ſervandæ, & inſtaurandæ exactæ communitatis, adinvenit Eccleſia, niſi illud, quod præſcripſit Concilium Tridentinum, Clemens VIII., Urbanus VIII. Alexander VII. Innocentius XII. Legas velim iſtorum Conſtitutiones, & Decreta pro induendis, inſtituendiſque juvenibus. Plura dicerem, ſi temporum ratio ferret.

Digitized by Google

INDEX RERUM

Præcipuarum, quæ in hoc Opere continentur. Prior numerus Tomum: alter vero paginam deſignat.

A

ALagona Petrus S. J. Ejus votum circa obligationem Religioſorum ad obſervantiam Regularem. II. 225.

Alexander VII. Pont Max. præcipit Novitios in Ord. Præd. admittendos ad Profeſſionem ſub exacta vita communi. I. 215.

Anania & Saphira puniuntur propter violationem paupertatis, quam voverant. I. 22. &c. & 25. &c. & alibi.

Antiprobabiliſmus MM. Clauſtralis, & Vindicis comparatus cum laxis eorum opinionibus. I. 85. &c. Aut antiprobabiliſmum, aut libros ſuos retractare neceſſario debent. I. 88.

Antiprobabiliſtæ nonnulli ſequuntur in praxi ſententias laxiores. I. 86. &c.

Apoſtoli. In Apoſtolorum Collegio non fuit perfecta rerum communitas juxta Mag. *Vitæ Clauſtralis*. I. 16. Quam ſit erronea hujuſmodi opinatio. I. 18. &c. Quam futilia momenta, quibus eam probare nititur. I. 19. &c. Tum Apoſtoli, tum primi Fideles juxta communem Patrum Theologorumque ſententiam paupertatem voverunt. I. 22. & 23. Omnia penitus ipſis erant communia. I. 26. Eiſdem. Mag. Clauſtralis Therapeutas præponit in obſervantia perfectæ communitatis. I. 30.

S. Auguſtinus. Ejus Regula non omnia conſtituit ſub præcepto. I. 153. &c. Neque tamen ſequitur nihil præcepiſſe. I. 155. & ſeq. Præſcribit communitatem ſervandam a Religioſis ad exemplar communitatis Apoſtolicæ. I. 111. &c. & alibi ſæpe. Et quidem ſub præcepto. I. 148. Quid nomine *vitæ communis* ſignificet. I. 126. Ludrica explicatio hujus vocis facta a Mag. Clauſtrali. I. 125. Etiamſi Auguſtini fœtus genuinus non eſſet, obligat eam profitentes. II. 228.

Auguſtiniani Theologi argumentum in favorem peculii expenſum, & ſolutum. II. 213. &c.

Azorius Joannes cenſet poſt Concilium Trid. Religioſis non licere redditus aut cenſus privatos, etiam de conſenſu Superiorum. II. 60.

B

BAldinucci Philippus O. P. Diſciplinæ Regularis Aſſertor laudatus II. 95.

Barboſa Auguſtinus perperam allegatus in favorem privati peculii. II. 81.

Beda Venerabilis. Lepida Mag. Clauſtralis narratio de quadam ipſius capſella I. 11. Quid ex ea colligat. *ibid.* Ejus verba quam male detorta in præſidium privati peculii Religioſorum. II. 179. &c.

Bellarminus Cardinalis. S. J. vindicatur a calumnia ipſi impacta, quod Regularibus detrahat. II. 216. &c. Ejus liber, *Gemitus Columbæ*, laudatus. *ibid.* Quid ſentiat de obligatione Religioſorum ad obſervantiam regularem, vitamque communem. II. 225. &c.

B. Benedictus Papa XI. O. P. Fruſtra ei peculium affingere tentat Mag. Clauſtralis. II. 145.

Benedictus Papa XIII. O. P. inculcat Fratribus Ord. Præd. uniformitatem in cibis & cellis. I. 52. Vetat iiſdem privatas comeſtiones, & habitationem extra commune dormitorium, etiamſi fuerint Inquiſitores. I. 53. Congregationem S. Sabinæ Provinciæ utriuſque Lombardiæ unit ad hujus reformationem. II. 144.

Benedictus XIV. P. M. in ſuo præclaro

Digitized by Google

claro Opere de Sanct. Canoniz. veluti certam ſupponit legem exactæ communitatis. I. 213. & 217. Ejus Authoritatem perperam in ſuæ Sententiæ præſidium trahit Mag. Clauſtralis. I. 213. & ſeq.

S. Benedicti Regula præcipit exactam rerum omnium communitatem. I. 149. & II. 180.

S. Bernardus Abbas Clareval. quid ſcribat de quibuſdam diſpenſationibus, obtentis etiam a Summo Pontifice. I. 196. Quid reponat his, qui eum tamquam Monachorum calumniatorem traducebant. II. 196.

Bona terrena aut propria, aut communia nec aliud quid mediat. I. 127.

Bragadenus Joannes Epiſc. Veron. commendatus. II. 151.

C

Calvinus Jo: retenta voce liberi arbitrii, rem ipſam negat. II. 9. Fatetur paupertatem Monaſticam juxta Catholicos originem ducere ex conſilio Chriſti *vade & vende &c.* II. 174. Confert veteres Monachos cum recentibus. II. 175.

Canoniſtæ reprobant privatum Monachorum peculium, & obligationem perſectæ communitatis declarant. II. 109. vide etiam totam Diſſert. 4.

Capitula Generalia O.P. non permittunt privata depoſita niſi in *determinata quantitate, ad certum uſum, & ad breve tempus*. I. 72. Declarant Fratres habentes annuos redditus eſſe proprietarios. I. 191. Præcipiunt, ut quæcumque fratrum bona ad uſum communitatis convertantur. I. 192. Quibus conditionibus permittant depoſita. *ibid.* & 193. & II. 120.

Caramuel Joannes ad exactam vitam communem Regulares obligari docet. II. 82.

A Caſali Hyacinthus Ord. Cappuc. fuſe & efficaciter evincit exactæ communitatis præceptum, & peculii prohibitionem. II. 93.

Caſtiglio Ferdinandus oſtendit unde invecta fuerit relaxatio Diſciplinæ Regularis, & perſectæ communitatis. I. 69. &c. Quam arduam cenſeat Regularium reformationem. I. 216.

Caſtropalao Ferdinandus S. J. docet Religioſum Regulas ſuas paſſim violantem ſæpe committere lethale peccatum. I. 60. Tradit Conc. Trid. manifeſto prohibuiſſe Regularibus retentionem bonorum etiam de Prælati licentia II. 87.

Caſuiſtæ nonnulli damnationem propoſitionum vanis diſtinctiunculis non raro eludunt. I. 95.

Clauſtralis, ſeu Conventualis vita. Hoc nomine Hiſtorici O. P. intelligunt vitam relaxatam, & deviam ab Obſervantia Regulari, & perſecta communitate. I. 74. &c. Titulus *Vita Clauſtralis* quam apte congruat libro edito a Mag. Clauſtrali. *ibid.*

Clauſtralis Vitæ Author. Specimen doctrinæ, quæ in ejus Opere continetur, I. 9. &c. & II. 236. &c. Docet in Apoſtolico Collegio perſectam non fuiſſe communitatem. I. 16. &c. privatum peculium in eodem & in primis fidelibus obtinuiſſe. I. 25. & 270. &c. Contendit tanta certitudine demonſtrari peculium jam inde ab Apoſtolis perenni ſeculorum traditione viguiſſe penes Religioſos, quanta demonſtrantur dogmata fidei. I. 28. &c. immo peculium ab ipſo Chriſto fuiſſe commendatum, in Evangelio exaratum, & ſolemni profeſſione Deo nuncupatum. *ibid.* Affirmat numquam ab Eccleſia latum fuiſſe exactæ communitatis præceptum: immo illud veluti fabellam & monſtrum ingens ſibilat, & execratur. I. 31. &c. & 114. D. Dominicum ſuis Fratribus peculium, Auguſtinum vero ſuis Monachis exactam communitatem præſcripſiſſe. I. 33. Concedit ipſis Fratribus mendicantibus tria peculiorum genera, quæ ſatis ſint, præter neceſſarios uſus ad ſolatia, recreationes, ad ſupellectilem etiam argenteam, ad ludos pecuniarios, aliaque ſimilia. I. 37. & ſeq. Aſſerit hujuſmodi peculium tamquam Monaſticæ Sanctitatis fundamentum, & Sacrorum Ordinum propugnaculum. I. 49. Bonorum communionem nihil cum pau-

perta-

pertatis voto habere commune. I. 50. Nec levis peccati reos facit Prælatos, qui vitam communem ſuis Monaſteriis invehere negligunt. I. 51. Conſtituit Obſervantiam Diſciplinæ Regularis in ſola arbitraria indulgentia, aut rigore Prælatorum. I. 52. & ſeq. Craſsa ejus Antilogia. I. 35. Pro nihilo habet Conſtitutiones argentea inſtrumenta Religioſis vetantes. I. 43. &c. Ejus Sententia ſcandali plena: *tolle pecalium, & Religio non eſt Religio, non ſecuritatis portus, non tranquillitatis ſtatio*. I. 49. Quam male ratiocinari ſoleat. I. 91. & 144. &c. & 202. & alibi. Communitatem perperam repræſentat. I. 115. &c. Tradit peculium tueri ac fovere Sanctitatem. I. 130. Quodnam peculium juxta ipſum Sanctitatem foveat. I. 131. Quam inaniter ſæpe triumphet. I. 206. Peregrina ejus doctrina, quod Prælati Regularium non poſſint de eorum peculio diſponere abſque eorumdem aſſenſu. I. 276. per totum caput. Plura exſcribit totidem verbis ex *Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica*. II. 1. & ſeq. Admittit præceptum communitatis, quod alibi negat. II. 18. Comparat ſiſtema exacte communitatis Monaſticæ Vorticibus Cartheſianis &c. II. 19. Futiles interpretationes, quas adhibet Doctrinæ Sancti Thomæ. II. 31. & ſeq. Laudat pro peculio Trithemium, qui aperte refragatur. II. 43. &c. Enormiter interpolat textum P. Raphaelis de Pornaſio. II. 132. & ſeq. Conſectaria abſurda, quæ ex ſua Doctrina derivat. II. 239. &c. Vide plura ſubtitulis *communitas, paupertas, peculium, Magiſtri, aliiſque*.

Clemens Papa VIII. decernit ne juvenes recipiantur niſi in Monaſteriis, ubi rerum communitas, & Regularis obſervantia viget. I. 6. & II. 129. A Mag. Clauſtrali equiti comparatus, qui deſultorios equos dextrorſum inflectit, & ſiniſtrorſum. I. 31. & 241. Præſcribit communitatem a Regularibus ſervandam. I. 112. Specialibus Conſtitutionibus præcipit exactam rerum communitatem Monachis S. Hieronymi I. 207. Celebris ejus Conſtitutio edita an. 1599. pro Regularium reformatione. I. 233. &c. Vana & futilia interpretamenta, ac reſponſa huic Conſtitutioni adhibita a M. M. Vindlce, & Clauſtrali. I. 236. & ſeq. Facultatem adimit omnibus interpretandi, & relaxandi ſua decreta. I. 240. &c.

Clerici S. Vincentii de Paulis, quos *Miſſionarios* vocant, bonorum dominium retinent, abdicato privati peculii uſu. I 281. Eorum comendatio. *ibid.* & 282.

Cœnobia emittendæ Profeſsionis nonniſi teſtimonio jure jurando firmato de obſervantia perfectæ vitæ communis facultatem obtinent recipiendi Novitios. I. 7. & 8. & 243. & 246.

In Cœnobiis collapſæ Diſciplinæ inveniuntur viri Sancti, qui reformationem, & communitatem anhelant. I. 81. Cœnobiorum inopia nequit eſse exactæ cōmunitatis impedimentum. II. 27. &c.

Communitas perfecta, ſive exacta vita communis tamquam fabella, & monſtrum ingens traducitur a Mag. Clauſtrali. I. 51. Quæ ab omnibus Regularibus ſervanda ſit, in eorum Regulis deſcribitur. I. 105. & 115. Notio exactæ communitatis a Regularibus obſervandæ. I. 111. &c. & II. pag. 11. Perperam eam deſcribit Mag. Clauſtralis. I. 115. &c. Plurium Ordinum, & Congregationum exemplum oſtendit, quænam ab omnibus ſit obſervanda. I. 113. Eam vovent, qui vovent paupertatem Monaſticam. I. 134. &c. & 142. & ſeq. Parum tamen refert, quoad obligationem an voti eſsentiam ingrediatur, nec ne. I. 139. & II. 244. & alibi ſæpe. Vi ſaltem graviſſimi præcepti ad eam Regulares obligantur. I. 147. &c. & alibi ſæpe. Sive vi voti, ſive ſolius præcepti præſcripta ſit, licite Regularibus, juſta urgente cauſa, peculium permittitur. I. 146. Eam jurant Regulares pro aſſequenda facultate admittendi Novitios, ad Religionem. I. 249. & ſeq. Nullæ phraſes & formulæ concipi valent iis ſeveriores, & clariores, quibus ea præ-

cipitur

cipitur ab Eccleſia. I. 253. & 257. Commentitia diſtinctio invecta a Mag. Vindice duplicis communitatis, quarum priorem præceptam, alteram ſupererogatoriam vocat. II. 158. Ab Apoſtolis originem ducit. II. 172. &c. Quam facile inſtaurari valeat. II. 127. &c. Falſo opponitur Conventuum inopia, veluti perfectæ communitatis impedimentum. II. 28. & ſeq. Vera impedimenti cauſa aſſignatur. II. 29. Superiores, Magiſtri, & Baccalaurei in cauſa potiſſimum ſunt, cur non vigeat. II. 126. &c. Multi ſunt Religioſorum Ordines, & Congregationes, quæ eam exacte ſervant. I. 280. &c. An expediat exactæ communitatis legem aliquantulum relaxari Sedis Apoſtolicæ Authoritate? II. 254. &c. Vide verbo, *paupertas*, *peculium &c.*

Concilium Tridentinum tria decreta edit circa vitam communem Regularium. I. 180. &c. Peculium cujuſque generis vetat Religioſis. I. 181. Poteſtatem adimit Prælatis illud concedendi. *ibid.* Præcipit eum numerum ad profeſſionem admittendum, qui ex Monaſterii redditibus ali poſſit. I. 182. Illuſtrantur, & vindicantur hæc decreta. I. 182. &c. Quam vanæ ſint interpretationes, & reſponſa M. M. Vindicis & Clauſtralis. I. 186. &c. Eorumdem ſophiſma nixum Conſtitutionibus quorumdam Regularium approbatis poſt Concilium. I. 189. Decernit ſua ſtatuta ſervanda eſse, non obſtantibus Conſtitutionibus etiam juratis. I. 200.

Concilia Provincialia exactam bonorum communionem a Tridentino præſcriptam novis decretis confirmant. I. 218. &c.

Concilium Cameracenſe an. 1565. I. 219. Mediolanenſe 3. anno eodem a S. Carolo celebratum. 220. Mediolanenſe 4. *ibid.* Mechlinienſe an. 1570. 221. Rothomagenſe an. 1581. 222. Rhemenſe an. 1583. 223. Burdigalenſe an. eodem. 225. Mexicanum an. 1589. 226. Cameracenſe an. 1586. 227. Aquilejenſe an. 1596. *ibid.* &c. Audomarenſe an. 1583. 229. Nugatoria reſponſa Mag. Clauſtralis ad hæc Concilia. I, 230. &c. Ejus confeſſione ſaltem ſex, aut ſeptem privatum peculium damnant, ac reprobant. *ibid.* Quantæ authoritatis ſint, quantumque deſerviant ad germanam Decretorum Concilii Tridentini intelligentiam hauriendam. I. 231. & ſeq.

Concionator. Quid hoc nomine apud aliquos veniat. II. 205.

Confirmatio Pontificia alicujus Statuti, vel Conſtitutionis duplex juxta Canoniſtas, altera *in forma communi*, altera *in forma ſpeciali*. I. 198. Quid utraque ſit. *ibidem*. Sacra Congregatio Conc. Trid. interpres definit non licere Regularibus habere annuos redditus, etiam de Superiorum licentia. II. 115. Nec aliquid retinere, niſi præciſa neceſſitas urgeat ad individui ſuſtentationem. II. 117.

Congregatio Cardinalium erecta ab Innocentio XII. pro recipiendo juramento de exacta rerum communitate. I. 246. & 248.

Congregationes in Ord. Præd. inſtitutæ ad Diſciplinam Regularem ſartam tectam cuſtodiendam. II. 142. &c.

Congregatio S. Mariæ Sanitatis O.P. depoſita omnia rejicit, & exactam paupertatis Obſervantiam amplectitur. II. 231. &c. Ejus teſtimonium juratum Sacræ Congregationi exhibitum de perfectæ communitatis obſervantia. II. 232. &c.

Conſtitutiones Ord. Præd. licet non obligent ad culpam, ut plurimum tamen non violantur abſque culpa. I. 58. &c. Frequentia tranſgreſſionum earumdem diſponit ad culpam lethalem. I. 59. Prohibent conceſſionem pecuniarum ad uſus incertos. I. 119. Præcipiunt exactam vitam communem. I. 148. & alibi ſæpe. Quibus conditionibus depoſita permittant. II. 147. &c.

Conſtitutiones Monachorum S. Hieronymi quid præſcribant circa Religioſorum peculia. I. 203. &c. Quoad hoc non fuerunt confirmatæ a Clem. XII. I. 205. &c.

Con-

Digitized by Google

Conradus Jo: Baptiſta tamquam adverſos Conc. Trid. reprobat cenſus, & redditus privatos Religioſorum, etiam accedente Prælati licentia. II. 56.
Conſuetudo apud plures Regulares retinendi annuos redditus non poteſt derogare decretis Apoſtolicis. II. 116.
Cottonius Antonius ſentit peculium pugnare cum voto Monaſticæ paupertatis. II. 88.

D

Depoſitum. Difficilius eſt depoſita ſuis legibus circumſcripta, quam perfectam communitatem ſervare. II. 124. &c. Quibus conditionibus permittantur, ubi non viget perfecta communitas. I. 72. & 192. & 193. & II. 120. Non ſunt approbata ut abſolute licita, ſed permiſsa, & tolerata. I. 260.
Dionyſius Carthuſianus docet conſuetudinem tranſgrediendi conſtitutiones ad culpam non obligantes, a gravi peccato non excuſari. I. 61. Peculium voto paupertatis repugnare. I. 171. & II. 49. Etiamſi accedat Abbatis Licentia. I. 172. & II. 48. inſectatur illud integro opuſculo. I. 178. & II. 48. & ſeq. Rejicit excuſationes peculiarium. II. 50. &c.
Diſciplinæ Regularis obſervantia. Quid de ea ſentiat Mag. Clauſtralis. I. 52. &c. In Prælatorum arbitraria indulgentia non eſt conſtituta; I. 55. &c. Quo maxime tempore relaxata ſit ex graviſſimis hiſtoricis. I. 68. Tota facile corruit ſine perfecta rerum communitate. II. 22. & ſeq.
Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ Author per calumniam poſtulatus quod reos æternæ damnationis faciat omnes collapſæ diſciplinæ Clauſtrales. I. 79. Ab hac calumnia defenditur. *Ibid.* & 80. &c. & II. 13. Impoſturæ ipſi affictæ: quod textus detruncaverit. I. 84. & alibi ſæpe. Quod Tutioriſmum inducat. I. 138. &c. & II. 199. &c. & 249. & alibi ſæpe. Quod *tractatum Vitæ communis* exſcripſerit. II. 185. &c. Quod Regulares omnes infamet. II. 195. &c. Titulus ejus libri ad Criſim injuſte revocatus. II. 170. & ſeq. Cur ita appellatus. II. 172. &c. Brevis eorum, quæ in eo docentur, ſinopſis. II. 191. & 244. &c. Mitior doctrina ibi tradita exeogitari nequit. II. 118. Conſectaria certiſſima hujus Doctrinæ, etiam Adverſariorum confeſſione. II. 247. &c.
Diſpenſatio quid ſit. II. 112. non eſt facienda abſque neceſſitate vel rationabili cauſa. I. 61. Conditiones juſtæ licitæque diſpenſationis. II. 118. Quæ hodie jactantur, diſpenſationes, nullæ ſunt. II. 113. Quo in caſu Prælati Regulares licite diſpenſare valeant in uſu peculii. II. 114. & ſeq. & per totam Diſſertationem. Quid de quibuſdam diſpenſationibus obtentis a Papa ſentiat S. Bernardus. I. 196. & Cardinales Bellarminus, & Toletus. I. 197.
S. Dominicus Patriarcha vindicatur a calumnia, quam ipſi impingit Mag. Clauſtralis. I. 36. Rejicit fundos, redditus, ac cenſus ſuis a Religioſis etiam in communi poſſidendos. I. 65. Paupertatis formam præſcribit ſecundum Regulam S. Auguſtini. II. 137. Quam ſeveram paupertatem amaverit in ſe, & Fratribus ſuis. II. 141. Quænam pro primis Religioſis cubicula præſcripſit. II. 151.
Dominium quid ſit. I. 118.

E

Eccleſiæ Romanæ ſollicitudo in exactæ Monaſticæ communitatis obſervantia promovenda. I. 3. & ſeq. Quam neceſsarium ſit ejus de hac re edita decreta defendere ac vindicare. I. 14. & ſeq. eamdem fere ſollicitudinem adhibuit in inſtauranda exacta rerum communitate, quam in afferendis fidei articulis adverſus, Janſenianos. I. 249. Brevis collectio eorum, quæ præſtitit, pro invehenda perfecta vita communi peculiiſque ablegandis. I. 254. & ſeq.
Eleemoſyna. Eleemoſynæ erogandæ prætextu non ſunt privata peculia a Religioſis retinenda. II. 181.

Ema-

Digitized by Google

Emanuel Rodericus exiſtimat tutum non eſse maxime poſt Conc. Trident. Regulares habere redditus privatos, etiam de Prælatorum permiſſu. II. 59.

F

FAgnanus Proſper fuſe, & erudite pertractat quæſtionem de Religioſorum peculiis. I. 174. Oſtendit etiam ante Tridentinum fuiſse illicita. I. 175. &c. & II. 105. Convellit fundamenta pro parte contraria. I. 175. & 176. &c. Ejus Authoritas magni facienda. II. 104. Tamquam rigoriſta, & Ariſtarchus ſeveriſſimus temere traducitur a Mag. Clauſtrali. II. 105. &c. Cenſet ad Clauſtralium reformationem neceſſarium, facultatem veſtiendi adimere Cœnobiis deformatis. II. 128.

Flamma Qualvaneus O. P. perperam productus a Mag. Clauſtrali pro privato Religioſorum peculio. II. 140. &c.

Formularium præſcriptum ab Innocentio XII. ſubſcribendum a Regularibus, ut valeant ad Monaſticam Profeſſionem juvenes recipere. I. 248. & 249. Puncta in eo contenta, quæ ſub juramento affirmari debent. I. 248. Congregatio Cardinalium inſtituta pro hoc juramento recipiendo. I. 246. & 248. Huic formulario reapſe cum juramento ſubſcribunt Regulares, ut facultatem aſſequantur recipiendi juvenes ad Religionem. I. 248. &c. Cur in Formulario juretur, exactam rerum communitatem vigere in Cœnobiis pro Novitiatibus deſtinatis. I. 250. Quo anno ſolemne hoc juramento exhiberi cæptum eſt. *Ibid.*

G

GAuslinus Bernardinus O. P. Opera & Scriptis ſtrenuus Diſciplinę Regularis aſſertor. II. 92.

Gradus & merita Religioſorum cauſæ legitimæ non ſunt retinendi peculii. I. 114.

Gratianus Hieronymus Carmelita integro opuſculo exponit Decreta Conc. Trident. circa Paupertatis Regularium reformationem. II. 91.

Gravina Dominicus O. P. ejus in reprehendendo Bellarmino exceſſus. II. 217.

Gravina Vincentius irridet modernam quorumdam paupertatem. I. 261.

Gerſonius Jo: tradit, communitatem rerum ſub præcepto præſcribi a Regula S. Auguſtini. I. 170.

Geſualdi Cardinalis ſtudia pro invehenda communitate. II. 221.

H

S Hieronymus refellit Vigilantium paupertatis Monaſticæ votum improbantem, eleemoſynarum prætextu. II. 181.

V. Humbertus O. P. Gener. Mag. ejus de vitæ communis, & paupertate Religioſa gravis ſententia. I. 66. &c. Quomodo intelligat verbum *præcipimus* poſitum in Regula S. Auguſtini. I. 154. &c. Ejus explicatione turpiter abutitur Mag. Clauſtralis. I. 155. &c. Diſerte tradit, exactæ communitatis præceptum contineri in Regula S. Auguſtini. I. 160. &c. Damnat veſtiarium pecunioſum. I. 161. Refellit cavillos omnes nummicolarum. *Ibid.* & 162. &c.

I

S Ignatius S. J. inſtitutor vocat Paupertatem murum firmum Religionum. II. 26. Novo præcepto de nunquam laxunda paupertate Religioſos Societatis adſtringit. II. 27.

Innocentius Papa XI. præcipit correctionem Conſtitutionum, Gloſſarum, & Ordinationum O. P. I. 201.

Innocentius Papa XII. facultatem adimit Clauſtralibus recipiendi Novitios ad habitum ob non obſervatam exactam communitatem. I. 7. & 244. Nullos Conventus erigendo ſtatuit niſi ſub expreſsa obligatione vitæ communis. I. 7. & 243. & 246. &c. Congregationem Cardinalium inſtituit, quæ pro ejus cuſtodia perpetuo invigilet *ibid.* Exigit teſtimonium juratum de obſervantia perfectæ communitatis in Cœnobiis emittendæ profeſſionis. I. 248. &c.

&c. Omnem conſuetudinem exactæ communitati contrariam nullam declarat. I. 245.

Joannes Dominicus Card. O. P. docet, rerum communitatem præcipi a Regula S. Auguſtini. I. 170. Nec eſſe in ſtatu tuto Prælatos, qui eam non promovent. *Ibid.*

Juſtiniani Vincentius Mag. Gen. O. P. vindicatur ab impoſtura ipſi affictа a Mag. Clauſtrali. I. 190. & ſeq.

Juramentum. Vide Verbo *Formularium*.

L

Lairuelz Servatius Abbas Præmonſt. Integrum opus ſcribit adverſus peculia Monaſtica, & in favorem exactæ communitatis. II. 92. Tamquam certum cenſet, in continuo peccato mortali verſari Prælatos, qui Monaſteria ſua non reformant. I. 273.

Layman Paulus S. J. ſentit Concilium Trident. annuos redditus Regularibus omnino interdixiſſe. II. 61.

Laynenſis Donatus agnoſcit præceptum de vita communi in Auguſtini regula contentum. I. 172. & II. 57. illudque a Trid. Conc. fuiſſe confirmatum. II. 58.

Leonardus Leſſius S. J. negat poſt Conc. Trid. Superiores poſſe concedere bona ulla ſtabilia Religioſis. II. 66. & 86.

Lex. Quam hallucinentur, qui ex diſpenſatione a lege, legem inficiantur. II. 84. & alibi ſæpe. Legis relaxatio legem obligantem ſupponit. II. 114. & alibi. Privata comoditas non eſt juſta cauſa relaxandi legem. II. 167.

Lezana Jo: Baptiſta tradit præceptum vitæ communis, & obligationem Prælatorum ad privata peculia removenda. II. 98.

Lopez Ludovicus, & Franciſcus ambo fatentur præceptum latum a Conc. Trident. de exacta rerum communitate. II. 55.

Lupus Chriſtianus docet perfectam unitatem, & communitatem a Regula S. Auguſtini præſcriptam veluti cardinem, ac baſim vitæ Religioſæ. I. 172. & II. 101. Improbat vitales cenſus, aliaque peculia, ut inſtituto Auguſtini repugnantia. II. 102.

M

Magiſtri *Vitæ Clauſtralis*, & *Vindiciarum*. Aberrationes eorum perpetuæ & ſophiſmata, quibus cauſam Monaſticæ communitatis implicant. I. 102. &c. mutuo diffident in deſignanda communitate, cui devincti ſunt Regulares. I. 109. &c. Craſſe hallucinantur in uſu *facti* rerum, & privati peculii explicando. I. 120. & in allegandis pro peculio Theologis, & Canoniſtis. II. 39. &c. per totam fere diſſertationem. Singularia reſponſa, quæ adhibent ad Regulas Monachales communitatem præcipientes. I. 150. &c. Ex eo, quod Regulæ omnia non præcipiant, inferunt nihil præcipere. I. 173. Aut negare debent Eccleſiam poſſe præcipere vitam communem peculii expertem, aut fateri coguntur illam reapſe præcepiſſe. I. 253. & ſeq. Peculia, quæ ab ipſis defenduntur, alia ſunt ab iis, quæ obtinent apud Clauſtrales. I. 259. &c. Vi decretorum Conc. Trid. & Apoſtolicarum Conſtitutionum omni gradu, & officio privati ſunt. I. 95. Sophiſmata, quibus cavillantur voces *communitatis*, *proprii*, & *peculii*, *neceſſarii*, & *ſuperflui*. II. 10. & ſeq. Eorum opiniones aperte adverſantur doctrinæ S. Thomæ. II. 30. &c. per totum caput. Pœnas contra oppugnatores doctrinæ S. Thomæ præſcriptas ſibi jure promeriti ſunt. II. 37. &c. Falſo imponunt Authori Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticę, quod textus Theologorum falſaverit, vel truncaverit. II. 39. & ſeq. per totam diſſert. A ſtatu quęſtionis, quam verſant, perpetuo aberrant. II. 42. & ſeq. & 54. &c. Eorum libri plurium malorum fontes. II. 149. Corpus Doctrinæ laxæ circa paupertatem, quam uterque propugnat. II. 335. & ſeq. Vide plura ſub titulis *Clauſtralis*, *Vindiciæ*, *communitas*, *paupertas*, *peculium* aliiſque.

S. Maria Magdalena de Pazzis vidit in Spiritu animarum ingentem multitudinem

dinem ad inferna deſcendere ob violatam paupertatem. II. 110.

Maſtrius Bartholomæus a Mag. Vindice falſo citatus ut Monaſtici peculii defenſor. II. 56. Non modo docet vitam communem ab Eccleſia graviſſime præcipi, ſed teſtatur etiam hanc eſſe communem Doctorum ſententiam. *ibid.* & 57. In Superiorum culpam cauſam refundit, cur exacta communitas non introducatur. II. 126.

Mattheucci Auguſtinus negat poſt Conc. Trid. Superiores Regularium poſſe iiſdem concedere annuos redditus etiam ad uſus licitos, & ex juſta cauſa. II. 90.

Mendicantium Fratrum paupertas perfectior debet eſſe paupertate mendiculorum. I. 41. &c. Multa his habere concedit Mag. Clauſtralis, quæ paupertati repugnant. I. 39. & ſeq. Ludos pecuniarios tum intra, tum extra Monaſterium perperam ipſis licitos facit. I. 45. &c. Vide Verbo, *Regulares*, *communitas*; peculium &c.

Multitudo peccantium neminem excuſat. I. 84. & 282. &c.

N

NAvarrus Martinus admittit præceptum exactæ vitæ communis. II. 77. &c. Docet peccare tum Prælatos negligentes reformare laxatam paupertatis legem, tum ſubditos reformationi reſiſtentes. II. 78.

Nazarius Paulus O. P. cenſet pravum habitum tranſgrediendi Conſtitutiones propriæ Religionis non eſſe immunem a gravi culpa. I. 60.

Neceſſitas involuntaria excuſat a legis obſervantia, ſecus voluntaria. I. 105. Voluntaria & ficta eſt illa, quam obtrudit major Clauſtralium pars pro retinendo peculio. II. 118. Vera & involuntaria triplex, extrema, gravis, & communis. II. 119. Communis licitum non reddit peculium. *ibid.*

Nyder Joannes O. P. ſophiſma diluit, quod plures laxi Clauſtrales opponunt, nixum exemplo Patrum ſuorum. I. 83. Invehitur in peculia privata veluti in omnium flagitiorum fontes. II. 164. &c.

O

OBedientiæ votum corruat neceſſe eſt, ſublata rerum exacta communitate. II. 20. &c.

Olmeda Sebaſtianus O. P. cui tempori, & cauſæ illiget originem collapſæ inter Regulares perfectæ communitatis, & relaxationis Diſciplinæ. I. 69.

Opinio probabilis cenſeri non debet, ex eo quod ab Eccleſia damnata aut rejecta non eſt. I. 90.

Ordo Fratrum Prædicatorum confirmatus a Sede Apoſtolica ſub Regula S. Auguſtini. II. 138.

P

SS. Patriarchæ Regularum Monachalium inſtitutores ſelegerunt rerum communitatem a S. Luca deſcriptam tamquam exemplar paupertatis, quam ſub voto obſervandam proponunt. I. 23. Omnes eam præcipiunt. II. 252. Nec eam non præcipere potuerunt poſito fine ſibi præſtituto. II. 25. & 255. Nemo eorum paupertatem mitigavit. II. 253. Quin immo poſteriores magis arctam ac ſeveram præſcribunt. II. 253. & 254.

Paulus Papa III. Congregationem Cardinalium, & Epiſcoporum inſtituit pro Eccleſ. reformatione. I. 3. Quodnam remedium ipſi Congregatio ſuggeſſit pro reformatione Clauſtralium. I. 5.

Paulus Papa V. confirmat Decreta Conc. Trid. & Clementis VIII. circa vitam communem, & Regularem obſervantiam. I. 6.

Paupertas. Neceſſitas graviſſima proſcribendi laxas propoſitiones in materia paupertatis Monaſticæ. I. 89. &c. Quænam propoſitiones cenſura dignæ videantur. I. 91. &c. Regulares voventes paupertatem Monaſticam vovent exactam communitatem peculio vacuam. I. 134. &c. Si peculium abſolute paupertatis voto non repugnat, nullum vel ditiſſimum eidem repugnare poteſt. I. 266. &c. & II. 242.

Paupertatis votum generatim acceptum plures gradus excipit. I. 134. & II.

II. 252. & Regulares, qui ſincero animo parati non ſunt ad reſignanda peculia, ſunt violatores voti paupertatis. II. 15. Etiam in Cœnobiis laxioris Diſciplinæ hujuſmodi votum valet obſervari. *Ibid.* Si abſque exacta communitate conſiſtere poſset, imprudenter S.S. Patriarchæ, Concilia & Pontifices eam præcepiſsent. II. 26. Relaxari nequit abſque Evangelicæ perfectionis præjudicio. II. 255. &c.

Peculium quid ſit. I. 127. & II. 11. Commentitia origo, quam ipſi tribuit Mag. Clauſtralis. I. 21. Poſt Concil. Trid. non poteſt eſſe Religioſis neceſſarium. I. 28. &c. Epocha peculii invecti in Ordines Mendicantium. I. 130. Nihil in univerſo jure canonico tanta evidentia reprobatur, quam peculium Monaſticum. I. 252. Si nulla lege prohiberetur, illud ex genio Prælatus concedere poſſet. I. 104. & 268. & 272. Quo pacto definiatur a Mag. Clauſtrali. I. 130. Quibus conditionibus illud licitum faciant Theologi. I. 133. Non repugnat voto Paupertatis *ut ſic*, ſed circumſcripto præceptis Regularum, & legibus Eccleſiæ. I. 135. Proprietatis labe ſemper infectum eſt, niſi Religioſi ſincere parati ſint ad illud dimittendum. I. 273. Quæ in praxi vigent, peculia, damnantur a Conſtitutionibus omnium Regularium. I. 190. & II. 147. &c. Diverſa ſunt ab iis, quæ defenduntur a M.M. Clauſtrali, ac Vindice. I. 160. Sunt relaxationis Diſciplinæ Regularis potiſſima origo. II. 24. Ingerunt ſollicitudines, & anxietates. II. 37. Licita non evadunt, eo quod retineantur ex Prælatorum venia. II. 113. &c. Quodnam peculium, neceſſitate urgente Prælati permittere, & ſubditi retinere, valeant. II. 116. &c. Laxa & erronea circa hoc Mag. Clauſtralis doctrina. II. 119. Conditiones, quibus licitus peculii uſus circumſcribi debet. II. 120. & 147. Si abſolute licitum foret, quacumque in quantitate retineri poſſet. II. 243. Abſurda alia, quæ inde conſequuntur. II. 243. An expediens ſit Authoritate Sedis Apoſtolicæ peculium aliquod Regularibus concedere. II. 254. &c. per totum. Vide etiam verbo, *paupertas*, *communitas*. *Mag. Clauſtralis*, *M. Vindex &c.*

Pelizzarius Franciſcus docet non eſſe in bono ſtatu Prælatos communitatem inducere omittentes, & ſubditos reluctantes. II. 83.

Pencini Innocentius O. P. aſſerit, Depoſita Religioſorum permitti a Capitulis Generalibus ad duritiem cordis. I. 194. Ea ſolum licita credit, cum Conventus neceſſaria non porrigit. II. 99.

Perfectio Evangelica exigit paupertatem non ſolum habitualem, ſed etiam actualem. II. 32. & 178. Ei non repugnant poſſeſſiones in communi. II. 179.

Petra Cardinalis ab impoſtura Mag. Clauſtralis vindicatus. I. 209. & ſeq. Docet tum antiquo tum novo jure vetitum eſſe Regularibus privatum peculium. I. 210. & II. 106. Negat Regulares habere poſſe annuos redditus etiam de Superiorum licentia. II. 115. Et aliquid retinere, niſi urgeat vitam ſuſtentandi neceſſitas. II. 116. &c.

D. Petrus a S. Audomaro. Gravis ejus ſententia adverſum Monachos peculium retinentes. I. 275.

De Peyrinis Laurentius affirmat, mortaliter peccare Prælatos ſubditis neceſſaria non præbentes, & ſubditos dantes cauſam peculiis. II. 65.

Philippus a Domina noſtra Septem dolorum Auguſt. Diſcal. adſtruit præceptum exactæ vitæ communis. II. 100. Peculium duntaxat excuſat in caſu neceſſitatis. II. 101.

Plagium quid ſit, & quotuplex. II. 189. Quinam vere Plagiarii cenſendi ſint. *ibidem*. Quam gravis injuria ſit Plagii crimen imponere. II. 192. &c. Quam Græculis quibuſdam familiare. II. 193. &c. Plagia abortiva Mag. Vitæ Clauſtralis. II. 2. & ſeq.

Pontas Joannes negat poſt Concil. Trid. licitum eſſe Prælatis concedere Religioſis uſum, & poſſeſſionem alicujus rei ſtabilis. II. 62.

Pornaſius Raphael O. P. turpiter interpo-

terpolatus a M. Clauſtrali. II. 134. Admittit præceptum exactæ vitæ communis. II. 134. &c. Iis tantum peculium concedit, quibus de communi non providetur. *ibid.* & 152.

Poteſtas Fælix aſſerit Regulares non poſſe habere peculium etiam de licentia Prælati: II. 87. Illud ſolum concedit ad neceſſitatem levandam. II. 88.

Præceptum. Nova & feſtiva diſtinctio præcepti *largi* & *ſtricti* inventa a Mag. *Vitæ Clauſtralis*. I. 174. & II. 237. & 240.

Prælati Regularium non poſſunt ad libitum diſpenſare in Conſtitutionibus ſui Ordinis. I. 61. &c. Graviter peccant, ſi Religioſis neceſſaria non diſtribuant. I. 102. & II. 246. Etſi aliquam Conſtitutionem in deſuetudinem abire ſinant. II. 113. Non poſſunt ex arbitrio peculium Religioſis concedere. I. 103. & II. 245. Tenentur ſub gravi culpa curare ut Cœnobia ad exactæ communitatis formam redigantur. I. 273. & II. 16. Tali obligatione non urgerentur, ſi exacta communitas præcepta nequaquam foret. I. 272. Juſti limites, quibus circumſcripta eſt eorum Poteſtas. II. 113. &c. Sunt puri Economi & Diſpenſatores communium bonorum Monaſterii. II. 114. Quo in caſu cum ſubditis diſpenſare valeant in uſu peculii. II. 114. &c. & 245. &c. Non poſſunt ipſis concedere cenſus vitalitios, aut annuos redditus. *Ibidem*. In cauſa potiſſimum ſunt, cur non vigeat exacta rerum communitas. II. 125. Vide etiam verbo, *peculium*, *paupertas*, *communitas* &c.

Profeſſio Religioſa involvit contractum mutuum inter Religionem, & Religioſum. I. 101. & alibi ſæpe. Quid ex eo conſequatur. *Ibidem*.

Promptitudo, quam plures jactant, dimittendi peculia ad Prælatorum nutum, ludicra, & fictitia eſt. I. 105. &c. & alibi.

Proprium, & peculium pro eodem habentur apud Concilia, & Canoniſtas. I. 126. &c. Non eſt res genere ſuo mala. I. 128. Aliud Dominii, aliud adminiſtrationis. I. 129. Vide verbo *peculium*, *communitas* &c.

Provincia utriuſque Lombardiæ O. P. Unde ejus initium. II. 144.

Puccini Vincentius inſignem tractatum edit de *proprietate* & *peculio* Regularium. II. 93.

R

RAmirez Franciſcus Archiep. Brunduſinus O.P. integro opuſculo inſectatur peculium Monaſticum. II. 66. & II. 95. Defendit, exactam vitam communem a Conc. Trid. fuiſſe præceptam. II. 67. Peculiariſtarum excuſationes explodit. *ibidem*, & 68. &c. Quam falſo querantur M. M. Clauſtralis, & Vindex ejus textus fuiſſe depravatos, *ibid.* & 69.

Reformatio. Congregatio inſtituta a Paulo Papa III. pro Eccleſiæ reformatione. I. 3. Decreta edita a Conc. Trid. pro reformatione Regularium. I. 180. Quam facile ea introduci valeant. II. 127. &c. Quodnam magis aptum, ac ſalutare remedium ad eam obtinendam. II. 128. &c.

Regulares. Qui communitatem, & reformationem recuſant, in damnationis æternæ periculo verſantur. I. 80. & 102. & II. 16. Tenentur ſub gravi culpa ita vivere, ut nullum præjudicium inferant ſuæ Religioni. I. 60. Vovent Paupertatem, quæ in eorum Regulis deſcribitur. I. 135. &c. Inexcuſabiles ſunt, dum reformationi reſiſtunt. I. 130. Qui peculium ob ſolam neceſſitatem retinent, excuſantur a culpa. II. 15. Quid agere debeant, qui reperiuntur in Monaſteriis deformatis, ut votum paupertatis obſervent. II. 121. &c. & 241. &c. Vide verbo *Prælati*, *paupertas*, *peculium*, *communitas* &c.

Regulæ Monachales omnes imponunt communem vitam ſub præcepto. I. 148. &c. Quam infeliciter eas eludere conentur M. M. Vindex, & Clauſtralis. I. 150. &c. Auguſtiniana & Benedictina qua ſeveritate prohibent proprietatem, eadem præcipiunt communitatem. I. 136. & II. 18.

Reli-

Religio, & Religioſi. Vide *Regulares*, *Prælati*, *peculium*, *paupertas*, *communitas &c.*

Reinfeſtuel Anacletus nulli, niſi Conventus Officialibus, peculium licitum eſſe concedit. II. 150. &c.

Rigoriſmus injuria impactus Authori Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ. I. 76. &c. & II. 199.

S

S. Franciſcus Saleſius perperam adductus in favorem privati peculii. II. 71. &c.

Sanchez Thomas docet peccare Prælatos non inducentes communitatem, & ſubditos huic reſiſtentes. II. 81.

Du Sault Jo: Paulus non favet peculiariſtis. II. 74. &c. Ejus textus mutilatus a Mag. Clauſtrali. *Ibidem*. Exiſtimat periculi plenum eſſe livellorum uſum. *ibidem*, & 75. Quibus conditionibus ea permittat in Cœnobiis, ubi non viget perfecta communitas. *ibid. & 76.*

Sylveſter Prieras cenſet Prælatos non promoventes communitatem, & Religioſos reſiſtentes eſſe in malo ſtatu. II. 54

Silvius Franciſcus ſentit Trid. Conc. prohibuiſſe Regularibus redditus vitalitios etiam dependenter a voluntate Superioris. II. 61.

Siri Jo: O. P. agnoſci obligationem Regularium ad exactam vitam communem. II. 98.

Societas Jeſu. Qui in Societate emittunt tria vota ſimplicia, veri Religioſi dici debent. I. 123. Vindicantur a commento Mag. Clauſtralis. I. 122. &c. Falſo affingitur Authori, quod eam laceſſiverit in aliis ſuis libris. I. 124.

Spirituum fortium duplex genus. II. 202. & ſeq. Ambo deſcribuntur. 203. &c.

Suarez Franciſcus S. J. docet Religioſos vovere paupertatem juxta Regulas peculiares propriæ Religionis. II. 62. Improbat tamquam illicitum privatum peculium, etiam de licentia Superioris, præſertim poſt Conc. Trid. II. 63. Solvit ſophiſma, quo diſtinctione *uſus, & dominii* excuſari ſolet. II. 64. Contendit Religioſos degentes in Cœnobiis relaxatis, eo tendere debere, ubi Regula obſervatur. II. 122. &c.

Supellex argentea omnino dedecet Religioſos, maximeque Mendicantes. I. 40. &c.

T

Tamburinus Aſcanius admittit præceptum exactæ vitæ communis. II. 83.

Terillus Antonius S. J. quid ſcribat de praxi, & moribus Antiprobabiliſtarum. I. 86.

Theologi, qui ante & poſt Concilium Trident. de Religioſorum peculio ſcripſerunt, illud reprobant, ac damnant, I. 177. &c. & per totam Diſſert. 4. Nemo, qui ex profeſſo quæſtionem de illo pertractavit, cenſuit eſſe licitum. I. 179. & per totum Caput 8. Diſſertationis 4. Communiter ſentiunt Religioſum degentem in Cœnobiis, ubi Diſciplina Regularis collapſa eſt, ad reformata Cœnobia tranſire debere. II. 123.

Therapeutis Mag. Clauſtralis tribuit obſervantiam perfectæ Vitæ communis, quam denegat Apoſtolis, primiſque Fidelibus a S. Luca deſcriptis, cæteriſque omnibus Monachis. I. 30.

S. Thereſia aſſerit graviſſima in Eccleſiam mala, & flagella derivari ex Religioſorum relaxatione. II. 110. &c.

S. Thomas Aquinas docet privatum peculium repugnare perfectioni Religionis. II. 30. &c. Non autem poſſeſſiones in communi. II. 35. Refutat illorum errorem, qui prætextu eleemoſynæ paupertatem Monaſticam improbabant. II. 181. & ſeq. Commentitium peculium ipſi affictum a Mag. Vindice. II. 209. & ſeq.

Thomas a Jeſu Carmel. Excal. eximium ejus opus, *Speculum Religioſorum* commendatur. II. 96. Ejus ſententia de lege exactæ communitatis, & obligatione Prælatorum ad eam inducendam. 97.

Thomaſſinus Lud. fruſtra in præſidium privati peculii adſcitus. I. 22. Diſerte adſtruit obligationem perfectæ vitæ communis. II. 102. &c.

Tractatus, de *vita communi Religioſorum* editus lingua Italica a Michaele Hercule, approbatus a præcipuis Ordinum Regularium Prælatis. II. 94. & 185. Et etiam a Summo Pontifice Innocentio XII. II. 187.

Traditio. Ludicra traditio pecuniaria, quam Mag. Clauſtralis obtrudit. I. 10. & ſeq. Manifeſtæ falſitatis convincitur. II. 142.

Trithemius Joannes peculium Monachorum damnat. I. 171. & 178. & II. 43. & ſeq. Negat in arbitrio Abbatis eſſe cum Monacho de peculio diſpenſare. II. 44. &c. Excuſationes Prælatorum & Monachorum refellit. II. 45. &c.

Turrecremata Card. O. P. tradit in Regula S. Benedicti quædam eſſe præcepta, quædam non. I. 156. Quam male ex hoc inferant M. M. Clauſtralis, & Vindex ipſum negaſſe præceptum vitæ communis. I. 157. Mala eorumdem fides in allegand a ejus Anthoritate. I. 165. Gravi præcepto ad exactam rerum communitatem adſtrictos eſse Regulares apertiſſime docet. I. 165. & ſeq. Cenſet Religioſos degentes in Conventibus, ubi ſerpunt peculia, eo tendere debere, ubi exacta communitas obſervatur. I. 167. &c.

V

VAlentia Gregorius S. J. Aſſerit Religioſos non agentes vitam communem eſse in malo ſtatu. II. 85.

Vaneſpem Zegerus Bernardus, præ cæteris Canoniſtis, peculii Monaſtici cauſam diſcutit, illudque proprietatis vitio infectum oſtendit. II. 107.

Vaſquez Gabriel omne genus peculii a Conc. Trid. prohibitum tradit. II. 85.

Ventura Presbiter Venetus a Mag. Clauſtrali injuria laceſſitus. II. 150.

Vindiciarum Regularium Magiſter calumniam appingit Authori *Diſciplinæ* Apoſtolico-Monaſticæ. I. 138. Fatetur communitatem a S. Luca deſcriptam peculii fuiſse expertem. I. 269. Negat hanc paupertatis formam Regulares profiteri. I. 269. & II. 25. Limitat peculii uſum conditionibus, quæ in praxi non ſervantur. I. 262. &c. Antilogiæ, quibus ſeipſum conficit. I. 263. &c. Cauſam, quam propugnat, penitus deſtruit. I. 265. &c. Falſa ejus Theoremata. II. 30. &c. Sinopſis doctrinæ quam tradit in libro Vindiciarum. II. 155. Duplex peculium Fratribus Mendicantibus concedit, Depoſitum, & Cenſum vitalitium. *Ibid.* & 159. Hoc neceſsarium affirmat ad charitatem accendendam, bonum divinius ſervandum, & fovendam Regularium pacem. II. 160. & ſeq. Quam erronea ſit ejus doctrina. II. 166. &c. Duplicem diſtinguit bonorum communionem, alteram *Regularem*, alteram *Apoſtolicam*. II. 158. Peculium permittendum abnuit Diſcolis, & Otioſis, quod ſummo jure concedendum putat Studioſis. II. 167. Negat Monaſticam paupertatem originem trahere ab Apoſtolis. II. 173. Videtur in hoc accedere ad Calvini Sententiam. II. 174. &c. Flocci facit veterum Patrum Regulas, & Statuta circa exactam vitam communem. II. 176. Ejuſdem çonditionis facit Laicos, & Monachos in uſu peculii. II. 177. &c. Vigilantii argumentum in favorem Monaſtici peculii profert. II. 181. Semetipſum læſum, & offenſum ab Authore *Diſciplinæ Monaſticæ* injuria queritur. II. 199. Quæ de reformatis Cęnobiis evulget. II. 218. &c. Ejus Dialecticæ ſpecimen. II. 223. & 227. &c. Nonnulla ejus errata curſim indicata. II. 223. & 224. Vide Verbo, *Magiſtri, communitas, peculium &c.*

Viri Sancti inter Regulares peculium non habuerunt, niſi ob neceſſariam ſuſtentationem. I. 105. Sophiſma, quod inde ab aliquibus conficitur. I. 105. Nihil omiſerunt, quo perfectam communitatem inveherent. I. 214.

Vitæ Sanctitas reſpondere debet Sanctitati doctrinæ. I. 88.

Voluntas perfecta non eſt, quæ opportunitate data non operatur. I. 273. &c. Ludrica, & fictitia eſt, quam plures Regulares jactant dimittendi peculia ad Superiorum nutum. I. 275. &c.

Votum, cujus materia latitudinem,

&

& gradus habet, circumſcribi debet ab animo voventis. I. 135. & 143. Votum paupertatis, *ut ſic*, in abdicatione Dominii ſitum eſt. 137. Quid ſequatur ex hac diffinitione recte explicata. *ibid.* Vota Monaſtiea ſubſiſtere vix poſſunt, ſublata rerum perfecta communitate. II. 22. &c.

Urbanus Papa VIII. confirmat Decretum Clementis VIII. de exacta rerum communitate. I. 242. Quam incredibili confidentia id negatur a Mag. Clauſtralis. *ibid.*

Uſusfructus, & uſus quid ſint. I. 118. Uſus duplex, juris, & facti. Uterque explicatur. I. 118. &c. Uſus certus, & incertus, revocabilis, & irrevocabilis quid ſint. I. 119. Revocabilitas uſus eſt de eſſentia paupertatis Monaſticæ. I. 119. Uſus *facti* rerum, quę de communi conferuntur, diſtinguitur ab uſu *facti* peculii privati. I. 120. Plus nocet uſus ſine dominio, quam dominium ſine uſu. I. 121. &c. Regulares, dum abdicant dominium peculii, conſequenter abdicant uſum. I. 122.

X

Xaviere Hieroymus Mag. Gen. O.P. Fabella de ipſo conficta. I. 239. &c.

ERRATA. CORRIGE. ERRATA. CORRIGE.

Præcipua, quæ irrepſerunt.

Tomi prioris

Pag.	Lin.	Errata	Corrige
Pag. 15.	Lin. 20.	Hæ	Hæc
25.	2.	jeſtius	iſtius
29.	2.	hac	hunc
	31.	debere	deberet
31.	10.	alioſque	aliique
30.	1.	eſſent	eſſet
	21.	in hoc	in hac
	8.	exaratu	exaratum
49.	26.	nequeat	queat
57.	15.	quæ polleat	qua polleat
58.	20.	defenſurum fore.	defendenda
	22.	ſuas	tuas
71.	18.	in ſua	in ſuo
72.	27.	Alvarus, Pelagius	Alvarus Pelagius.
80.	19.	a peccatum	ad peccatum
84.	1.	Alvanus	Alvarus
87.	28.	pondus, & pundus	pondus, & pondus
90.	25.	docet	docent
121.	1.	*Dionyſii*	*Dominii*
159.	20.	ecunda	ſecunda
245.	12.	domuinio	domino

Tomi poſterioris

Pag.	Lin.	Errata	Corrige
Pag. 12.	Lin. 20.	ne decipis	ne decipi ſe
13.	5.	Author	Author, manifeſtant.
24.	21.	veſtiaruim	veſtiarium
27.	10.	qua	quæ
28.	8.	erum	eorum
29.	16.	ſubducuntur	ſubducantur
	25.	redditum	reddituum
43.	29.	impoſtura	impoſturam
77.	16.	Concilius	Concilii
82.	28.	antilogia	antilogias
86.	19.	producantur	producuntur
119.	29.	ultimas	ultimos
131.	20.	mitiſſimis	mitiſſimus
139.	15.	fidem ſumma	fide ſumma
141.	10.	habentur	recordentur
	26.	Benedictus XII.	Benedictus XIII.
144.	30.	male mentis	male meritus
	32.	optime meritus	optime merita.
146.	16.	voluntaria	involuntaria
150.	25.	quidem	quidam
155.	24.	laxam	laxa
161.	15.	excepit	excipit.
161.	15.	communem	commune
164.	28.	cantinelam	cantilenam
172.	10.	regulatium	regularum
	15.	inquiet, ne	inquietne
176.	14.	pateant	pateat
192.	29.	oſtendit	oſtendi.

IN CENSURA.

Pag.	Lin.	Errata	Corrige
Pag. 1.	Lin. 1.	Cenſura in Cecſuram	Cenſura in Cenſuram
2.	17.	convulſæ	convulſæ
4.	22.	iſequi	ſequi

IN ANIMADVERS. THEOLOG.

Pag.	Lin.	Errata	Corrige
Pag. 14.	Lin. 27.	exactæ	exactè
16.	27.	Thomaſſinil	Tomaſſini
24.	28.	ſuam doctrinam	ſua doctrina

CEN-

CENSURA IN CECSURAM
THEOLOGICAM
LIBRI, CUI TITULUS:
F. DANIELIS CONCINA
Ord. Præd. Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica &c.

Cenſura.

NEmo eſt in Hiſtoria Eccleſiaſtica hoſpes adeo & peregrinus, qui ignoret quas turbas, ac diſſidia in Eccleſia excitaverit ſeculo XIV. controverſia orta inter Fratres Minores de Paupertate Religioſa, in duas partes ita diviſis, & ſciſſis iiſdem Fratribus, ut Joannes XXII. cauſam ad ſe avocare debuerit, ut controverſiam Apoſtolico Diplomate dirimeret: cui tamen non aquieſcentibus Miniſtro Generali, aliiſque Minoritis, alteram Conſtitutionem Pontifex edere debuit, qua ab omnibus tanquam hæreticos vitari juſſit eos, qui verbo, vel ſcripto proſcriptam a ſe Doctrinam circa Chriſti, & Apoſtolorum Paupertatem defendere, vel approbare præſumerent. Harum turbarum, & diſſidiorum cauſam ſi quæras,

Cenſura in Cenſuram.

§. I.

NIhil ſane aptius, atque validius adducere Magiſter Theologus poterat *Fraticellorum* Hæreſi, cui ſuam ſuperſtrueret cenſuram *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ* P. F. Danielis Concinæ, Negabant *Fraticelli* licitum peculium. Concedendum igitur iſtud. Numquam jurandum effutiebant *Fraticelli*. Ergo continenter jurandum, ne ulla cum iiſdem conventio appareat. Inficiabantur *Fraticelli* Sacerdotes aliquo inquinatos flagitio Sacramenta perficere. Ergo ſuis ſe noxis purgare minime debent Sacerdotes, quum ad conficienda, conferendaque Sacramenta accedunt, ut longius a *Fraticellis* abeant. Negabant demum, ut alia præteream, *Fraticelli* danda munera graduum Collatoribus. Ergo ut hic *Fraticellorum* imma-

ras, non alia occurret, quam immoderatus, ac rigidior quorundam Minoritarum Theologorum zelus, quo abrepti, atque in tranſverſum acti docuerant, Paupertatem Fratrum Minorum majoris eſſe perfectionis, quam aliorum Mendicantium; propterea quod abdicato omni dominio, ſolum ſibi quorumlibet rerum uſum exemplo Chriſti reſervarent. Eo exemplo magnopere verendum eſt, ne etiam hoc ſæculo, ſimilemque prorſus ob cauſam, graviſſima inter Regulares Theologos excitentur diſſidia: quandoquidem immoderato, atque imprudenti reformationis ſtudio, atque paupertatis nimis arctandæ zelo F. Daniel Concina Ord. Præd. claſſicum cecinit, atque omnium fere Ordinum Regularium Theologos, quos damnandæ laxitatis reos per injuriam traducit in prælaudato Opere, ad bellum vocavit.

I.

CApite 2. & 3. primæ Differt. F. Daniel Concina quaſi novus Iſmael manum conſerit adverſus omnes Theologos, & Canoniſtas, communem, quam illi tradunt, Paupertatis Religioſæ notionem exufflans, atque rejiciens. *Cum Theologi*, inquit, *tum Cano-*

immanis error fortius corrigatur, ſolvenda pro Magiſterii laureis tributa aurea. Huc recidit Magiſtri Theologi argumentatio. Relaxanda vota, conculcandæ Eccleſiæ leges, quæ peculium ſeveriſſime prohibent, ne reviviſcat *Fraticellorum* Hæreſis. Hæc eſt puerilis quorumdam noſtri temporis aſtutia: minari diſſidia, rumuſculos ferere, bella & jurgia inter Theologos futura portendere, ut veritate pulſa, innocentia oppreſſa, error, laxitas, morumque diſſolutiones in extremam Eccleſiæ perniciem graſſentur. Dedignabar vel reponere verbum ad hujuſmodi Cenſuras, verius dixerim, putidas calumnias, quod jam ſint in univerſo hoc Opere penitus convulſæ. Verum, ut impoſterum pudeat Theologum, cujus nomini parco, fabellas, & impoſturas evulgare, pauca ex iis, quæ jam dicta ſunt, iſthuc tranſcribere lubet.

§. II.

Cenſura in Cenſuram primam.

NIhil frequentius F. Daniel in ſua *Diſciplina Monaſtica* inculcat, quam communem omnium Theologorum, & Canoniſtarum ſententiam de Paupertatis voto ſe propugnare. Eorumdem textus in medium affert. Periodum, quam objicit Magiſter Theologus,

Canoniſtæ communiter in contrariam eunt Sententiam ut ſuperiori capite indicavi ipſe, nec nunc inficias eo. Cap. 3. pag. 8. n. 1.

CENSURA.

Doctiſſimus M. Cano de locis Theol. lib. 8. Cap. 4. Concl. 3. *Concordem*, inquit, *omnium Theologorum Scholæ de Fide aut moribus Sententiam contradicere, ſi hæreſis non eſt, at hæreſi proximum eſt*. Igitur Authore Cano doctrina, & propoſitio Concinæ ſuperius allata, qua ipſe aperte, & perfricte fatetur, ſententiam ſuam adverſari communi non Theologorum ſolum, ſed etiam Canoniſtarum ſententiæ, eſſet vel hæretica, vel hæreſi proxima. Ut minus tamen eſt temeraria.

Eſt præterea novitatis, & rigoriſmi inductiva, ut per ſe liquet. Sed quod caput eſt manifeſte ſavet propoſitioni tertiæ damnatæ ab Alexandro VIII. *non licet ſequi opinionem vel inter probabiles probabiliſſimam.* Quid enim magis probabile, quam quod tradunt omnes Theologi, & Canoniſtæ, qui ſcripſere etiam poſt Tridentinum, & Decreta Clement. VIII. circa Regulares? At in ſententia Concinæ non licet ſequi eorum opinionem in materia Voti Paupertatis: ergo non licet ſequi opinionem probabiliſſimam.

Quæ Cenſura cadit in univerſum Authoris ſyſtema, quod Theologis, &c.

logus, inſigni fraude detruncavit. Legatur integrum illud *Caput* 3. *Diſs.* 1. *pag.* 8. & tum qualis ſit Thologi ſinceritas apparebit. Sapientis Magiſtri Cano Authoritatem obtrudit Magiſter Theologus. Sed quodnam illi cum Cano comercium, ſi ejuſdem doctrinam penitus ignorat? Aliud eſt doctrinam novam, aliud rationem novam in antiquæ, communiſque confirmationem promere. Primum cum Cano damnamus: alterum cum Cano probamus omnes. Vetitum ne Theologis erit, communem Eccleſiæ doctrinam & vetuſtis, & novis rationibus illuſtrare, urgere, communire?

Inclamat Magiſter Theologus. Doctrina F. Concina non hæreſim modo redolet, ſed *eſt præterea*, inquit, *novitatis, & rigoriſmi inductiva, ut per ſe liquet*, quia favet propoſitioni tertiæ damnatæ ab Alexandro VIII. Audiſtin ſceleris augmentum ſupra ipſam hæreſim? Rigoriſmum, nedum hæreſim invehit doctrina contra peculium conceſſum a P. Magiſtro *Vitæ Clauſtralis* Authore Regularibus pro ludis, pro ſolatiis intra, & extra Ordinem, pro ſupellectili argentea &c. Ergo rigoriſmus iſte, qui Cucullatis ejuſmodi peculium ſurripit, tamquam error immaniſſimus urbe & agro exterminandus eſt. Quis hujuſmodi Cenſorem ferat? Quis talem Cenſuram audiens non indignetur?

§. III.

Digitized by Google

V.

DIſſert. 2. Cap. 5. pag. 402. docet, Reformatos a Provincialium collapſæ Diſciplinæ juriſdictione eximendos eſſe, atque Generalis poteſtati eſſe immediate ſubjiciendos.

CENSURA.

Hæc doctrina favet Schiſmati, & diviſioni Provinciarum, & Cœnobiorum Regularium. Nam ſub prætextu reformationis plures ſe ſe eximerent a juriſdictione, & obedientia Provincialis. Eſt etiam contraria phraſi, & diſciplinæ S. Sedis, quæ per plures Pontifices ſtatuit, ut in qualibet Provincia ſint aliqui Conventus, in quibus vigeat ſtrictior Regularum, & Conſtitutionum obſervatio, ut qui perfectioris vitæ ſtudio aguntur, illuc mittantur a ſuis Provincialibus.

VI.

An ad legem Corneliam de injuriis, & famoſis libellis in cauſa graviſſima te vocabo? Nulla tibi honeſtas, pudor nullus?

§. V.

Cenſura in quintam Cenſuram.

CEdo. Quid eſt Schiſma? Separatio membrorum a Capite. Et Magiſter Theologus proximam ſubditorum cum Capite conjunctionem Schiſma vocat? Fatetur Authorem Diſciplinæ docere, Reformatos Generalis poteſtati eſſe immediate ſubjiciendos. Et hanc doctrinam favere Schiſmati effutit? Schiſmati ne Pontifices Summi favent, dum Regulares Epiſcoporum juriſdictioni ſubductos ſibi proxime ſubjiciunt? Schiſmati ne faverunt B. Raymundus de Capua, & cæteri Generales zelo diſciplinæ flagrantes, ſuique miniſterii memores, qui reformatos Conventus ſemper ſibi ſubjecere? Schiſmatica ne fuit Longobardiæ Congregatio ex Cœnobiis duabus Provinciis ereptis conflata, & modo in Provinciam unicam erecta per univerſam, qua late patet, Italiam extenſam? Schiſma vocas, R. Magiſter Theologe, ſeparationem Religioſorum ab occaſione legum violandarum? In hypotheſi, qua Provinciales privata peculia habeant, tributa a

ſubdi-

ſubditis accipiant, nullaque ſit in Cœnobiis eiſdem ſubjectis ſilentii, jejuniorum, ſolitudinis, aliarumque Conſtitutionum obſervatio, quomodo promovere Diſciplinæ reformationem valent? Doctrinam lege naturali, divina, Canonica, & Monaſtica firmatam, Schiſmatis arguit Magiſter Theologus. Plura ſileo, dicturus in tempore, ſi neceſſitas coegerit.

V I.

LOngum eſset excerpere, atque Cenſura notare omnes propoſitiones, quæ in univerſo Opere occurrunt male ſonantes, falſæ, Theologis, & graviſſimis Authoribus injurioſæ — Id unum monebo Authorem, id ſibi propoſuiſſe videri, ut reformationis zelo omnes Ordines non Reformatos ſtatui illigaret peccati mortalis, & damnationis æternæ. Quin etiam & aliquorum Regularium laxitate, aut diſciplinæ corruptela paſſim univerſos carpit, ac vellicat, & paucorum vitia in omnes transfert aculeato, ac liberiore ſtilo ubique declamatorem ſe ſe importunum magis exhibens, quam cordatum Thologum.

Quæ quidem non dieam Fidelibus, ſed Hæreticis Ordines Monaſticos jam odio

§ V I.

Cenſura in ultimam Cenſuram.

ULtimo loco Magiſter Theologus univerſam Diſciplinam Apoſtolico-Monaſticam aggreditur. *Ea eſt Calumniatoris natura in crimen vocare omnia, probare vero nihil.* Demonſthen. ex. appel. cont. Ebulid. *Longum eſſet*, inquit Theologus Magiſter, *omnes propoſitiones, quæ in univerſo Opere occurrunt male ſonantes, falſæ, Theologis & graviſſimis Authoribus injurioſæ, cenſura notare.* Et hactenus ex tot propoſitionibus nec unam deſignare potuit, quam juſte notaret. Quin, ut aliquam notandam objiceret, calumnia opus fuit. Omnes Ordines non Reformatos damnationis ſtatui illigat Author Diſciplinæ? Ubinam, quæſo, in univerſo Opere tanti ſceleris veſtigium? Simili artificio

Digitized by Google

odio pluſquam vatiniano adverſantibus anſam majorem exhibet eos traducendi, atque ludibrio, & contemptui habendi.

Fruſtra vero ſe tuetur in Præfatione Operis exemplo Cardinalis Caſini, qui ſuis in Concionibus prælo vulgatis ſub omnium adſpectum vitia exhibet Prȩlatorum Curiæ Romanæ. Nam primo aliud eſt Oratorem, aliud Theologum agere. Neutri tamen licet hominum vitia, cœtibus, & perſonis quaſi digito indicatis, exagerare.

Præterea laudatus Cardinalis Caſini ex injuncto ſibi Summorum Pontificum juſſu, publici Concionatoris Apoſtolici munere ea dixit, & vulgavit, quȩ privato judicio fortaſſe non vulgaſſet. At P. Concina a quo miſſus eſt, ut clamaret, & exaltaret quaſi tuba vocem ſuam adverſus omnes Monaſticos Cœtus? Quis conſtituit illum Cenſorem, Judicem, Reformatorem Regularium, Doctorem vero & Conſultorem R. R. Pontificum, & Congregationum, ut iis reformationis regulas, & decreta ſuggereret zelo imprudenti, ac præcipiti, & non ſecundum ſcientiam?

Vere ex illis ſe ſe Prophetis oſtendit, de quibus Dominus dicit — *currebant, ſed non mittebam eos*. Unde tamquam Pſeudopropheta ex proprio ſenſu adverſus cæteros Theologos, Ordines Monaſticos, Cardinales, ficio uſum Ruffinum ſcribit Hieronymus. *Interim homo eloquentiſſimus arte ludis Rethorica. Simulas te prætetire quæ dicis, ut qui objecta probare non poteras, quaſi prætermiſſa facias criminoſa*. Apolog. 2. Illi duntaxat Hæreticis anſam Monaſticos Ordines traducendi exhibent, qui pecculia retinent non pro vitæ tantum neceſſitatibus, ſed etiam pro ludis, ſolatiis, pro muneribus, pro ſuppellectili argentea &c. quique libris typis editis id defendunt, & qui ſimiles protegunt libros. Plura hic dicenda prætereo. Rancidulæ Magiſtri Theologi neniæ & nugæ ſunt vel in ipſa præfatione ad Diſciplinam Monaſticam in anteceſſum penitus profligatæ.

Tamquam Pſeudopropheta proſcribendus eſt Author *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ?* Sit ille Pſeudopropheta, ſit imprudens, ſit ignorans. Quid inde? De doctrina Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ ſermo nobis ſit. Si vera, ſanaque illa ſit, quemadmodum revera eſt, quid adverſus Perſonam inveheris? quid ſævis? quid exæſtuas? Quam porro ſana ſit, quam luculenta, & ſupra omnem Cenſuram, & extra aleam conſtituta doctrina Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ, inde colligent omnes, quod nec unam propoſitionem, etiam cavillationis artificio adhibi-

Digitized by Google

les, & Pontifices ipſos ſcribens, coercendus, immo proſcribendus videtur, ſalvo meliori judicio, cui &c.

hibito, juſta Cenſura dignam expiſcari in eadem Magiſter Theologus potuerit.

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES
THEOLOGICÆ
IN
EPISTOLAM
ΕΞΗΓΗΤΙΚΗΝ
QUARUMDAM OPERIS
VITA CLAUSTRALIS
PROPOSITIONUM
AB AUCTORE EJUSDEM OPERIS

Ad Amicum ſcriptam, & per modum Appendicis
Operi adnexam.

Digitized by Google

ANIMADVERSIONES
THEOLOGICÆ
IN
EPISTOLAM EXEGETICAM
AUCTORIS
VITÆ CLAUSTRALIS.

Quamquam *Vitæ Clauſtralis* Auctor totus eſt in propugnanda, minime, ut juſſus fuit, in corrigenda Doctrina ſua, quæ incredibilis laxitatis a Cenſoribus ſummis notata eſt, quæque ſcandalum piis auribus ingerit graviſſimum; tamen non propterea calamo manum admoviſſem, ſed ſurda aure omnia veluti a me aliena præteriiſſem. Verum, cum renovari illas ipſas *Rigoriſmi*, & *Tutioriſmi* calumnias, jamdudum in *Clauſtrali Vita* adverſus me evulgatas, videam; famam, innocentiam meam, & quod plus, ac fere unicum eſt, veritatem ipſam momenti alioquin ſummi, turpi ſilentio proderem, ſi ad tantorum in Evangelicæ Doctrinæ genere criminum accuſationem obmuteſcerem. Clamat paſſim in hacce Epiſtola P. Magiſter, in ſua *Vita Clauſtrali* æquo laxius tantillum ſcripſiſſe, ut valentius *Siſtemati Conciniano* ſeſe opponeret, *ut extremum ſummumque* Danielis *rigorem* temperaret, ut *inauditam* Adverſarii *ſeveritatem* vehementius refelleret. Porro, ſi ejusmodi accuſationes falſas luculentiſſime demonſtravero, quis mihi vitio vertere ſcriptum iſtud jure poterit? Ablatum ne innocentiæ, & veritati undequaque impoſturis obſeſſæ ſanctiſſimum illud moderatæ, juſtæque defenſionis jus, atque libertas? Ad rem.

§. I.

ANIMADVERSIO I.

In Exordium Epiſtolæ P. Magiſtri Carrattini.

I. TAntum ſe cœpiſſe voluptatis P. Magiſter Carrattinus teſtatur ex accepto nuncio, Fœtum ſuum *Vitæ Clauſtralis* proſcriptionis cenſuram, quam jure verebatur, evaſiſſe; quantum lætitiæ percipit amantiſſimus Pater, dum abſentem bene valere filium, quem infirmum noverat, intelligit. Nihil in præfato Opere repertum glorioſe oſtentat, *quod veritati* (inquit pag. 3.) *ſaniorique doctrinæ aperte adverſetur, præter paucas ſolummodo, quas heic mihi indigitas, propoſitiones implexi, ſubobſcurique, ut ais, ſenſus, & laxitatem, ac novitatem quamdam in ſpeciem olentes*. Hæ pauculæ propoſitiones ſunt quinque principia capitalia, quibus tota vertitur *Clauſtralis vita*. Quare, ſi hæc novitatis, & laxitatis cenſuris inuſta ſunt; univerſum Opus laxitatem, novitatemque redoleat, neceſſum eſt. Pater autem Magiſter, ut præceptum corrigendi infra juſtos limites laxiores propoſitiones, novitatiſque commenta retractandi mirifice eludat, validam, quoad poteſt, Apologiam pro notatis propoſitionibus texit, tantum abeſt, ut eaſdem corrigat, vel ad ſaniorem revocet ſenſum. Audi ipſum ſcribentem in hocce Epiſtolæ exordio pag. 3. *Nihil omittam prorſus, ut oſtendam, NIHIL a me dictum fuiſſe, quod, aut novitatem, aut laxitatem oleat*. Decepti ergo Amici? Decepti Cenſores? Sane, inquir, meum non ſunt ſenſum aſſequuti. Eccur?

II. „ *Concinianum* (reponit pag. 4.) *Super paupertatis Clauſtralis voto*
„ *Siſtema eſt id, quod impugno, novum quidem, atque inauditum*: Pauper-
„ tatis *videlicet* Monaſticæ Votum, & bonorum omnium communionem
„ ita eſſe inter ſe connexa, ut Regulares voventes paupertatem, voveant
„ ipſam bonorum communionem, *non ſolum quantum ad rerum dominium,*
„ *ſed etiam quantum ad earum uſum: ita ut nihil cuiquam Regularium pecu-*
„ *liariter, privatimque concedi poſſit, neque ad purum, putumque uſum facti*
„ *quantumvis revocabilem, quod voto paupertatis non adverſetur. Ita Da-*
„ *niel Concina in ſua Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica. Si quid propterea ad-*

„ *verſus*

„ *verſus vitam communem dictum a me reperiatur in mea* Vita Clauſtrali,
„ *quod rerum communionem relaxare videatur, eo tendit dumtaxat, ut evincam, hujuſmodi rerum communionem non eſſe adeo paupertatis voto adnexam, ut Clauſtrales voventes paupertatem, & hanc voveant rerum communitatem.*

III. Mitiores modeſtioreſque mihi preſto voces eſſe averem. At nihil patentiſſima falſitate, enormique impoſtura modeſtius occurrit, unaque verius, immo nihil idoneum, quo impactum mihi gravaminis crimen exprimam. Calumniam hanc lato calamo propulſavi in *Diſs. Prælim. ad Defenſionem Decretorum Conc. Trid. & cæt.* Quoniam vero Adverſario vel in hac ſua Epiſtola eadem refricare vulnera placuit, pauca illorum, quæ alibi ſcripſimus, hic repetere neceſſario cogimur. Siſtema Concinianum eſt, Clauſtrales vi Præcepti graviter obligantis bonorum communioni devinctos eſſe, a quo præcepto, niſi ob rationabilem, gravemque cauſam, diſpenſari nequeunt. Quæ Doctrina eſt omnium ad unum Theologorum, & vel laxiorum Probabiliſtarum, nemine excepto, præter unum Carrattinum, & Millante. Hoc eſt Siſtema Concinianum. Peculiarem inſuper quæſtionem inſtituit Daniel, utrum nempe Regulares voventes paupertatem, non quamcumque, ſed Monaſticam, ſeu juxta Regulas Monachales, & Decreta Conciliorum, maxime Tridentini, & Conſtitutiones Pontificias jubentes exactiſſimam rerum communionem, voveant ipſam communitatem? Quam quæſtionem, ceu a ſuo præcipuo, & *unico Siſtemate* alienam, ita pertractat, ut etiamſi falſa eſſet, nihil tamen ſuæ potiſſimæ cauſæ obeſſe velit. En illius verba *Diſſert.* 1. *cap.* 3. *Diſcipl. Apoſtol. Monaſt. Illud te admonendum permagni intereſt, me videlicet, ita iſtius capitis quæſtionem pertractare, ut, etiamſi falſa forent, quæ dicturus ſum, non ob id tamen præjudicii quidquam accidere poſſit cauſæ mea. Iſtius quippe præcipuus, ac ferme UNICUS ſcopus eo ſpectat, ut evincam, Regulares omnes ad vitam communem amplectendam, & pecula abigenda ſub peccati mortalis, & damnationis æternæ pœna adſtrictos eſſe. Idque ex communi conceſſione & Theologorum & Canoniſtarum aſſerentium, vi graviſſimi præcepti laudatæ communitati devinctos eſſe Regulares. Quod autem hujus communitatis præceptum, ſeu communitas ipſa voti eſſentiam ingrediatur, ſive extra divagetur, ſive directe, ſive oblique a voto inſpiciatur, utcumque res ſe ſe habeat, ad meum primarium inſtitutum quod attinet, perinde eſt. Non eſt ergo, cur præjudicii quidquam ſubire debeat*

CAUSA

CAUSA MEA PRINCIPALIS, TAMETSI QUÆ HOC IN CAPITE SUM DICTURUS, TIBI MINIME PROBARENTUR.

IV. Fac ergo falſiſſimum eſse, quod Regulares voventes Paupertatem, non indefinitam, ſed Monaſticam, ſed Regulis Monachalibus, & Eccleſiæ Canonibus circumſcriptam, voveant vitam communem a præfatis legibus evidentiſſime impoſitam, quid inde? Siſtema Concinianum, conſenſu omnium Theologorum firmatum eſt, Clauſtrales vi præcepti, & quidem graviſſimi, huic communitati adſtrictos eſſe. Quo ergo auſu ut ſiſtema illi impingis, quod pro ſiſtemate ille non habet? Ubi ſinceritas? Ubi bona fides? Ubi honeſtas? Ubi negatur in Diſciplina Apoſtolico-Monaſtica, ob juſtam, rationabilemque cauſam aliquid concedi a Prælato poſſe *ad uſum facti, quantumvis revocabilem?* His impoſturis opus erat ad invidiam conflandam Diſciplinæ Monaſticæ Authori? Legatur ejuſdem *Diſcipl. Diſs.* 1. *cap.* 5., ubi conditiones pro licito peculio deſcribuntur. Legatur *Diſs.* 2. *cap.* 2. ubi rationum momenta occurrunt, cur habere Clauſtrales peculium licite queunt? Auſim dicere, neque Theologorum, neque Canoniſtarum reperiri quempiam poſſe, qui clarius cauſas, cur uti peculio & quanto Regulares poſſint, diſpexerit. Quid, quod Fagnani, Vanespenii, Trithemii, Carthuſiani, aliorumque Theologorum ſententias mitiſſime expoſuerit, Conciliorum & Pontificum Decreta, quoad fieri potuit, benigne interpretatus fuerit? Verum quia Peculium pro ludis, pro ſolatiis, pro ſuppellectili argentea Clauſtralibus denegavit; iccirco apud P. Magiſtrum Carrattinum, ejuſque Aſſeclas Rigoriſta, & Regularium Ordinum calumniator inaudit Frater Concina.

V. Opponit pag. 4. auctoritatem BENEDICTI XIV. feliciter Regnantis in ſuo aureo Opere *de Beat. Ser. lib.* 3. *c.* 41. *pag.* 608. inquientis, *licitum eſse POSSE uſum peculii, ſi ab Ordinis Conſtitutionibus a Summo Pontifice approbatis permiſſum ſit; ſi Regularis eo utatur in cauſis licitis, & neceſſariis a Superiore approbatis: & ejus uſum habeat cum promptitudine animi illud reſignandi in manibus Superioris ſtatim ac ei fuerit præceptum.*

VI. Illud itaque peculium Pontifex Sapientiſſimus prudenter licitum aſſerit, quod Regulæ, Conſtitutioneſque Ordinis concedunt. Sed Conſtitutiones, quas profeſſus es, Te vitam communem voviſſe adfirmant. *Antequam ſtabilitatem, & communem vitam promittant, & obedientiam Prælato, & ſucceſsoribus ſuis faciant, Diſt.* 1. *cap.* 13. *text.* 2. Libentiſsime a producendis ſui Ordinis legibus abſtinerem, ut illius parcerem pudori. Sed ille

nos

Digitized by Google

nos cogit, ut eaſdem in medium afferamus. Intentis ergo illas auribus P. Carrattinus audiat. *Declaramus, quod unitas cordium in his, quæ Dei ſunt, ſecundum Regulam noſtram eſt in PRÆCEPTO, SICUT & COMMUNITAS rerum. Sed ratione diverſa. Nam ad unitatem cordis ſervandam ex Divinæ legis generali PRÆCEPTO, de quo in Regula, admonemur. Ad communitatem autem rerum ex ipſius Regulæ PRÆCEPTO adſtringimur.* Reponit P. Magiſter *To Præceptum comunitatis* non eſſe *ſtrictim* accipiendum. Ergo neque *To præceptum charitatis* accipiendum eſt *ſtrictim*. Nulla hic ad effugium rima patet.

VII. Cæterum, ut undequaque palam fiat, quam ſint arbitaria P. Carrattini commenta, illud eſt in memoriam revocandum, *Conſtitutiones Ordin. Prædic.* adeo cautas eſse in uſurpatione iſtius vocis *Præcepti*, ut expreſse moneant, nullum in Regula Auguſtiniana contineri præceptum, niſi ratione trium votorum. Hæc ſunt Conſtitutionum verba: *Præceptum in Regula nullum, niſi quod de ſua natura eſt RATIONE TRIUM VOTORUM, vel Divinæ, aut Eccleſiaſticæ legis contineri volumus, & declaramus. Ex Prolog. Tex.* 4. Declarant, autem bonorum communionem ratione voti paupertatis ſub præcepto imponi, *ſicut* unitas cordium. Ergo chimericum eſt, ut mitiſſime loquar, P. Magiſtri commentum, quo cavillatur *large* non *ſtrictim* intelligendum eſse præceptum iſtud.

VIII. Laxata ſæculo XIV. Diſciplina, peculii privati corruptela ſerpere cœpit. Verum præfati Ordinis Conſtitutiones tot remedia, tot conditiones præſcripſerunt pro ſervando communitatis præcepto, & expellendo peculio, ut Superioribus, & Prælatis poteſtatem ademerint ſuper hoc diſpenſandi, niſi tribus ſervatis difficillimis conditionibus, nempe brevis temporis, modicæ quantitatis, & determinati uſus. Ne gratis hæc aſſerere videar, Textus tranſcribo. *Pro voto Paupertatis, ut decet, ſervando, & vitio proprietatis penitus eradicando, ſancte ſtatutum fuit, potiſſimum quod depoſita, nonniſi in moderata quantitate, ad DETERMINATUM, IDQUE BREVE TEMPUS, vel USUM concedantur: & quia præfatam ordinationem minus diligenter a quibuſdam* [aures arrigat P. Magiſter] *obſervari, quam par ſit, intelleximus, alios vero, ſub prætextu determinati uſus, ſuam legis inobſervantiam palliare, quaſi licitum illis ſit, LONGO TEMPORE ſub tali prætextu in depoſito pecunias habere, quas & pro occurrentibus uſibus poſtmodum expendunt: Declaramus intentionem noſtram eſſe, quod ubi Prælatus determinaverit,*

Digitized by Google

uaverit, præſentatis ſibi a ſubditis pecuniis, pro quo uſu determinato ſpecia-liter in Depoſito aſſervari debeant, non licere ſubditos in alios uſus eaſdem pecunias expendere, nec Prælato facultatem eiſdem ad id tribuere, qua virtute præſentis Decreti PRIVAMUS. Quare vitium PROPRIETATIS incurret ſubditus huic ſtatuto contraveniens: & vitium USURPATÆ auctoritatis Prælatus, in cujus pœnam ab officio abſolvi debet. Valent. Cap. Gen. 1591.

IX. Recenſitas conditiones præcipiunt cætera omnia Capitula Generalia. Romanum Capitulum 1601. *Confirmamus, quod in duobus præcedentibus Capitulis Romæ, & Valentiæ, aliiſque SÆPIUS ſancte ſtatutum fuit, ut qui pecunias undequaque habuerint, teneantur eas ſub pœnis proprietariis debitis infra terminos* 24. *horarum ſuo Prælato præſentare, atque ex ejus licentia in communi depoſito ponere, quod quidem IN MODICA QUANTITATE PECUNIARUM, AD BREVE TEMPUS, & AD CERTUM USUM; attenta tamen perſonarum, & occaſionum qualitate PERMITTI poterit.* Capitulum Salmanticenſe ann. 1551. brevitatem temporis reſtringit ad MENSEM TANTUM.

X. Capitulum Generale Romæ ann. 1644. hæc præcipit. *Denique Priores de Conſilio Fratrum inſtituant Depoſitarios, qui particularium Fratrum depoſita, UBI hujuſmodi ADHUC TOLERANTUR, aſſervent. UBI autem particularium Depoſitorum PERMISSIO feliciter exolevit, perſiſtatur in ſancta conſuetudine, nec permittatur, ut quidquam irrepat, quod laudabilem, & EXACTISSIMAM rerum COMMUNITATEM, ſanctæque paupertatis vel in MINIMO relaxare poſſit.* Tolerari etiam ad breve tempus, & in modica quantitate depoſita dicuntur, tamquam quid oppoſitum exactæ communitati. Hæc Comitia celebrata fuere ſub ſapientiſſimo, & ſtrenuo Diſciplinæ Monaſticæ Inſtauratore Magiſtro Generali Turco.

XI. Tandem Conſtitutiones ipſæ, quæ præfata Comitia recenſent *Diſt.* 1. *cap.* 14. *tex.* 4. *lit. H. pag.* 92. Sacroſancti Concilii Tridentini Decretum: *Nemini Regularium &c.* tranſcribentes, hæc jubent. *Declaramus, quod ſicut in Concilio Tridentino decretum eſt &c. Et in Capitulo Romano* 1598. *Admonentur Fratres Ordinis noſtri, qualiter Generale Capitulum celebratum Bononiæ* 1564. *innixum Decretis Sacri Concilii Tridentini incorporavit &c. Noviſſime etiam in Capitulo Venetiis* 1592. *ordinatum fuit, quatenus Fratres debeant fideliter ſub pœna PROPRIETARIIS debita Superioribus ſuis ſem-*

per

per præſentare quamcumque pecuniæ ſummam ad eorum manus undecumque venientem ſive prætextu PRÆDICATIONUM, LECTIONUM, CONFESSIONUM, *ſive Miſſarum, ſive quolibet alio etiam propriæ perſonæ intuitu a conſanguineis, eis, vel quibuslibet aliis, quod etiam de qualibet alia re, ſtatuendum mandat* S. PATER AUGUSTINUS IN REGULA, *ne quis furti judicio condemnetur*. EORUM PORRO SUPERIORUM *officium erit, ne* DISSIPATORES *potius, quam* DISPENSATORES *fideles inveniantur*, ITA DE PRÆFATIS BONIS PRO UNIUSCUJUSQUE SIBI SUBDITIS NECESSITATE MINISTARE, UT ALIUS NON EGEAT, DUM ALIUS ABUNDAT.

XII. Quid ad hæc? Numquid proprii Ordinis diffamator, quod ſanctiſſimas Ordinis leges in medium profero, ut ignominia impleantur illi ſoli, qui non modo illas tranſgrediuntur, ſed confictis commentis eludunt, contemnunt? Pecunias ex *Concionibus*, *Lectionibus*, *Miſſis*, aliove titulo partas, in communes Fratrum uſus *procujuſque neceſſitate* miniſtrari leges mandant; declarantque PROPRIETARIOS illos, qui ſecus agunt. Reſpondeat nunc P. Magiſter Carrattinus, num Sapientiſſimus Pontifex BENEDICTUS XIV. ſibi faveat. Non aliud ille peculium licitum aſſerit, niſi quod leges Ordinis permittunt. Leges autem, quas P. Carrattinus profeſſus eſt, exactiſſimam præſcribunt communitatem cum peculio privato pugnantem. Videſis etiam quæ de hac re dicta ſunt in Diſs.2. ubi eamdem objectiunculam, cui plurimum fidit Adverſarius, penitus contrivimus.

XIII. Opponit iterum P. Carrattinus, Pontificem Sanctiſſimum peculii habendi privilegium impertiiſſe, (ut patet ex literis in forma Brevis, *Eximia Religioſarum virtutum*) Concionatori Apoſtolico ex Cappucinorum Ordine. *Id oculis* (concludit pag.4.) *mentique lectorum præſens ſemper velim: & nullus dubito, quin ſcrupuli omnes ſtatim excutiantur*. Tanto opus Medico, Magiſtroque erat, ut ſcrupuli, quibus miſeri Clauſtrales torquentur, cruciantur que, penitus excuterentur. Nimium Religioſi, atque ſuperſtitioſi ſunt Clauſtrales in peculii uſu; iccirco laxanda parumper doctrina erat. Verum, ut quam ſtupenda ſit P. Carrattini Dialectica perſpicuum habeas, ejuſdem audi argutationem. Pontifex Summus celeberrimo Concionatori *P. Michaeli Angelo Franceſchi* peculii habendi privilegium indulſit. Ergo Cappucinis omnibus abſolute licitus eſt peculii uſus. Pontifex Summus privilegium cuidam Principi, Civitati, aut Provinciæ carnium comedendarum in Quadrageſima con-

eſſit. Ergo Chriſtianis omnibus in Quadrageſima licitus eſt carnium ci bus. Hæc eſt perpetua, & unica P. Carrattini tum in ſua *Vita Clauſtrali*, tum in hac ſua Epiſtola, argumentatio. Eccui unquam in mentem venit, non poſſe Pontificem, immo Prælatorum quemquam, juſta urgente cauſa, peculii uſum concedere huic, aut illi Regulari? Pontifex Summus in laudatis Litteris declarat, R. P. Michaelem Angelum reputandum ad *inſtar aliorum Regularium Palatio Apoſtolico proxime addictorum* eſſe, ut nimirum tanquam Prælatus habeatur. Poſtea, quæ hanc conſequuntur dignitatem, videlicet uſum rhedæ, currus, pecuniæque concedit. Ergo Cappucini omnes rheda incedere, pecuniis uti licite poſſunt? Hæc eſt, ut dixi, unica in tota Vita Clauſtrali argumentatio. Expiſcatur privilegia, verius dixerim *Reſcripta*, ad partium petitionem conceſſa a Pontificibus Summis illi aut huic Regulari, illi aut huic Congregationi. Et hinc colligit auferendas de medio leges eſſe univerſales, quin nullas unquam extitiſſe leges vetantes peculium, & exactam bonorum communionem præſcribentes. Et ne invidiam P. Carrattino creare videar, audi illum ſcribentem in Vita Clauſtrali pag. 253. *Fidenter aſſerimus, nullum in priſcis Regulis de exacta rerum communitate ſervanda, fuiſſe præceptum.* Addit adhuc fidentius pag. 243. Præceptum iſtud eſſe *craſſum Danielis commentum, atque phantaſma ad terrorem confictum ... Indigitet nobis præceptum hocce: reſeret nobis quod occultum eſt in his Regulis.* Theologorum, aut laxiorum Caſuiſtarum nemo hactenus loquutus hoc pacto eſt, præter duos PP. Magiſtros Millante, & Carrattinum.

§. II.

ANIMADVERSIO II.

In

Dilucidationem primæ propoſitionis contentæ in Vita Clauſtrali.

UT errores in Vita Clauſtrali contenti nulla eludi tergiverſatione valeant, paucis perſtringendum eſt ſiſtema utriuſque partis: nempe *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ*, & Vitæ Clauſtralis: atque Controverſiæ ſtatus perſpicue aperiendus.

SISTE-

Digitized by Google

SISTEMA ET DOCTRINA

DISCIPLINÆ APOSTOLICO-MONASTICÆ.

Clauſtrales omnes, vi ſaltem præcepti, exactæ bonorum communitati cujuſque privati peculii experti devincti ſunt, ut omnes tum Canoniſtæ, tum Theologi docent. Profeſſio autem Monaſtica mutuum includit contractum, in quo Clauſtrales omnia cum præſentia, tum futura bona dominio Religionis ſubjiciunt, & ſolemni voto conſecrant. Et Religio viciſſim victum, & veſtitum, ſeu omnia neceſſaria Regularibus ſuis tum ſanis, tum infirmis de communi Patrimonio ſe collaturam promittit, ſpondetque eodem ritu, & ſolemnitate. Porro ſi Religio ſuo deſit muneri, debitoque, videlicet ſi omittit neceſſaria ſuppeditare ſubditis, continuo in his jus naturæ conſurgit, quemlibet præcedens contractum, atque votum, vicujus Clauſtralis induſtria propria victum, veſtitumque ſibi comparare queat. Axioma illud, *Quidquid acquirit Monachus, acquirit Monaſterio*, ſupponit exactam communitatem. Alioquin, ſi Monaſterium nollet nec alere, nec induere Monachum, tum Monachùs uſum ſaltem rerum neceſſariarum ad vitam alendam, veſtiendamque, naturæ jure ſibi comparare, ſeu retinere poſſet, cum promptitudine animi omnia in communes Religioſorum uſus conferendi, quoties Prælatus de communi ſubminiſtret neceſſaria. Subditi qui carent hac promptitudine & diſpoſitione animi, ſunt in ſtatu gravis culpæ, ſicut & Prælati, qui pro virili inſtaurare negligunt exactæ communitatis obſervantiam, pulſis peculiis, dum id abſque ſcandalo, & reipſa præſtare valent. Prælati ob gravem rationabilem cauſam poſſunt aliquando a præcepto communis vitæ diſpenſare, ſicut ab alio gravi præcepto, ſervatis conditionibus juſtæ Diſpenſationis. Hæc eſt tota Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ doctrina. Hoc Siſtema Conciniauum omnium & Theologorum, & Canoniſtarum, & laxiorum Probabiliſtarum auctoritate confirmatum.

SISTEMA ET DOCTRINA

VITÆ CLAUSTRALIS.

I. PAucis perſtringo *Vitæ Clauſtralis* doctrinam. Negat Author, Clauſtrales ſive voto, ſive præcepto aliquo exactæ bonorum communioni devinctos eſſe. Non modo contendit, peculium ob juſtam cauſam ex Prælati diſpenſatione licitum interdum eſſe, ſed pro virili evincere ſtudet, peculii privati uſum viguiſſe in ſacro illo Hieroſolymitano Collegio deſcripto a Luca *Act. cap.* 2. & 4. Clamat in tota ſua *Vita Clauſtrali*, nunquam Pachomium, Antonium, Baſilium, Auguſtinum, Benedictum, ſive Patriarcharum quempiam, ſive Concilium, ſive Pontificem aliquem aut peculium moderate habitum interdixiſſe, aut bonorum communitatem cujuſque peculii expertem præcepiſſe. Quem errorem ſane graviſſimum, a nemine Catholicorum hactenus confictum, alii neceſſario conſequuntur errores: videlicet licitum eſſe peculii uſum pro ludis, pro ſolatiis, intra, & extra Clauſtra capiendis, pro inviſendis parentibus amiciſve, pro cochleari argenteo, pro cultro argenteo, pro furcinula argentea, pro arcula tabacci argentea, pro horologiis argenteis non Londinenſibus ſummi pretii, ſed Pariſienſibus. Et reapſe quidni hæc omnia licita abſolute Mendicantibus Fratribus erunt, poſitione facta, quod nulla lege aut voto, aut *vero præcepto* vetitum peculium ſit: aut præſcripta bonorum communio peculii privati vacua. Conciliorum, & Pontificum Decreta, quæ ſeveriſſimis præceptis peculia vetant, & exactam bonorum communionem imponunt, nullo negotio eludit, inquiens, præcepta eſſe *large*, non *ſtrictim* interpretanda. Heinc Clauſtralibus haud eſt neceſſarius paratus animus ad peculium dimittendum, cum nullo ad id vi propriarum Regularum præcepto *ſtrictim* accepto urgeantur. Quid, quod neque Superiores, recenſita doctrina poſita, cogere ſubditos ad peculium abigendum valent. Neque enim in Prælatorum arbitrio eſt, Monaſticæ Regulæ gravare jugum, aut minuere, juxta illud Bernardi: *Prælatus votum meum non augeat ſine mea voluntate, nec minuat ſine neceſſitate*. Nullus dubito, quin hæc doctrina P. Magiſtri Carrattini horrorem, & ſcandalum allatura bonis omnibus ſit. Ne quis vero ſuſpicetur, quidpiam per exaggerationem dictum, propriis Carrattini verbis illius tranſcribendæ propoſitiones ſunt.

§. III.

§. I I·I.

ANIMADVERSIO III.

in dilucidationem primæ propoſitionis.

I. PRima P. Magiſtri Carrattini propoſitio ejuſmodi eſt. *Quammam* (bonorum communionem) *habuerint primi Jeroſolymæ credentes, de quibus S. Lucas in Actis cap.* 2. *&* 4. *non adeo facile intelligitur: verum ſi temporis, loci, & perſonarum conditiones expendamus, conjicere haud temere poſſumus, nec perfectiſſimam, imo nec perfectam inter eos fuiſſe rerum communionem*. Excerpta eſt hæc propoſitio ex Vita Clauſtrali 2. *part. D.* 2. *cap.* 2. *pag.* 204.

II. Ut graviſſimus in hac propoſitione incluſus error pateat, aliam huc tranſcribo propoſitionem ex eadem Vita Clauſtrali *Diſſert.* 5. *cap.* 1. *pag.* 365. *Primis Chriſti fidelibus, qui nempe Jeroſolymæ ad Petri Apoſtolorum Principis prædicationem converſi fuerant, quique, ut in Actibus Apoſtolorum legimus, propria fecerant communia, INDULTUM FUISSE, UT PECULIUM HABERENT, ex iis, quæ initio hujus II. Partis dicta ſunt facile dignoſcitur*. Hæc paſſim inculcat Magiſter Vitæ Clauſtralis, ut infra in *Animadverſione* in propoſit. 2. iterum recordabor.

III. Senſus ergo germanus Doctrinæ Carrattini eſt, in Collegio Hieroſolymitano, de quo Lucas *Act.* 2. *&* 4. viguiſſe privati peculii uſum, ſicut viget modo in collapſæ Diſciplinæ Clauſtris. Hic autem ERROR eſt, quem Catholicorum, auſim dicere, neque Hæreticorum, quiſpiam ſomniavit hactenus. Error iſte evidentiſſime pugnat cum Verbo Dei. Fidelibus, quorum meminit Lucas, *Erant OMNIA COMMUNIA*. *Luc.* 4. Si communia OMNIA: ergo peculium nullum. Quod ſi peculium aliquod: non ergo communia OMNIA. Accedit. *Dividebatur autem ſingulis prout cuique OPUS ERAT*, *Luc. ibi*. Si neceſſaria cuique porrigebantur, ſuperfluum peculium erat. *Nec enim quiſquam egens erat inter illos*. Si nemo egens: nemo ergo peculio egebat privato. Licet ne hodie peculii uſus in iis Clauſtris, in quibus OMNIA ſunt communia? in quibus OMNIA de communi ſubminiſtrantur, *prout cuique opus eſt?* Innumera autem ſunt Clauſtra, a quibus exulat peculii peſtis, floretque exactæ communitatis obſervantia. Laxior ergo fuit Diſcipli-

na

Digitized by Google

na Apoſtolicæ communitatis, quam deſcribit Lucas, communitate Recentium Clauſtralium inſtauratæ Diſciplinæ? Adverſatur itaque ERROR *Vitæ Clauſtralis* manifeſtè Verbo Dei, omnium Sanctorum Patrum, & Catholicorum communi ſenſui, ut infra dicturi ſumus.

IV. Adeo evidens eſt, & monſtroſus error iſte, ut nequiverint vel ipſius Authoris Patroni, & Amici penitus excuſare. Quin præcipuus eorum dixit: Si Author *Vitæ Clauſtralis* doceret, non viguiſſe in Cœtu Hieroſolymitano *perfectam animorum, bonorumque communionem, prout loci, temporiſque ratio ferebat, digna eſset cenſura ejuſdem doctrina. Quoniam Chryſoſtomus, Auguſtinus Caſſianus, aliique Patres tradunt, numquam in Eccleſia Sanctitatem, perfectionemque ſimilem* (æqualem forte dicere voluit) *ſanctitati primorum Fidelium repertam, aut reperiendam fore. Verum*, ſubdit, *docet ſolum Carrattinus: Communionem bonorum non potuiſſe eſſe perfectam ob temporis, & loci conditiones. Quare & Calmet ſcribit, Fideles illos ſimul non cohabitaſſe, & Grotius ex Proteſtantibus docet, denos, aut vicenos convenîſſe in locis ad id commodiſſimis*. Patronus iſte aut non legit, aut alienis oculis legit *Vitam Clauſtralem*. P. Magiſter Carrattinus docet, Primos Fideles habuiſſe *privata peculia*, ſicuti nunc obtinent in collapſæ Diſciplinæ Cœnobiis. Legantur textus adducti, & infra adducendi ex *Vita Clauſtrali*. Audiant Carrattini Fautores & Patroni quæ ſcribit Diſs. 2. pag. 243. *Rotunde negamus, pernegamuſque, Vitam communem, quam Apoſtolorum exhibent Acta, talem, tantamque fuiſſe, quæ cujuſque PECULII expers foret, & caſsa*. Hæc *rotunda* vox Amicorum quoque, & Patronorum aures vellicabit. Quod ſimul in uno, aut diſperſim in pluribus domiciliis habitaverint Fideles, quid officit perfectiſſimæ bonorum communioni? Aut quid cum privato peculio affine id habet? Religiones Cappuccinorum, Carthuſianorum, Reformatorum cujuſque fere Ordinis tributæ ſunt in domos, Cœnobia, in Provincias univerſi Catholici Orbis. Propterea ne minus exactæ communitatem colunt? Perfectæ communitatis notionem prorſus ſe ignorare oſtendit Clauſtralis Author.

V. Audet ipſe in ſui erroris præſidium Eſtium, Tillemontium, Calmetium, & Thomaſinum obtrudere. Ut dixi, & millies dicam, nemo Catholicorum, quin nec Hæreticorum talem excogitavit hactenus errorem. Laudati autem Doctores non modo illum non docent, ſed penitus profligant. Docet Eſtius in *cap.* 4. *v.*32. *Act.* „ Puto igitur iſtos, OMNIA communia „ habentes, fuiſse vere Religioſos, *quomodo nunc de Religioſis loquimur; quia*

„ in

Digitized by Google

„ in manibus Petri tanquam Prælati VOVEBANT VITAM COMMU-
„ NEM, & proinde etiam obedientiam, ſine qua vita communis non po-
„ teſt ſubſiſtere . . . . . *Et Patres originem vitæ communis, qualis Religioſo-*
„ *rum eſt, referunt primum ad Familiam Chriſti, & Apoſtolorum*. Non aliud ego heinc emolumentum colligo, niſi, ut PP. Carrattinus & Millante intelligant, quam ſint ſua bella commenta. Voviſſe vitam communem Apoſtolicos viros, de quibus Lucas, quemadmodum nunc illam vovent Regulares, docet Eſtius.

VI. Sequentia Eſtii verba opponit P. Magiſter Carrattinus. *Intellige de domibus, quæ ipſis erant neceſſariæ ad inhabitandum: has enim non vendebant, ſed retinebant, non tamen, ut proprias, ſed ad uſum vel ſuum, vel aliorum Fratrum, proprietate tamen eorum translata in communitatem: & idem ſentiendum de aliis multis neceſſariis, ut ſuppellectile, inſtrumentis mechanicis, veſtibus, libris, & ſimilibus. Propter uſum tamen retentum, aut conceſſum dicebatur domus hujus, aut illius, ut infra cap. 12. Petrus liberatus a carcere venit ad domum Mariæ matris Joannis: ſic Philippus unus ex ſeptem Diaconis dicitur habuiſse domum Cæſareæ. cap. 21. Sic domus Simonis in Evangelio: & Joannes Matrem Domini accepit in ſuam.* . . . .

VII. Heinc ne privatum peculium? Hæc ne exactæ rerum communitati officiunt? Scilicet, reponit P. Magiſter. *Sit ne, rogo, inter eos vita perfecte communis, qui domos ad inhabitandum, ſuppellectilem, cæteraque neceſſaria NON VENDEBANT, ſed ad ſuum uſum, proprietate tantum in communitatem translata, detinebant? Neutiquam ſane. pag. 5.* Parcendum P. Magiſtro, quod exactæ notionem ignoret communitatis. Mirum, hominem ſingulis hebdomadibus Regulam Auguſtinianam audientem talia ſcripſiſſe. Inquit Regula, quam profeſſus eſt: *Si quis aliquam contulerit veſtem, vel quodlibet aliud .... non occulte accipiatur, ſed ſit in poteſtate Propoſiti, ut in rem communem redactum, cui neceſſe fuerit præbeatur.* Omnia in commune conferebant, ut expreſſe teſtatur Evangeliſta. Domum, neceſſitate ſic urgente, inhabitandam relinquebat Petrus collatoribus. Quid inde? Fideles Jeroſolymitani in commune conferebant *domos, inſtrumenta mechanica &c.* Non vendebant domos, quia illis ad inhabitandum egebant. Ergo exacta non fuit communitas, quod illarum uſum iis S. Petrus conceſſerit? Quis unquam adeo futilia audivit? Ut peculium inter illos ſerpſiſſe evinceret, probandum illi incumberet, lucra, & pretia, quæ *inſtrumentis mechanicis*, &

pro-

proprio labore, induſtriaque comparabant, non contuliſſe in communes Fratrum uſus. Demonſtrandum fuiſſet, ita in proprios uſus illa retinuiſſe, quemadmodum nunc PP. Magiſtri, Concionatores, Baccalaurei in proprios uſus convertunt pecunias ex lectionibus, Concionibus, aliaque induſtria comparatas. Probandum illi erat Fideles illos ſibi retinuiſſe palam ex Petri licentia portionem peculiarem pretii, bonorumve, quemadmodum occulte retinuit Ananias pretii agri divenditi partem.

VIII. Magis Feſtiva ſunt quæ objicit ex Tillemontio, qui tom. 1. art. non LX. ut ipſe ſcripſit, ſed IX. hæc habet. *Mais ils faiſoient encore de bien plus grands progrès dans la vertu; car ils vendoient tout ce qu'ils poſſedoient, & en diſtribuojent l'argent a tous ſelon que chacun en avoit beſoin, voulant que ce qu'ils avoient fuſt cummun a tous leurs Freres.* Ubi hic peculii vola? Ubi? Adeone hebes, ut in laudatis verbis peculium non agnoſcas? Audi P. Magiſtrum Carrattinum pag. 6. ſic differentem. „ Id primis „ Jeroſolymæ credentibus tribuit Tillemontius, quod a vita perfecte com„ muni alienum prorſus eſt, cuique videlicet, prout exigeret neceſſitas, pe„ cuniam diſtributam fuiſſe. *En diſtribuoient l'argent a tous ſelon que cha„ cun en avoit beſoin.* Quem non miſeret & hominis, qui, neque quæ ſibi proſunt, neque quæ ſibi obſunt, agnoſcit? Tillemontius gallice Sacræ Scripturæ textum vertit. Perfectæ communitatis imaginem depingit omni prorſus peculio vacuam. At verbum illud *Argent* non ne pugnat cum bonorum communione? Minime gentium. Vera perfectæ communitatis notio eſt, quod omnia ex communi penu ſuppeditentur, ſive, ut ajunt, in ſpecie, ſive in pecunia, prout res tulerit. Dum extra Cœnobia degimus, dum iter agimus, pecuniam nobis Prælatus neceſſariam pro victu, & veſtitu porrigit. Alienum ne id a vita communi? Unus Carrattinus auderet id muſſitare.

IX. Thomaſinii teſtimonia, quam ſint ab Adverſario inepte allata, & quam vehementer Thomaſinus peculium damnet, in Diſſertatione Præliminari oſtenſum eſt. Conſule ibi *Error* 1.

X. Conſonant quæ obtrudit ex Calmet, iis, quæ ex Tillemontio allegavit. Aliqua in laudata *Diſſertatione Prælim.* Calmetii teſtimonia adducta ſunt; Pauca hic addam. Hæc ſcribit in cap. 2. Act. *Omnes ex eodem fonte indigentiam levabant. Ex communi penu omnes accipiebant. Communes habebant ſedes, res communes. Ex hoc Sancto Cœtu triſtia illa, meum, &*

tuum

tuum, exulabant. Item in cap.4. Act. *Omnes ſe ſe unius familiæ filios reputabant: ac proinde Omnia habebant communia*. Quid ergo ex Calmetio Carrattinus objicit? Audi, & obſtupeſce. *Corde & affectu conjuncti liberaliter ultro, citroque ſibimet temporalia bona communicabant; ita ut quidquid erat unius, hoc eſſet OMNIUM*. Heinc quaſi magnam in Calmetio reperiiſſet crumenam ſuo affigendam lateri, clamat. *Quei, peto ipſe, hæc cum vita perfecte communi conciliari poſſint*. Quid, petunt omnes, ſignificantius exprimit communitatis perfectiſſimæ ideam? *Quidquid erat unius, hoc erat omnium*. Ex his verbis peculium effodis? Peculium Monaſticum vel ex cenſu, quem ſolvunt Parentes, aut ex lectione, aut ex Confeſſionibus Monialium collectum, eſt OMNIUM? Quantum ad dominium non ne? Cætera conſumptio illius tota ſemper privato cedit commodo, quanta ſit cumque aliorum Fratrum indigentia. Commenta Adverſarii adeo ſunt monſtroſa, ut vel nos cogant eadem refellendo ineptire.

XI. Subdit pag.7. „ Difficile ſane cogitatu in ingenti adeo turba eam „ rerum communionem inſtitutam fuiſſe, ut nemo quidquam ad peculiares „ uſus haberet, ſed omnes *quotidie ex eodem penu* ſimul paſcerentur. „ Ita teſtatur, non dicam Sacer textus, non dicam Patres, non dicam Catholici omnes, ſed ſigillatim P. Calmetius: *Omnes ex eodem fonte indigentiam levabant*. At inſtat, urgetque, difficile creditu eſſe, ut *quidquid opus ſibi eſſet, quilibet quotidie a Miniſtris acciperet*. Homini peculii caligine obducto difficilia hæc creditu ſunt. Quæ in diem erant neceſſaria, ut cibus, in diem accipiebant a Miniſtris: quæ in hebdomadem, aut in menſem, aut ad annum, ut veſtitus, inſtrumenta, ſuppellex &c. in tempore accipiebant, ut ſemper obtinuit, ubi floruit perfectiſſima communitas, non inter decem, ſed inter centum millia Religioſorum. Quot Monachorum millia ſub Antonio, Hilarione aliiſque Sanctis viris non aluit ſub perfectiſſima communitate Ægyptus? Thebaidis Monaſteria in mentem revoca.

XII. Pergit P. Magiſter reſcribere ſua argumenta Vitæ Clauſtralis, quibus iterum, iterumque ut commentitiam, & ridiculariam rejiciat communitatem illam, quam deſcribit S. Lucas, quam Catholici omnes venerantur. Sic enim inclamat pag.7. *Quam ingens ſollicitudo in paranda annona, & re frumentaria pro alenda ea hominum multitudine, cæteriſque neceſſariis componendis tenuiſſet Apoſtolos! Nonne Naves onerariæ ex Ægypto aliundeve expectandæ fuiſſent? Nonne cum Proxenetis & Mercatoribus agendum, foraque*

frequentanda? Res erat ſupra decem millia hominum. Sic ironice Verbo Dei illudis. Si ſinguli ſibi cibos emiſſent, expectare ne debuiſsent *Naves onerarias ex Ægypto, aliundeve?* Ais? Futilis ergo argutatio tua. Negas? Erroneum ergo commentum tuum. Homines ſupra decem millia alendi ſunt. Quod ſinguli propria crumena, aut ſeptem procuratores pro omnibus cibos emant, quid diverſitas iſthæc confert ad augendam, minuendamve annonam? Plus ne, an minus manducant homines, ſive ab uno, ſive a ſingulis victus ematur? Si communia non extitiſsent omnia, quid ſeptem inſtituti fuiſsent miniſtri curandæ, diſtribuendæque annonæ?

XIII. Alia via pag. 8. chimericam evincere ſtudet Apoſtolici Collegii communitatem a Luca deſcriptam. *Accedit*, inquit, *quod tametſi non obfuiſſet numerus, quo minus vita perfecte communis inſtitueretur; impoſſibilis tamen ex alia parte fiebat, ex eo nempe, quod non ſimul, ſed ſejunctim, ac ſparſim habitabant per ampliſſimam Urbem diſperſi &c.* Impoſſibile effutit, quod factum Sanctum Dei Verbum teſtatur. Non per ampliſſimam Urbem, ſed per Provincias, & Regna diſperſi tot Sacri Clauſtralium Ordines ſunt, qui perfectiſſimam ſervant communitatem.

XIV. Pag. 9. *Denique Apoſtolorum prudentia ea temporis neceſſitate obſtabat, quo minus vita perfecte communis, tametſi optarent, executioni mandaretur; ne ſcilicet Romanis, Judæiſque ſuſpicandi locum darent, ſe adverſus Romanum Imperium, Judaicamque Rempublicam, quibus & legis, & Religionis novitate ſatis erant inviſi, quidpiam moliri.* O virum prudentiſſimum! Sed prudentia hæc antievangelica eſt. Prudentia hæc Apoſtolis Sanctis potiore jure vetabat, ne permitterent, quæ ſimul ibidem Lucas narrat. *Omnes enim, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia: Poſſeſſiones, & ſubſtantias vendebant, & dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat. Quotidie quoque perdurantes unanimiter in Templo, & frangentes circa domos panem ſumebant cibum cum exultatione, & ſimplicitate cordis.* Hanc unanimem, & quotidianam congreſſionem in Templo vetabat prudentia, ne quidquam moliendi in Rempublicam ſuſpicio daretur. Minime ergo conveniebant *quotidie unanimiter in Templum?* Falſus ergo Textus ſacer? Mendax ergo Evangeliſta Lucas?

XV. Reponit pag. 9. verba ſancta: *Erant illis omnia communia*, non opponi ſuæ opinationi. Cur? Audi. *Verba illa.... STRICTIM adeo accipienda non ſunt, ut perfectam communionem ſolummodo innuant, atque ſignificent.*

gnificent. Scripturæ ſanctæ verba obvio in ſenſu accipienda eſse, niſi abſurdum aliquod inde ſequatur, omnes docent. Adeone abſurda eſt, atque monſtroſa perfectæ communitatis obſervantia, ut ab obvio, & literali verborum ſenſu nos recedere cogat? Quid, quod admiſso hoc Carrattini commento, nihil eſt in univerſa Sacra Scriptura, nihil in Sacris Canonibus, nihil in legibus certum. Omnia quippe Author iſte eludit ſua hac diſtinctione *STRICTIM* & *LARGE*. Vidimus in priori Animadverſione, *Præceptum* Conſtitutionum ſui Ordinis in nihilum redegiſſe, dicendo, *STRICTIM* accipiendum non eſſe. Nunc verba hæc ſancta: *erant illis omnia communia*, repetit *STRICTIM* uſurpanda non eſſe. Ne multa. Quidquid illi incommodat, & quod privatæ officit crumenæ, *STRICTIM* accipiendum non eſt. Hac ratione Decalogi mandata *STRICTIM* accipienda non erunt.

XVI. Pag. 10. hæc ſcribit. *Si Patres hujus ſententiæ fautores, atque patronos quæris, libere dico, præter unum Joannem Chryſoſtomum nullum inveni, qui fuſe factum iſtud expoſuerit; pauciſſimos immo eſse, qui parce admodum, atque obiter de eo loquuti ſunt*. Numquam ſimilem legi ſcriptorem. Sanctiſſimi Patriarchæ Regularum Monachalium inſtitutores Baſilius, Auguſtinus, Hieronymus, Benedictus, cæterique exactiſſimam præſcribunt communitatem, quam, inquiunt, deſcribit Lucas in *Act. Apoſtolorum*. Et P. Magiſter, qui ſingulis hebdomadibus audit Regulam Auguſtini, quam profeſſus eſt, clamantem: *Sint vobis omnia communia. Sic enim legitis in Actibus Apoſtolorum*, audet ſcribere, nullum ſe inveniſſe Patrem, qui hunc textum exponeret? Major Auguſtinianæ Regulæ pars tota occupatur in perfectiſſima communitate deſcripta in *Apoſtolorum Actibus* exponenda. Idem præſtat Benedictus, idem cæteri Patriarchæ. Et nemo *fuſe* Textum exponit? Quin nec parce? Sed ut noſcas P. Magiſtri ingenium, legito Textum Joannis Chryſoſtomi, quem tranſcribit. Perfectiſſima in eo exprimitur bonorum communio: & tamen ex illo peculium colligit peracutus Theologus. Tertullianum allegat ſcribentem Apolog. c.39. *Omnia indiſcreta ſunt apud nos præter uxores*. Et tamen, inquit, non omnia erant communia, ſeu non erat illorum Chriſtianorum perfecta communitas. Mendax ergo Tertullianus inquiens omnia fuiſſe communia. Si verax Tertullianus, verax non eſt Adverſarius. Eadem eſt S. Juſtini interpretatio. Mirum eſt, Patrem Magiſtrum nec Baſilii, nec Auguſtini, nec Benedicti, aliorumque Pa-

triarcharum, qui ex instituto Apoſtolicæ communitatis deſcriptæ a Luca Act. 2. & 4. imaginem exponunt in ſuis Regulis, meminiſſe.

XVII. Concludit tandem pag. 11. *Verum ſi cuipiam diſplicet imperfectam a me vocari, & dici Hieroſolymorum vitam communem; de nomine non contendam: perfectam vocabo, immo & perfectiſsimam, modo in re conveniamus . . . . . Sed hanc perfectam vitam communem admiſiſse peculiarem rerum uſum, ut evici, perſpicuum eſt.* Prudentiſsime. Quid de vocibus *perfecta*, & *perfectiſſima* lis intentanda, ſi reipſa peculium concedatur, crumenaque lateri inſideat? Nihil ſane hoc monito cautius, prudentiuſque.

Ineluctabili argumentatione erronea evincitur Adverſarii doctrina omnium Catholicorum conſenſione.

XVIII. In anteceſſum animadverto, perfectæ, & perfectiſſimæ communitatis notionem eſſe, ut omnia bona ſingulorum ex Societate ſint ſingulis, & omnibus communia, & quod a publicis officialibus, ſeu miniſtris dividantur eadem omnibus, prout cuique opus ſit. Nemo debet egens eſſe, nemo abundans: nemo ſibi privato acquirere quidquam debet, ſed omnia conferre in communes Fratrum uſus. Diſpenſatores fideles bona diſtribuunt, prout temporis, loci, & perſonarum conditiones ferunt. Supellectilem domus, veſtitum, inſtrumenta artis tribuunt non quotidie, quod repugnat, ſed prout congruunt. Alimenta aut in *ſpecie*, ſi domi cohabitent ſocii, aut in pecunia, ſi foris, ſi in itinere reperiantur. Uno verbo, prout conditiones loci, temporis, & perſonarum requirunt. Supellex, veſtitus, inſtrumenta, quæ in longum tempus, prout rei natura fert, diſtribuuntur de communi patrimonio a Miniſtris, peculium non vocatur, nec officit perfectiſſimæ communitati. Immo eo eſt perfectior, & perfectiſſima communitas, quo diligentius Miniſtri omnia neceſſaria, & ſtatui congrua ſubditis vel quotidie, vel ad annum juxta circumſtantiarum diverſitatem ſuppeditant. Peculium Monaſticum eſt pecunia, ſeu res a communi patrimonio ſeparata, quæ reapſe non cedit in communes Fratrum uſus, ut ſunt annua penſio, quæ a parentibus ſolvitur, aut pecuniæ & lucra, quæ Clauſtrales ex concionibus, lectionibus, aliave induſtria percipiunt, ſibique retinent, indulgente Prælato, ita ut qui ditiori peculio abundant, lautius comedit, bibit, induit. Qui privato hoc peculio caret, penuriam in veſtitu, in indico

dico potu, in menſa, in cæteris aliis plus minuſve patitur. Ejuſmodi peculium obtinuiſſe in cœtu Hieroſolymitano P. Magiſter contendit, quemadmodum viget nunc in Cœnobiis mitioris Diſciplinæ. Hoc evidenter docet & in univerſa *Vita Clauſtrali*, & in hac Epiſtola, ut infra luculentius patebit, quia aliud peculium intelligere nequit. Si enim peculium vocaret ſuppellectilem illam, & bona, quæ de communi patrimonio a Miniſtris porriguntur cuique, prout cuique in diem, aut in annum opus ſunt, ignorantia nimium craſſa, & monſtroſa ſe teneri oſtenderet. His prælibatis hanc conficio argumentationem.

XIX. *Omnia erant communia*. Ergo nullum privatum peculium. Integrum Sacrum Textum iterum ſub oculos reducamus. *Neque enim quiſquam egens erat inter illos. Quotquot enim poſſeſſores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum. Dividebatur autem ſingulis prout cuique opus erat*. Nemo egens erat inter illos: Nemo ergo privato peculio egebat. Si nemo egebat: Ergo nemo privatum retinebat peculium. Pretia agrorum, & omnium, quæ habebant, ponebant ante pedes Apoſtolorum. Cedo. Ponebant ne integra pretia, an retinebant partem? Si primum: omnia communia, nihilque peculiare. Nihil quippe retinebant, ſi omnia ponebant. Si ſecundum: ergo tot Ananiæ & Saphiræ, quot Fideles. At inquies. Percuſſus Ananias morte eſt, quod occulte, non palam pretii partem retinuit. Cæteri vero fideles, indulgente Petro palam retinebant peculia. Bene, & recte. Occulte ne retinuiſſet Ananias, ſi palam retinere licuiſſet? Quid quæſo Fideles retinebant, qui nihil habebant, quod ponerent? Si venditores agrorum pretii partem retinebant. egentes ergo, & abundantes erant inter illos. Non ergo *OMNIA communia*? Non ergo *dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat*. Ergo aut falſa ſunt, quæ Evangeliſta Lucas duobus capitibus 2. & 4. narrat: aut falſa ſunt Carrattini commenta. Primum blaſphemia eſt: verum ergo ſecundum. Sanctiſſimi Monachalium Regularum Patriarchæ Baſilius, Auguſtinus, Benedictus, cæterique, ut perfectiſſimæ communitatis exemplar proponunt communitatem deſcriptam a Luca. Negabit ne Carrattinus, aut perfectiſſimam eſſe communitatem, quam præſcribunt Baſilius, Auguſtinus, Benedictus in ſuis Regulis: aut iſtius perfectiſſimæ communitatis proponi ceu formam, communitatem a Luca deſcriptam? Si alterutrum negat, ſe deridendum propinat, quod factum omnibus ratione, & oculis inſtructis manife-

Digitized by Google

manifeſtum inficietur. Provoco Carrattinum, ut unum ſolum, non dico Patrem, non dico Theologum gravem, ſed vel laxiſſimum Caſuiſtam afferat, qui conceptis verbis, quemadmodum ipſe, afferat *peculium privatum* obtinuiſſe in Cœtu Hieroſolimitano, ſicut nunc ſerpit in Cœnobiis mitioris Diſciplinæ. Si vel unum proferat, renuntiare cauſæ velim. Tillemontius, Thomaſinus, Calmetius, Eſtius, quos obtrudit, perfectiſſimam fuiſſe docent communitatem deſcriptam a Luca, ut vidimus. Ergo luce meridiana evidentius eſt, Doctrinam P. Magiſtri Carrattini directe adverſari Verbo Dei, traditioni omnium Patrum, Conciliorum, & totius Eccleſiæ. Nihil hic per exaggerationem dictum. Immo nullæ ſuppetunt phraſes, quibus pro dignitate exponi Carrattini paradoxa inaudita, & ſcandali plena valeant.

§. IV.

ANIMADVERSIO IV.

In

Dilucidationem ſecundæ propoſitionis, qua aſſeritur peculium a Chriſto propoſitum, in Evangelio exaratum, & omni ſæculo, & ab omnibus Patriarchis Antonio, Auguſtino, Benedicto &c. conceſſum.

I. Secunda propoſitio, quæ corrigenda præſcripta fuit, ejuſmodi eſt. *Omni ſæculo, a primordiis uſque Clauſtralis Diſciplinæ, repertum eſt peculium ab omni proprietatis vitio immune atque abſolutum. Vit. Clauſt. Diſs.* 5. *c.* 8. *pag.* 386. Sic eam tranſcribit dilucidandam P. Magiſter Carrattinus in ſua *Epiſt.* §. 2. *pag.* 11. Sed eam mancam refert. Integram reſcribo. Sic enim continuo pergit Vita Clauſtralis *cit. pag. Eo* [peculio] *uſi ſunt primi Vitæ communis ſectatores Hieroſolymitani, quibus de in Apoſtolorum Actis, quoſque tamquam Regulam, normam, atque exemplar reſpexere Patriarchæ OMNES, & Clauſtralium Ordinum Inſtitutores. PECULIUM permiſit magnus Antoninus, indulſit Hilario, CONCESSIT Auguſtinus, non reprobavit Benedictus, non expulit Gregorius, probarunt Berno, Odo, & Majolus, agnovit Bernardus... Ita omni ſæculo, ita omni ætate, & lapſa, & florente diſciplina ſub ipſorummet non CONNIVENTIUM, SED APPROBANTIUM Patrum oculis tan-*

quam

quam licitum, atque honeſtum, quandoque etiam neceſſarium agnitum eſt. Qua de re ſi ad firmandum fidei dogma, quod ſemper, quod ubique, quod ab OMNIBUS, id verum eſt: QUIDNI etiam licitum erit [peculium] *quod in omnibus fere Ordinibus, quod ſemper, quod ubique in more poſitum fuit? eo vel maxime, quod exacta rerum communitas MILLE PARASANGIS a paupertatis VOTO diſtans mutationi obnoxia eſt.*

II. Quot periodi, tot falſitates. Quot verba, tot ſcandala. Hæc conferto cum iis, quæ ſuperiori §. dicta ſunt. Memineris hanc eſſe doctrinam, cui tota ſuperſtruitur *Vita Clauſtralis*. Hanc Doctrinam ubique inculcat, repetit, inſinuat. Sic auſpicatur *cap.* 1. hujuſce *Diſſert.* 5. *pag.* 365. *Primis Chriſti-Fidelibus, qui nempe Hieroſolymæ ad Petri Apoſtolorum Principis prædicationem converſi fuerant, quique, ut in Actibus Apoſtolorum legimus, propria fecerunt communia indultum fuiſſe, ut PECULIUM haberent, ex iis, quæ initio hujus 2. partis dicta ſunt, facile dignoſcitur.* En quam verum ſit a capite ad calcem, hac erronea doctrina, ſcandalique plena, ut mitiſſime loquar, ſcatere *Clauſtralem Vitam*. Verum, ut plenius Carrattini ingenium aſſequi valeas, nonnulla alia tranſcribere volo, quæ hanc ſuam Doctrinam uberius atque vehementius confirmant.

III. Hæc itaque habet Diſsert. 3. cap. 5. pag. 309. n. 2. *Hoc nunc pacto diſſeras velim. Si controverſia, quæ Fidei dogma aliquod tangeret, adeo clariſsimis Scripturæ textibus, tam perenni traditione, tot Conciliorum Canonibus, tot Patriarcharum Regulis, tot Pontificum Decretis, ſingulis ferme ſæculis munita, firmataque eſſet, nonne manifeſte hæreſeos damnaretur, quicumque auderet contradicere? Quamquam autem argumentum, quo de agimus extra Fidei limites divagetur; morale tamen continet documentum A CHRISTO PROPOSITUM, IN EVANGELIO EXARATUM, ore tuo ſolemni profeſſione Deo nuncupatum, verbo dicam, maximum, ſummumque æternæ ſalutis negotium verſat? Quis igitur tantæ temeritatis erit, ut veritati adeo manifeſtæ ſe ſe opponat, pravaque ſua opinione id arctare velit, & quod indultum permiſſumque eſt, indultum permiſſumque nolit, omniumque fere Clauſtralium æternam ſalutem diſcrimini adeo evidenti committere non reformidet? Agedum: Revolvito omnia documenta, quæ in hac Diſſertatione produximus, eaque mente præjudiciis vacua expendito, NON MODO TOLERATA PECULIA INVENIES, SED FIRMIS INVIOLABILIBUSQUE LEGIBUS CONCESSA.*

IV. Chri-

IV. Chriſtus Dominus igitur Evangelicam Perfectionem amplectentibus *peculium propoſuit* ? Hoc peculium in Evangelio conſulitur? Peculium Monaſticum, non modo tolleratum, ſed firmis & inconcuſſis legibus conceſſum, clariſſimis Scripturæ textibus, perenni traditione, Conciliorum Canonibus, Pontificum Decretis, Patriarcharum Regulis firmatum, monitumque?

V. Non miror, hæc P. Magiſtrum Carrattinum ſcripſiſſe, ſed miror, & ſummopere miror, P. Carrattinum tales nactum Amicos, & Patronos, qui hos immanes errores excuſare quoquo modo poſſe exiſtimaverint: qui dixerint, P. Carrattinum in laudato proxime textu non eſſe *de peculio loquutum, ſed de paupertate*. Non mente, ſed oculis opus eſt, ut agnoſcatur, P. Carrattinum adfirmare peculium eſſe a Chriſto propoſitum, in Evangelio exaratum, in cętu Hieroſolymitano adhibitum, a Conciliis, a Patriarchis, a Pontificibus, a Patribus non modo tolleratum, ſed inviolabilibus legibus conceſſum. Fac non de peculio, ſed de paupertate loquutum in illis verbis, *a Chriſto propoſitum*, *in Evangelio exaratum*, quod tamen falſiſſimum eſt, ut vel ex titulo illius capitis, & ex univerſa Doctrina, in eodem contenta clariſſime patet: an conceptis verbis non docet, peculium viguiſſe in Apoſtolico Collegio, & ab omnibus Patriarchis conceſſum, & omni ætate ſive florente, ſive collapſa Diſciplina floruiſſe ? Neque hoc ſemel, ſed ubique, occaſione data, inculcat. Ergo vel ipſo P. Carrattini Patrono Judice *Vita Clauſtralis* ſeveriſſima proſcribenda cenſura eſt.

VI. Quid quod juſſus Carrattinus recitatos textus retractare, aut ſano in ſenſu interpretari; ille non modo id non præſtitit, ſed adverſus ſuos Cenſores clamat pag. 12. *Non video quo pacto in pravum ſenſum accipi poſſint. Probaturus ex Traditione PECULII PROBITATEM excurri per omnia ſæcula, atque in Patrum Regulis, Pontificum Reſcriptis, Conciliorum Decretis, & Generalium Comitiorum ſtatutis liciti peculii veſtigia omni fere ætate indigitavi*. Vides docile ingenium. Arguit Cenſores ſuos, inquiens, ſe ignorare, quo pacto pravum in ſenſum accipi ſuam Doctrinam poſſit. Male ergo Cenſores judicarunt pravum in ſenſum accipi poſſe. Retractanda ergo confirmat, munitque P. Magiſter. Clamat, ſe defendiſſe peculium adverſus P. Danielis ſiſtema: non propugnaſſe quodcumque peculium, ſed *prava dumtaxat eo abutentium voluntate, qui aut in rebus ſuperfluis id habent, aut tanquam proprium retinent*. Audiſtin? Non docuit P. Magiſter, licitum peculium ſuperfluum, aut prava retentum voluntate licitum eſſe? Magno dignum

Digitized by Google

gnum ſane præmio, graduque, quod etiam hoc ſcelus naturæ lege vetitum non docuerit. Claudit ſuam Apologiam ſecundi erroris, inquiens: *Nullum ex SS. Patriarchis, non Antonium, non Auguſtinum, aut Benedictum ſuis in Regulis illud* (peculium) *STRICTO præcepto prohibuiſſe, tamquam id, quod paupertatis voto adverſetur: interdixiſſe tamen abſolute, quum nulla neceſſitas eſt, vitamque communem ad tectum ſartum paupertatis votum ſervandum ſuis in Regulis præcepiſſe, ſicut in mea Vita Clauſtrali inficiatus non ſum, nec modo inficior*. Negat, & adfirmat, & craſſa verborum circuitione omnia permiſcet. Nemo ex Patriarchis *ſtricto* præcepto vetarunt peculium. *To ſtrictim* omnia vel evidentiſſima præcepta eludit, ut vidimus ſupra. Non inficiatur Patriarchas præcepiſſe vitam communem: Ergo fatetur damnare peculium. Qui enim præcipit virtutem, prohibet oppoſitum vitium. Falleris. Præcipiunt Vitam communem peculio gravidam, cum peculio conjunctam. Hæc retuliſſe, refutaſſe eſt. Piget enim errores adeo apertos, & verborum circuitiones adeo craſſas refellere. Lege *Diſſert. Prælimin. Ad Defenſionem Conſtitutionum Apoſtolic.* Ut tamen perſpectos magis habeas Carrattini errores, memineris ſemper oportet, illum haud loqui de eo peculio, quod, urgente neceſſitate, aut aliqua rationabili cauſa, & in aliquo peculiari eventu, ex Prælatorum diſpenſatione licitum fatentur omnes: quemadmodum omnes fatemur licitum eſſe in Quadrageſima carnium eſum ex Superiorem diſpenſatione. At non propterea Legem negamus Quadrageſimæ. Carrattinus negat præceptum *ſtrictim* acceptum vetans peculium: & ut fucum imperitis faciat, obtrudit, Prælatorum diſpenſatione licitum peculium eſſe. Si Prælati diſpenſant: ergo lex eſt vetans, a qua diſpenſent. Ergo ruit tota Clauſtralis vita. Si Patriarchæ præcipiunt vitam communem peculio plenam: Ergo qua ratione licet vita communis, eadem licebit & peculium. Nulla requiritur diſpenſatio, ut illa obſervetur: Ergo nulla opus diſpenſatione eſt, ut peculium vitæ communi junctum habeatur.

§. V.

ANIMADVERSIO V.

In

Dilucidationem tertiæ propoſitionis, qua aſſeritur: tolle peculium caute adhibitum, & Religio non eſt Religio: non ſecuritatis portus, non tranquillitatis ſtatio.

I. P. Magiſter Carrattinus, ut erroris enormitatem quoquomodo lectoribus occultet, mutilam de more exhibet propoſitionem *dilucidandam*, melius dixiſset *retractandam*, *deteſtandamque*. Sic eam reſcribit in hac *Epiſt.* §. 3. *pag.* 13. *Peculium non ſolum tolleratum, ſed utile eſt conducenſque ad Diſciplinam Clauſtralem: tolle peculium caute adhibitum, & Religio non erit Religio:* Hactenus hic, ſed in Vita Clauſtrali hæc ſequuntur: *Non ſecuritatis portus, non tranquillitatis ſtatio.* Corrigere, ſeu retractare juſſus Carrattinus eſt errorem hunc turpiſſimum ſcandalique plenum. Ille vero Apologiam adornat, ſuoſque Cenſores vellicat, quod in *Verborum cortice* ſiſtentes, intimum ſenſum aſſequuti haud fuerint: Quoniam inquit *in Auctoris ſenſu, & contra novum Danielis ſiſtema intellecta, nullum pravum ſenſum reddunt, aut habent. Quandoquidem de eo ſolum peculio intelliguntur, quod juxta Canones ultro indulgetur, & permittitur: quod quidem peculium, quum nihil pravitatis oleat, tolleratum dici non debet, ſed permiſſum, atque conceſſum. Peculium iſtud utile agnovit Sixtus Papa V.... Quod ſi utile, quidni etiam conducens ad diſciplinam Clauſtralem dici poterit?*

II. Hæc eſt erroris ſui dilucidatio, ſeu nimium audax defenſio, atque obfirmata propugnatio. Ubi ſunt iſti Canones, qui, excepto aliquo neceſſitatis caſu, peculium non modo tolerent, ſed permittant, ſed concedant? Ubi in tota Collectione Canon unus? Lege Canones Concilii Tridentini, Conciliorum Lateranenſium, Conſtitutiones Clementis VIII. Urbani VIII. Alexandri VII. Innocentii XII. Lege Conſtitutiones tuas, quas ſupra §. II. adduxi. Verum enim vero, ut luculentius pateat P. Magiſtri error, aliqua ex iis, quæ eumdem antecedunt, deſcribenda occurrunt.

III. Hoc

Digitized by Google

III. Hoc itaque pacto argutatur Diſsert. 6. Demonſtr. 2. pag. 389. & 390. „ *Ut ad ultimum demonſtrationis gradum argumentum meum urgeam,* „ *percurras velim univerſæ Clauſtralis Diſciplinæ hiſtoriam* „ *COMMUNI* „ *VITÆ COÆVUM SEMPER FUIT PECULIUM, quandoque in rebus,* „ *quandoque in pecuniis*. Semper bonorum communitati, etiam *Apoſtolicæ*, coævum peculium fuit, ut toties ſcriptitavit, iterumque hic repetit, clariuſque repetit. Sic enim pergit. *Ex præterita experientia didicerunt Ordinum Rectores,* „ *peculiorum uſum, ſuis incluſum limitibus, ſuiſque cautionibus cuſtoditum Clau-* „ *ſtrali Diſciplinæ. NIHIL PLANE OBESSE, PROFUISSE QUAN-* „ *DOQUE PLURIMUM*.... *Difficilem, ac pene IMPOSSIBILEM*, quæ „ diuturna, ac perpetua foret, communis Vitæ SINE PECULIO obſervan- „ tiam ex una parte intuebantur, ſimulque peculiorum abuſus ex altera.. „ Legis impoſitio ab eorum pendebat arbitrio. Nonne prudentis Legisla- „ toris eſt, legem ita temperare, ut & obſervatu facilis, & diuturnior fiat? „ ...... Dicas nunc mihi iterum velim, cur omni ætate in omnibus fe- „ re Ordinibus aliquid SEMPER, aut quum neceſſitas, aut UTILITAS „ poſtulabat, privatim conceſſum fuit: Et inter ipſos PRIMOS HIERO- „ SOLYMITANOS TEMPORE APOSTOLORUM PECULIUM FUE- „ RIT PERMISSUM.... Hinc propterea claret... QUAM SOLIDUM „ ILLUD: TOLLE PECULIUM CAUTE ADHIBITUM, ET RELI- „ GIO NON EST RELIGIO: NON SECURITATIS PORTUS, NON „ TRANQUILLITATIS STATIO. „.

IV. Opus haud eſt, ut longa & vehementi oratione explodam quid? Errores? Scandala? Sancti Dei Verbi patentiſſimam contemptionem? Simplicium ſubverſionem? Fateor nulla mihi occurrere verba, quibus exprimere ſatis errorum gravitatem iſtorum valeam.. Id ſolum repetere cogor, me nulla perfundi admiratione talia Carrattinum ſcripturiiſſe: ſed dolore & triſtitia afficior maxima, Catholicorum quempiam reperiri potuiſſe, qui *Vitam Clauſtralem* ſeveriſſimæ proſcriptioni ſubducere tentaverint.. Id non aliunde evenire potuit, niſi quod recenſitos errores haudquaquam perſpexerint.. Quæ obtrudit P. Magiſter ex Sixto Papa V. adverſus Canonicos Regulares S. Georgii in Alga, qualis ſit Authoris iſtius Dialectica iterum confirmant.. Pontifex Sanctiſſimus cenſurarum, pœnarumque ſeveritate ad peculia quæque abigenda, ſervandamque exactam communitatem Canonicos illos adegit ad Trid. Concilii præſcriptum. Verum, cum Congregatio illa ob tot Cenſuras, ſolutioreſ-

que mores in extremam adducta infamiam eſſet, tanta premebatur inopia, ut Canonici, unde viverent, minime haberent. Quapropter indulſit Pontifex, ut ſinguli propria induſtria & labore peculia compararent, & in proprios uſus converterent. Quid hinc? Eccui unquam in mentem venit, non poſſe Pontificem, juſta urgente cauſa, a præcepto communis Vitæ diſpenſare, peculiumque indulgere? Diſpenſavit Pontifex cum Canonicis S. Georgii in Alga ob gravem neceſſitatem: Ergo abſolute diſpenſavit cum omnibus Clauſtralibus? Abſolvit Pontifex hanc, aut illam Civitatem ob morbum, aliamve cauſam a lege Quadrageſimæ: Ergo nulla eſt lex Quadrageſimæ? Ergo omnes Catholici ab eadem exempti ſunt? Hæc eſt unica & perpetua argutatio, qua utitur P. Magiſter in univerſa ſua *Vita Clauſtrali*. Si diſpenſavit Pontifex cum præfatis Canonicis: ergo erat graviſſima lex vetans peculium. Niſi enim fuiſſet gravis, & urgens lex, haud fuiſſet diſpenſatione opus. Enormis ergo error eſt, aſſerere peculium in Cœtu Apoſtolico obtinuiſse, & a nemine Patriarcharum, vel Pontificum vetitum eſse. Sed quid argumentatione utimur adverſus eum, qui legibus juſti ratiocinii valedixit? Modo quippe aſſerit, peculium licitum eſse, neceſſitate dumtaxat urgente. *Abeat*, inquit, *neceſſitas*, & *peculium abire debet*. Modo incredibili auſu adfirmat, nulla vera lege, nullo vero præcepto peculium vetitum eſſe, immo omnium Patriarcharum legibus conceſſum, ut valde Religionis bono conducens. Si, ſublata neceſſitate, abire peculium debet, ergo error enormis eſt aſserere peculia Primos Hieroſolymitani Cœtus Fideles privata habuiſſe. *Nemo quippe egens inter illos*: *adeoque nulla privati peculii neceſſitas*. Ergo Religionis bono non conducit: eoque ſublato Religio *ſecuritatis portus* eſt, & *tranquillitatis ſtatio*. Si neceſſitate tantum urgente licitum peculium eſt: ergo univerſa *Vita Clauſtralis* turpium errorum plena eſt. In hac quippe ubique clamat, nullo præcepto *ſtrictim* accepto peculium vetari. Abſolute ergo, & neceſſitate etiam ſublata, licitum eſt. Verum de hoc mox.

§. VI.

Digitized by Google

§. VI.

ANIMADVERSIO VI.

In

Dilucidationem quartæ Propoſitionis: qua iterum aſſeritur nec Tridentinum, nec Clementem VIII. nec Regulas ullas Monachales peculium prohibere præcepto ſtricto.

I. NUllam hic propoſitionem definitis formulis circumſcriptam dilucidandam tranſcribit P. Magiſter. Generatim dumtaxat innuit, quoſdam venditaſſe, ſe nec Tridentini, nec Clementis VIII. mentem aſſequutum eſſe. *Sed bona tui* (inquit §.IV. pag. 15.) *venia meam tum Tridentinæ Synodi, tum Clementis VIII. interpretationem aſſequuti non ſunt Ariſtarchi, & Cenſores*. Ut illudat Patronis Amiciſque ſuis, a conſueta putida impoſtura adverſus Authorem *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ* auſpicatur, *novæ, & peregrinæ doctrinæ* eumdem expoſtulans pag. 16. Tridentini Concilii Decretum exponit his verbis. *Contendo eam tantum* (bonorum communionem) *fuiſſe præceptam ab Oecumenica Synodo, Romanoque Pontifice, quæ in unaquaque reſpective Regula obſervari mandatur, quumque huic communitati PECULIUM debitis cautionibus circumſcriptum non repugnare pluribus argumentis evicerim, nec Tridentino, nec Pontifici adverſatus ſum, quum PECULIUM AD EORUM MENTEM DEFENDI.*

II. Ut omnes intelligant quocum nobis diſputatio ſit, Verba Tridentini, & Clementis VIII. ſub omnium oculos reduco. *Nemini igitur*, inquit Concilium, *Regularium tam Virorum quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuſque qualitatis fuerint, etiam quovifmodo acquiſita, tanquam propria, aut etiam NOMINE Conventus poſſidere, VEL TENERE; ſed ſtatim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur. NEC DEINCEPS LICEAT Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſum fructum, VEL USUM, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum Monaſteriorum, ſeu Conventuum ad SOLOS officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat. Mobilium vero uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſuppellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt,*

ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam quod ſit neceſſarium eis denegetur.

III. Hypotheſim conſtitue, Tridentinum voluiſſe peculium privatum prohibere: Quibus ſignificantioribus verbis uti debuiſſet? Non prohibet peculium ſub nomine *proprii*, ne dicatur vetitum proprium, ſecus peculium. Non prohibet peculium ſub voce peculii, ne cavillatores aſſerant prohibitum peculium, minime depoſitum. Adhibet vocem *BONA* nulli cavillationi ſubjectam. *Nemini liceat bona immobilia, vel mobilia cujuſcumque qualitatis*: vetat non ſolum poſſidere, ſed *vel tenere*: ſubdit *etiam nomine Conventus*. Tandem, ut omnem cavillandi anſam præcideret, prohibet Superioribus, ne penſiones permittant etiam ad uſum fructum, *VEL USUM* &c. ſed ſuppellectilem, victum, & veſtitum ex communi ſuppeditari imperat. Cedo. Quid deeſt, aut quid amplius requiritur ad expreſſam peculii prohibitionem? Si quid tamen adhuc luculentius expoſcis, audi Clementem Papam VIII. in ſua Conſtitutione, non ad petitionem hujus, aut iſtius Ordinis, vel Congregatiunculæ, ſed abſolute pro omnibus edita.

IV. 1. *Quo Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto cuſtodiendo* Fidelius *obſerventur: PRÆCIPITUR, ut nullus ex Fratribus, etiamſi Superior ſit, bona immobilia, vel mobilia, aut pecuniam, proventus, cenſus, eleemoſynas, ſive ex CONCIONIBUS, ſive ex LECTIONIBUS, aut pro MISSIS, tam in propria Eccleſia, quam ubicumque celebrandis, ALIOVE JUSTO LABORE, & cauſa, & QUOCUMQUE NOMINE acquiſita, etiamſi ſubſidia conſanguineorum, aut piorum largitiones, legata, aut donationes fuerint, tanquam propria, etiam nomine Conventus poſſidere poſſit: Sed ea omnia ſtatim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque eum cæteris illius bonis, redditibus, pecuniis, ac proventibus CONFUNDANTUR, QUO COMMUNIS inde victus, & veſtitus omnibus ſuppeditari poſſit. 2. NEQUE SUPERIORIBUS, quicumque illi ſint, ullo pacto liceat eiſdem Fratribus, aut eorum alicui bona ſtabilia, etiam ad uſumfructum, VEL USUM, adminiſtrationem, aut commendam ETIAM DEPOSITI, AUT CUSTODIÆ nomine concedere. 3. Eorum vero, quæ ad neceſſitatem conceſſa erunt, nullus quidquam poſſideat ut proprium, neque ut proprio utatur. 4. Qui in præmiſſorum aliquo deliquerit, pœnas nedum a Concilio Tridentino præſcriptas, ſed alias quoque multo graviores, Superiorum arbitrio imponendas, incurrat. 5. NULLA QUORUMCUMQUE SUPERIORUM*

DISPEN-

Digitized by Google

DISPENSATIO, *NULLA LICENTIA*, *quantum ad bona immobilia*, *vel mobilia*, *Fratres excuſare poſſit*, *quominus culpæ*, *& pœnæ ab eiſdem Concilii Decretis impoſitæ*, *& ipſo facto incurrendæ obnoxii ſint*, *ETIAMSI SUPERIORES ASSEVERENT HUJUSMODI DISPENSATIONES*, *AUT LICENTIAS CONCEDERE POSSE*, *QUIBUS IN EA RE FIDEM MIMIME ADHIBERI VOLUMUS*. *Fratrum vero veſtitus & ſuppellex cellarum ex COMMUNI PECUNIA COMPARENTUR &c.* Quis in animum unquam ſibi induxiſſet, ut crederet, talem reperiendum fore hominem, quem haudquam puderet ſcribere, neque Concilium Tridentinum, neque Clementem VIII. peculium prohibere; ſed contra, peculium non modo tolerare, ſed concedere? Qui in conſpectu legis adeo luculentiſſimæ peculium defendere audet, cujus ſit ingenii, tumet arguito.

V. Summus Pontifex non novam hic cudit legem, ſed Oecumenici Tridentini Concilii Decreta exponit. Hæc Tridentini Decreta, & hanc Conſtitutionem Clementis VIII. poſteriores Pontifices omnes, *nemine excepto*, occaſione data confirmarunt, & etiam ſeveriſſimo induendæ juventutis interdicto, ubi hæc non obſervantur, munierunt. Poteſt ne mitior interpretatio excogitari ea, qua nos diximus, peculia quæque vetita eſse, diſpenſationes communes Superiorum abſolute nullas eſſe, & ſolum in aliquo caſu ob gravem, ſi occurrat, cauſam, diſpenſationem licitam eſſe: Superiores debere pro viribus ſatagere, ut, ſublatis peculiis, communitas inſtauretur, ſi id abſque ſcandalo præſtare valeant: ſubditos vero paratos eſſe debere, alioquin ſunt in malo ſtatu, ad dimittenda peculia, ſuſcipiendamque exactam communitatem: in hypotheſi vero, qua de communi ea omnia, quæ propriæ profeſſioni congruunt, illis non ſuppeditentur, tum jure naturæ tantum peculii illis licere, quantum ſatis ſit ad ea comparanda, quæ de communi penu deberentur. Poteſt ne inquam mitior excogitari interpretatio? Et tamen hæc eſt tota doctrina *Diſciplinæ Apoſtolico-Monaſticæ*. Nihil in ea vel tranſverſum unguem ſeverius. Et tamen hanc mitiſſimam omnium Probabiliſtarum etiam laxiorum conſenſu firmatam doctrinam P. Magiſter Carrattinus, ejuſque Aſſeclæ Amici, & Patroni auſi ſunt *novitatis*, *& Rigoriſmi* poſtulare apud plebem & Senatum, apud doctos & indoctos omnes.

VI. Sed ſpero fore, ut aures tandem aliquando arrigere docti, & indocti debeant, oculoſque aperire, quibus inaudita, & a nemine unquam excogitata commenta P. Magiſtri Carrattini percipiant. Audiant immoto, ſi valent,

valent, animo hæc ſua axiomata, ſeu potiſſima *Vitæ Clauſtralis* principia, ut evidentior fiat Concilii Tridentini, & Clementis VIII. interpretatio.

VII. *Principium, quod tanquam veriſſimum poſuimus, cunctiſque munivimus argumentis, illud eſt: Rerum communitas PARUM, aut NIHIL commune habet cum paupertatis voto, quod Deo nuncupant Clauſtrales, nec ex STRICTO præcepto Clauſtralibus præſcripta eſt. Ex quo principio hæc eruimus ſtatim.*

Prælati Regulares nec graviſſimi, nec gravis, IMMO NEC LEVIS PECCATI rei ſunt, ſi vitam communem ſuis non invehant Monaſteriis. Vita Clauſtr. Diſſ. 6. pag. 404. , *&* 405.

VIII. Hæc principia, quæ per univerſam Vitam Clauſtralem divagantur, & ea, quæ ſupra ex eodem retulimus, conferas, amice Lector, velim cum Tridentinis Decretis, & Clementina Conſtitutione novis omnium poſteriorum Pontificum Conſtitutionibus firmata. Deinceps æquabili animo feras Carrattinum ubique ſcribentem & in Vita Clauſtrali, & Epiſtola exegetica, ſe peculium defendere conceſſum a Patriarchis Sanctiſſimis, a ſacris Canonibus. Quare inquit Epiſ. pag. 16. *Nec Tridentino, nec Pontificibus adverſatus ſum, quum peculium ad eorum mentem defendi*. Audias iterum quæſo illum in *Vita Clauſtrali* Diſſer. 3. cap. 4. pag. 198. ubi poſt relatam Conſtitutionem Clementis VIII. hæc ſcribit.

Extra omnis diſputationis aleam ponimus, Clementem Papam VIII. pro certo habuiſſe privatum Clauſtralium peculium Tridentini Decretis non opponi. En quibuſcum diſputandum nobis eſt! Subdit tamen pag. 301. *Severitatem potius, quam benignitatem* Clem. VIII. oſtentare. *Sicut ille, qui generoſos, ac deſultorios agit equos, in adverſam ſemper dextrorſum, aut ſiniſtrorſum, ut medium teneant partem, cogit*. Rigoriſmi poſtulat Clementem VIII. Magiſter noſter, illumque equo inſidentem, & equum dextrorſum, & ſiniſtrorſum agentem nobis exhibet. Addit, Clementem non *STRICTIM*, ſicut nec Tridentinum, præcipere vitam communem. Sed nonne præcipiunt ſub culpæ, & pœnarum interminatione? Quid plus requiritur ad imperandum STRICTIM? Ineptimus ipſi, ut ineptientem hominem refellamus.

IX. Ut craſſiori quadam cavillatione Clementis VIII. Conſtitutionem obſcurare pertentaret, obtrudit Conſtitutionem Clementis XII. qua Monachorum, quos appellant S. Hieronymi, inſtitutiones, in quibus peculium permittitur, confirmavit. Fac Clementem XII. cum parvo Monachorum quorum-

quorumdam manipulo peculii habendi facultatem conceſſiſſe. Ergo Oecumenici Concilii Decreta pro omnibus lata Clauſtralibus, & Conſtitutionem univerſalem Clementis VIII. de medio ſuſtulit? Hæc eſt perpetua Carrattini argutatio, ut alias diximus. Verum, ut quanta ſit Patri Magiſtro fides habenda iterum omnibus pateat, dicere cogimur, non modo Clementem XII. fel. mem. non approbaſse peculium Monachorum S. Hieron. ſed penitus damnaſse, eo prorſus modo, quo illud damnat Clemens VIII. Siquidem Clemens XII. approbat Conſtitutiones Monach. S. Hieron. hac adjecta clauſula ter repetita in *Exord. Conſt. Eccleſ. Cathol. regimini. Exceptis iis, quæ Sacroſancto Concilio Tridentino, Decretis Clementis VIII. & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non Reſolutionibus Sacræ Congregationis forent contraria*. Fuſius hæc in noſtra Defenſione Conſt. Apoſtol. explicata ſunt. Quæ de Vincentio Juſtiniano, Seraphino Caballo, Soto Major comminiſcitur P. Magiſter, putidæ fabellæ ſunt, pro ingenio confictæ, ut loc. cit. demonſtratum eſt. Lege ibi confutationem eorum omnium, quæ in Epiſt. pag. 17. refricat. Piget enim toties commenta vana refellere.

§. VII.

ANIMADVERSIO VII.

In

Dilucidationem quintæ, & ultimæ propoſitionis: qua peculium pro ludis, pro ſolatiis, pro horologiis argenteis, pro tabacci arcula argentea, & cultro, chocleari, & furcinula argentea Mendicantibus Fratribus aſſeritur.

I. HÆc eſt ultima propoſitio laxitatis inauditæ pleniſſima, quam retractare, & infra juſtos coercere limites juſsus eſt P. Carrattinus. Is vero inauditam laxitatem ſuam excuſare, de more, nititur, Adverſarium ſuum nimii Rigoris incuſando, quod legem, quam profeſſus P. Magiſter eſt in medium attulerit in *Diſcipl. Apoſt. Monaſt. Diſs. 6. cap.* 3. Hæc quip-

Digitized by Google

pe præſcribunt Conſtitutiones *Ord. Præd. Diſt.* 1. *cap.* 10. *ad litt. D. Nullus Frater, aut Soror Ordinis noſtri, cujuſcumque gradus, & conditionis exiſtat, uti debet choclearibus, & inſtrumentis aureis, vel argenteis, aut etiam ex lapidibus pretioſis, ſive in menſa, ſive in cingulis.* Inclamat Carrattinus cum ſuis Aſseclis, me Rigoriſtam eſſe, Regulaſque infamare, quod proprias Regulas ſervandas recordor, moneo, ſuadeo, ea majori, qua valeo, prudentia. Legas, quæſo, velim *Diſcipl. Monaſt. loc. cit. pag.*299. ubi invenies, me non definire gravis ne, an levis ſit talium iſtrumentorum abuſus. Hæc tamen cautiſſima ſcribendi ratio minime impedit, quominus P. Carrattinus in hac ſua Epiſt. pag.18. ſcribat, ſe præfatorum argenteorum uſum a *culpa vindicaſse, eo ſolummodò* (inquit) *animo, ut Adverſarii Rigori, ubique, & ſemper MAXIMO me opponerem. . . . . Quid enim reſpondere potuiſsem tanto argutatori, adeo ſevere loquenti?* Legem tuam, quam profeſſus es, ob oculos tuos reduxi : nihilque penitus de meo adjeci, quod rigorem augeat. Propterea ne Rigoriſta? Propterea Ordinum Sacrorum calumniator? Hæc meditentur illius Patroni.

II. Opponit hic *pag.* 19. Epiſcopos uti choclearibus argenteis, quos inter, Auguſtinus Sanctiſſimus, de quo Poſſidius in Vita *cap.* 22. *choclearibus tantum argenteis utens: cætera vaſa, quibus menſæ inferebantur cibi, vel teſtea, lignea, vel marmorea fuerant.* Numquid Auguſtinus profeſſus fuit tui Ordinis Conſtitutiones talia choclearia vetantes? Auguſtinus, Epiſcopi, Prælati utuntur choclearibus argenteis: Ergo & Mendicantes cucullati non modo choclearibus, ſed etiam cultro argenteo, & furcinula argentea, & arcula tabacci argentea, & horologiis argenteis, & argento in anulis, & in catellis penulam mordentibus uti poterunt? Epiſcopi rhedas, & equos ad uſum proprium retinent: Ergo & ſinguli Clauſtrales equos alere, & currus tenere queunt. Hæc eſt P. Magiſtri dialecticæ. Horologium argenteum, ſubdit, habuit *Cardinalis Thomaſius:* Ergo licitum Mendicantibus omnibus.

III. Pag. 20. ſcribit. *Argenteam pro pulvere* tabacco *arculam, ſeu Pixidem, quum exigui pretii eſt, ſine fractæ paupertatis ſubverſæque Diſciplinæ crimine ex eo adhiberi a Clauſtralibus poſſe exiſtimavi, quod plus pecuniæ in ſingulos annos impendant Clauſtrales in emendo* tabacco, *quam in emenda ex argento modici pretii arcula.* Vin' luculentiora, & robuſtiora rationum momenta? Propterea concludit *pag.* 21. *His, aliiſque argumentis movebar, ne Adverſarii RIGOREM ſequerer.*

IV. Ut

IV. Ut laxiſſima P. Magiſtri Antiprobabiliſtæ Doctrina omnibus perſpecta ſit, pauca reſcribere liceat eorum, quæ corrigere, & retractare juſſus eſt, ut Vitæ Clauſtralis damnationem declinaret. Integram Diſsertationem VIII. *Vitæ Clauſtralis* inſumit in peculii quantitate, & qualitate Clauſtralibus licita, deſignanda. Et primum duas conſtituit æquiſſimas concedendi peculii cauſas: neceſſitatem, & honeſtatem.

„ V. Ex neceſſitate (inquit cap. 1. pag. 472.) conceditur peculium *Primo* quidem infirmis .... *Secundo* pro itineribus neceſſario conficiendis, „ cum ſtudiorum cauſa, tum prædicationis, aut alterius utilis ope„ ris. *Tertio* pro emendis ſibi libris ad humanam, divinamque eruditio„ nem comparandam. *Quarto* etiam pro veſtibus, & quandoque pro cibis, „ quando Cœnobiorum paupertas, quod neceſſarium eſt, non ſuppeditat. „ Quis negat in his omnibus privatum peculium licitum eſſe Clauſtrali„ bus „?

VI. Hactenus peculium ex neceſſitate. Forte non expectabis aliud peculium, cum tibi ſit conceſſum etiam ad emendas lautiores epulas: nam communes cibi in refectorio alendæ vitæ ſufficientes miniſtrantur fere ubique. Ut vero ſelectiores haberi poſſint, peculium conceditur, ſicut & pro veſtibus, & pro itineribus neceſſario conficiendis. Pluſne expoſcis? Abſit, quid enim amplius pro Mendicantibus Fratribus exigi licite valet? Heu miſerum Rigoriſtam? Audi titulum *Honeſtatis*. Sic enim perſequitur P. Magiſter.

„ VII. Ex honeſtate vero, privati peculii uſum indulgeri NECESSE eſt. „ PRIMO pro itineribus ad inviſendos quandoque parentes & conſanguineos „ VEL AMICOS, juxta pietatis ſanctæquæ amicitiæ leges. SECUNDO „ pro quibuſdam, vel *intra*, VEL EXTRA ORDINEM, *præſertim cum a* „ *Scholis feriatur*, *honeſtis* *SOLATIIS*. *TERTIO pro elargiendis etiam* „ *MUNERIBUS*, *quæ gratitudo*, & *juſtitia fieri jubent*, *attento ſtatu*, & „ *conditione dantis*, & *recipientis*. *QUARTO pro aliquo virtutis*, & *pie*„ *tatis opere*.

VIII. Quis Chriſtianorum, quin, & Paganorum, Turcharumque tanto non eſſet peculio contentus? Tamen hic non ſiſtit P. Magiſter, ſed ultra pergit. Quæ recenſuimus, Caput primum ſuæ Diſsertationis occupant. Caput ſecundum inſtituit, cujus hic eſt titulus. *Paupertatis voto non opponitur*, *nec ſtatus Monaſticæ Diſciplinæ evertitur*, *ſi Clauſtrales quædam ha-*

beant inſtrumenta argentea, nempe ehoclearia, cultrum, furcinulam, arculam pro tabacco, horologia, IDQUE GENUS SIMILIA, dummodo nec SUMMI pretii ſint, nec vanitatem oſtentent. Vit. Clauſtral. pag. 475. Si vanitatem oſtentent, licent ne Chriſtianis? Dummodo non ſint SUMMI pretii. Quid ſi ſint magni? Pro his omnibus aliud *peculium* requiritur *titulo honeſtatis*. Mitto ſcurrilitates, ſycophantias, improperia, quæ in Adverſarium congerit. Dum hæc ovans, & jactabundus propugnat, *Rigidiſſimum* cenſorem Danielem vocat, eumdemque deridendum exſibilandumque propinat, quod hanc argenteam ſuppellectilem cucullatis Mendicantibus denegaverit.

IX. Sed quid calamum a deſcribenda integra Gaza peculii Monaſtici Carrattiniani alio divertimus? Caput III. adornat, cujus hic eſt titulus. *Quo pacto in victu, & veſtitu uti debeant PECULIO Clauſtrales.* Si plura de hoc cupis, lege *Diſsert. Prælimin.* ubi fuſe refelluntur quæ hoc in Capite ſcribit.

X. Adhuc exhauſtum non eſt ditiſſimum iſtud Monaſtici peculii ærarium? Nequaquam. Siquidem cap. IV. ſuæ Diſſertationis in examen peculium ludis conſecrandum vocat. Hic autem eſt titulus: *De Ludis Religioſorum*. Hanc ponit concluſionem pag. 483. *Clauſtralibus pro honeſtis, neceſſariiſque uſibus privatum peculium concedendum eſſe ſexcentis argumentis luce evidentioribus demonſtravimus: quid ergo vetet, poſſe Clauſtrales modicam pecuniæ quantitatem INTRA, vel EXTRA Ordinem ludis ſibi non interdictis exponere?* Quinam ſunt ludi, quibus vacare licite Regulares valent? Reſpondet pag. 483. *Rideo, dum Danielem Concinam D. Antonini Doctrinam contra chartarum, & taxillorum ludos extollentem audio. Non ludum inſectatur vir Sanctus, ſed ludentium abuſus, & malitiam.* Inter taxillos Daniel recenſet *Lotto di Genova*. Vide *Diſſert. Prælim.*

XI. Suam Diſſertationem VIII. de quantitate peculii claudit cap. 4. hoc titulo: *Religioſi Clauſtrales, qui intra Ordinem Doctoris Laurea inſigniuntur, ſi quidpiam Promotoribus, atque Examinatoribus ſponte ſua poſt adeptam Lauream tribuunt, paupertatis votum non violant, nec recipientes contra juſtitiam peccant.* Nihil nunc de Doctrina iſtius capitis, quam omnes Ethnici improbant: quoniam claudendum tandem, obſignandumque hocce peculii Monaſtici ærarium.

XII. Quis Catholicorum indignationem, dixerim, an lachrymas, hæc

inau-

Digitized by Google

inaudiens comprimere valet? Hoc eſt peculium illud, quod Mendicantibus Fratribus altiſſimæ paupertatis Evangelicæ profeſſoribus concedit. Hocce peculium eſt, quod in Collegio Apoſtolico-Hieroſolymitano, quod omni ætate, & florente, & collapſa Diſciplina obtinuit. Hocce peculium eſt quod *omni ſæculo* (loquimur Carrattini verbis) *a primordiis uſque Clauſtralis Diſciplinæ repertum eſt. Eo uſi ſunt primi vitæ communis ſectatores Hieroſolymitani, de quibus in Apoſtolorum Actis*. Hocce peculium *eſt, quod tamquam Regulam, normam, atque exemplar reſpexere Patriarchæ omnes, & Clauſtralium Ordinum Inſtitutores*. Hocce peculium *permiſit Magnus Antonius, indulſit Hilario, conceſſit Auguſtinus, non reprobavit Benedictus, non expulit Gregorius, probarunt Berno, Odo, & Majolus, agnovit Bernardus. Vita Clauſtr. Diſſert.* 5. *cap.* 8. *pag.* 386. & alibi paſſim. Qui Acta Apoſtolorum, & Patriarcharum Regulas omnes legerunt, audire hæc immania paradoxa immoti nequeunt. Quid Lutherani, quid Calviniani, quid Proteſtantes omnes dicturi ſunt, cum viderint Paupertatem Monaſticam adverſum quam eorum anteſignani ſcripſerunt, a cucullato Fratre ita explicari? Quid dicturi ſunt, cum legerint, hocce peculium non toleratum modo, ſed a ſacris Canonibus conceſſum, ſed caute adhibitum, *prodeſſe plurimum Evangelico-Monaſticæ perfectioni comparandæ*: & ſine quo *Religio non eſt Religio: non ſecuritatis portus, non tranquillitatis ſtatio*?

XIII. Rem totam paucis concludamus. Nemo ſana præditus mente inficiari jure poteſt, Regulas Monachales, Concilia Oecumenica, potiſſimum Tridentinum, Summos Pontifices Clementem VIII. Paulum V. Urbanum VIII. Alexandrum VII. Innocentium XII. alioſque exactiſſimam præcipere communitatem, pulſis peculiis. Quid quod Sacrum Purpuratorum Patrum Collegium ſuper Diſciplina Regulari erectum, ut clamet, & ne eeſſet adverſus peculii peſtem, facultatem recipiendorum ad profitendam Monaſticam Vitam juvenum minime impertit, niſi præſtito juramento, quod in Cœnobiis emittendæ profeſſionis exacta rerum communitas, & Regularis obſervantia vigeant. Quid heinc? Alterutrum ſane. Aut ſeveriſſime proſcribenda Vita Clauſtralis, quæ exactæ communitatis debitum pernegat: quæ Conciliis, & Summis Pontificibus eamdem communitatem præcipientibus odium, invidiam, & contemptionem creat extremam: quæ ſcandalum tum Catholicis, tum Hæreticis ingerit:

gerit: Aut de medio tollenda Congregatio ſuper Diſciplina Regulari, & abrogandæ innumeræ graviſſimæ Pontificiæ Conſtitutiones, abrogandæ Patriarcharum Regulæ, abroganda Conciliorum Generalium Decreta. Alterutrum ſane neceſſario conſequi evidentiſſimum eſt. Utrumque tamen, & omnia quæ dicta ſunt, meliori judicio, & eorum, ad quos ſpectat, Cenſuræ ſubjicimus.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google